1522

INSTITVTIONIS
CHRISTIANAE CATHOLICA ET ERVDITA ELVCIDATIO,

Secundum Methodum, à MAGISTRO in Secundum SENTENTIARVM obſeruatam:

AVTHORE
Reuerendo P. MATTHIA FELISIO
Brouwerſhauio, Ordinis Minorum, regularis obſeruantiæ, Prouinciæ Inferioris Germaniæ Miniſtro.



ANTVERPIÆ,
Apud Chriſtophorum Plantinum, Architypographum Regium.
ANNO M. D. LXXV.

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM *est Regio Priuilegio, ne quis alius præter Christophorum Plantinum, librum, cui titulus est:* Institutionis Christianæ Catholica & erudita elucidatio, secundum Methodum, &c. Authore P. Matthia Felisio Brouwershauio, Ordinis Minorum, regularis obseruantiæ, Prouinciæ Inferioris Germaniæ Ministro, *imprimat, vel alibi impressum vendat hinc ad decennium. Datum Bruxellis, 12. Februarij. Anno 1573. Stylo Brabantiæ.*

Subsignat.

I. De Perre.

REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI, CHRISTOPHORO DE CAPITE FONTIVM,

totius sacri Ordinis D. Francisci Ministro generali Dignissimo, Pater Matthias Brouverschauius, optatæ salutis fœlicitatem.

CONSVEVERVNT *qui præclara aliqua maiusculis elucubrationibus dilucidarũt, Reuerendissime Pater, præstantiori cuipiam illa dicare personæ, cum vt Græcorum Romanorumq́ cõsuetudine, mortalem contubernio immortalium inserere integrum foret, tum etiam, teste Ambros. epist. 40. ad Sabinum, quo scripta tali, tanquã basi innitentia, securius in publicum prodirẽt, maioremq́ authoritatem apud Lectorẽ capessferent. Sic Virgiliũ Octauio, Lucanum Neroni, Plinium Vespasiano, suos fœtus obtulisse memoriæ proditũ est. Horum ego vestigijs innixus, hæc vigiliarum monumenta qualiacunque mearum, Reuerendiss. P. tuæ, ob singularẽ dexteritatis tuæ industriã nũcupata velim, qua nostri Seraphici Ordinis Prouinciam & curas administrare non cessas: Etsi magnis vbique locorũ præconijs extollere ingenium, doctrinam, morum probitatem, honestatẽ vitæ, vberrimos concionum fructus, vniuersi contendant: haud tamen dignis, quod nos in Comitijs nostris Antuerpiæ postremò habitis, luce clarius, tua singulari eruditione conspeximus. Si promotionum laboriosos magis, atque ærumnarum titulos,*

quàm gloriosos spectent, quis te in varijs, imò omnibus sacri Ordinis officijs laudabilius præfuit? Simul enim atque Ministeriatus munere fideliter perfuncto, commissarius (quem custodem custodum vocant) ad generalia comitia Romæ celebranda comparuisses, omnium ferè suffragijs in generalem Ministrum totius Ordinis coaptatus es, in quem quasi alterum Athlantē (qui scapulis cælum ferre perhibetur) onus totius familiæ Franciscanæ poneretur, quémque ceu verum pastorem omnes sequerentur, & ad quem ceu lydium lapidē obtutus dirigerent: vt meliora charismata æmularentur, & regularis obseruantiæ incrementa assumerent, nec non cōpage charitatis ac vinculo pacis, in fraterna Catholicæ fidei vnione proficerent. Scitè namq; & grauiter nos sanctus Esaias præ-
Cap. 9. *monuit, inquiens: Vnusquisq; carnē brachij & propinqui sui vorabit: Manasses Ephraim, & Ephraim Manassen, & ipsi simul contra Iudam. Quā Synechdochen Prophetæ vaticinio prænunciatā, offendimus tempestate Christi impletā: nam Pharizæi & Zaducæi capitali odio sibi mutuo infensi in necē tamen insontis Christi in æternū benedicti, conspirarūt. Magno etiā diuortio dissidentes quidam, existimabant Christum esse Ioannē Baptistam, alij Heliam, alij Hieremiam, alij vnum ex laudabili Prophetarum collegio: in hoc quasi pedibus euntes, vt Deitati derogantes, hominē purum in officina cordis sui fabricarent. Quod autē in Christi persona præcessit, temporū processu, perfidis nunquā non fuit vsitatissimū. Augustini siquidem tempestate,*

extiterunt

extiterunt Rogatistæ hæretici, Maximianistæ, Circenses, Circuncelliones, &c. ex diametro secū pugnantes, qui licet seipsos, contraria sentiendo dilaniarent: concordi tamē malignantis spiritus ardore, & studio contra Catholicam debacchati sunt Ecclesiā. Secundū B. Augustinum, paribus gradiuntur passibus moderni hæretici, horrendis schismatum diuisionibus distincti, ac sententiarū contrarietate discreti, nempe Cōfessionistæ, Protestantes, Caluinistæ, Hugonistæ, Geusiani, qui ad hoc omnē hodie mouent lapidem, vt Ecclesiam Rom. vnicam Dei sponsam conuellant, & ad nihilum (si res sineret fieri) redigant: obtinentes quidē facies diuersas (vt verbis Concil. Lateranensis vtar) sed caudas (quibus Vulcano tradere vniuersam maturæ messis fertilitatem satagunt) ad inuicem colligatas. Neque enim vna apud Belgas periclitatur Ecclesia, neq; duæ aut tres, in hanc truculentam perfidorū incidêre perniciem: sed vniuersa fermè, hæreseos malū depascitur, qua omnia pietatis dogmata euertuntur, æquitatis leges confunduntur, ambitiones præsidētias inuadunt, ac in propatulo secularium dignitatū functiones asciscunt, quíque grauiores euomunt blasphemias, ad populi regimen potiores reputantur. Hinc quodammodo periīt authoritas sacerdotalis dignitatis, exulat fidei disciplina, morū integritas proscribitur, religionis honos ablegatur, templa euertuntur, soloq; æquantur, sacra vasa prophanantur, conflanturq;, ac reliqua Ecclesiarum vtensilia ita direpta comperiuntur, vt multis in locis remāserit nihil. Quo factū

Epist. 10. & 50. heresi 69 nec non. li. 1. cap. 6. & 7. contra epist. Permeniani.

Cap. 3.

est, vt qui cum Diogenis paupertate certarent, extemplo spoliorum diuites euaserint, quiq; ingenti cōflictabantur egestate, casulis aureis ac planetis holosericis, in femoralia, miro sartorum artificio fabrefacta, conuersis, impunè se splendidos ostentarunt. Quin & tremendis Sacrosanctæ Eucharistiæ mysterijs, pedum conculcatione ignominiam intulerunt, ac mensuram veterum illorū implentes hæreticorum, teste Optato,
Libr. 2. cont. Donatist. *canibus ac feris ea obiecerūt. Nec requiem hisce habuit, nec finem insaniā fecit, sed viuis Dei templis, furore quodam perciti, non pepercerunt: quoniam obsequium Deo iam censetur quā gratissimum, spiritualium latrocinium, ac Monachorum præsertim Franciscanorū suspendiū. Sanctimoniales hactenus strictissima clausura circunseptas, iam quasi rude religionis assumtæ donatas per mare, per terras, per mille discrimina rerū, videas peruagari: adeò vt in vniuersa Hollandia, & Zelandia, demta vna aut altera ciuitate, nihil sit reliqui. Quæ lamentatio his calamitatibus digna esse poterit? Qui fontes lacrymarum, tantis malis suffecerint? Quis dabit, inquit Hieremias,*
Cap. 9. *capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarū, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei, quia omnes adulteri sunt, & cœtus præuaricatorum, & extenderunt linguam suam, quasi arcum mendacij, & non veritatis. Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedit. Propterea deducāt oculi*

nostri

nostri lacrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis, quia vox lamentationis audita est de Sion. Quomodo vastati sumus, & confusi vehementer, & deiecta sunt tabernacula nostra. Audite verbum Domini, & assumant aures vestræ sermonem oris eius; & docete filias vestras lamentum, & vnaquæque proximam suam planctum, quia ascendit mors per fenestras vestras, sanam doctrinam non sustinentes, sed pro voto desiderij coaceruârunt sibi magistros prurientes auribus, à veritate auditum auertentes, ad fabulas ac humani ingenij phantasmata conuersi. Et proinde deficiunt, qui pascunt cum scientia ouile Domini, dum hi qui primos ambiunt locos, œconomias pauperũ in proprias voluptates, & munerum distributiones insumunt: communemq; pacem, velut occultam ipsorum turpitudinem reuelantem verentur. Rident ob hæc increduli, fluctuant nutabundi, ignorantia in animas diffusa est: propterea quod imitentur veritatem, qui doctrinam in malitia adulterant. Silent piorum ora, permissum est blasphemo quidlibet audendi, timorati fugiunt domos orationũ, velut doctrinæ impietatis locos, Episcopi sola capti calumnia, impietate diuexati, milleq; pressuris angustiati, fuga sibi consulere debuêre, Sacerdotũ occisiones, Canonicorũ persequutiones, totiusq; Cleri depopulationes, sonitũ lamẽtantium facere habent in vrbibus, sonitum in agris, sonitũ in solitudinibus. Vna vox debet esse, miserabilia & tristia proloquentibus. Ablatũ est gaudiũ, & lætitia spiritualis, festiuitates nostræ versæ sunt in luctũ, domus ora-

2.Tim.4.

Amos 8.

 tionum

tionum non iam conclusæ (vt ille deplangebat) sed dirutæ: non iam vacua spirituali cultu altaria, sed radicitus euulsa: non solum non amplius fiunt Christianorum conuentus, & salutaria Orthodoxæ fidei dogmata, sed crudelium ac imperitorum colluuies, nec non rabidorum hominũ viget insania. In nos optimè
Cap. 17. & 18. *quadrat illud Iudicum: In diebus illis non erat Rex in*
Oseæ 3. *Israël, neque Propheta, neq; Dux, neque oblatio, neq; in conspectu Domini sacrificandi, & misericordiam inueniendi locus. Et alibi: Dies multos sederunt filij Israël sine Rege, & sine Principe, & sine Sacrificio, & sine Altari, & sine Ephot, & sine Theraphim. Condolete, ô Catholica pectora, & imbribus lachrymarum ætatis nostræ miseriam deplangite, nostræ Belgicæ cæcitatem deplorate, ac propemodùm collapsæ Ecclesiæ statum ingemiscite. Hæc scienti quidem ex mærore cordis scribo, quia nulla terrarum orbis pars est, quæ nostrarum calamitatum inscia sit. Quare non informandi ergò, hos me facere T. P. opinari conuenit sermones sed quandoquidem hi, qui dolore aliquo detinentur, per suspiria leuare quodammodo dolores adsolent: hoc etiã ego facio, cum mæroris grauitatem hoc velut remoueo, quo calamitates nostras dilectioni tuæ denuncio. Atqui vtinã in nobis desæuijsse procellosa cessaret tempestas, nondum enim video, eheu, omnis consummationis finem. Timeo siquidem, ne vorax flamma, vbi apprehenderit & consumserit vicina, attingat quoque ea, quæ magna locorũ intercapedine distant: néve Ecclesias vbi nostras exederit, deinceps*

instar

inſtar cancri ſerpat, & reſtantem partem inuadat.
Horum autē tātorum cauſam malorum ingraueſcen-
tium, nō diſsimulauit ſcriptura, nam de Sennacherib
legere promtū eſt: Væ Aſſur, virga furoris mei, & ba- Eſaiæ 10.
culus ipſe eſt, in manu eius indignatio mea. Ad gētem
fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei,
mandabo illi, vt auferat ſpolia, & diripiat prædam, &
ponat illum in conculcationē quaſi lutum platearum.
Et alibi: Nunc perquire, ſi eſt aliqua iniquitas eorum Iudith 5.
in conſpectu Dei, ſi non eſt offenſio populi huius coram & 6.
Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis, quoniam Deus
eorum defendet illos, & erimus in opprobrium vni-
uerſæ terræ. Et aliō in loco: Dimiſit impios vt in ipſis Iudicum 3.
experiretur Iſraëlem, vtrum audirent mandata Do-
mini, an non. Pari modo S. Moyſes in perſona Dei: Si Leuit. 26.
in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea
cuſtodieritis, & feceritis ea: dabo vobis pluuias tem-
poribus ſuis; & terra gignet germē, & pomis arbores
replebuntur. Dabo pacem in finibus veſtris: dormietis
& non erit qui exterreat. Auferam malas beſtias, &
gladius nō tranſibit terminos veſtros. Perſequemini
inimicos veſtros, & corruent corā vobis. Perſequen-
tur quinque de veſtris centum alienos, & centum de
vobis, decem milia. & paulò poſt: Quod ſi non audie-
ritis me, nec feceritis omnia mandata mea, ſed ſpre-
ueritis leges meas, & iudicia mea contempſeritis, vt
non faciatis ea quæ à me cōſtituta ſunt, & ad irritum
perducatis pactū meum: ego quoque hæc faciā vobis,
Viſitabo vos velociter in egeſtate, & ardore, qui con-

ficiat oculos vestros, & consumat animas vestras, frustra seretis sementē, quæ ab hostibus deuorabitur. Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subijciemini his qui oderunt vos, & reliqua quibus allegandis breuitatis amore malui supersedere. Hæc & huius farinæ testimonia facta sunt hodie, proh dolor, nimis credibilia: Sacerdotalis namque dignitas à fastigio suæ integritatis multum exorbitauit, & à splendore obseruandæ disciplinæ nimium deflexit. Quotusquisque est Religiosorum (vt de me meiq; similibus sententiā primitus feram) qui regularis obseruantiæ incrementa requirat, ac disciplinatæ vitæ zelator existat? Quotusquisque est, qui rectæ vitæ lineam in moribus iugiter obseruet? Quotusquisque est, qui sacra Dei vasa mundis semper manibus contrectare consueuerit? Quotusquisque, obsecro est, qui tam accuratè ornamenta Ecclesiæ tanto honoris loco habeat, ut Aaronici suam suppellectilem? Pudet me dicere sacratissima vasa prophanis rebus instar Balsasaris applicata fuisse, nec maiori loco quàm communia reputata. Pudet me deplangēdo commemorare, inertiam quorundam mystàrum (non enim impræsentiarum causam timoratorum tuēdam suscipere animus propēdet) qui pretiosa sponsæ Christi ornamenta nihili fecerunt, non peractis diuinis in honestum reposuêre locum, sed tanquam quisquilias nullius frugi, in obuia è manibus abiecerunt loca, quorum squalores immundæ erant argumenta conscientiæ euidentissima. O bone Iesu, quis non miretur tuæ

Daniel. 5.

mansue-

ansuetudinis longanimitatem? quis non obstupescat mitatis tuæ immensitatem? quis denique non contremiscat patientiæ tuæ profunditatem? qua peccata ilium ministrorum dissimulas, ac consuetæ misericordiæ tuæ visceribus, ad remissionis gratiam prouocas. Quibus tamen haud raro algor mentis ad interiora percurrit, vigor mentis dormitante spiritu lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor solicitat, subtrahitur gratia, spiritus extinguitur, deferuescit pietatis feruor, ingrauescit tepor, refrigescit charitas, blanditur voluptas, fallit securitas, reuocat consuetudo. Quid plura? Dissimulatur lex, abdicatur ius, fas proscribitur, saltus de excelso in abyssum, de pauimento in sterquilinium, de statu clericali ad sæculũ, de cœlibe vita ad sacrilegiũ, de paradiso ad infernum. Tanta siquidem est multorum tepiditas, tanta dissolutio, tanta discordia & simultas, tanta denique viget in eis passionum malarum, ac vitiorum immortificatio, vt nullum pietatis aut probitatis specimẽ fermè præ se ferre videantur. Præterea si vniuersam eorũ vitæ seriem spectaueris, præter externam in vestibus quandam sacerdotij & pietatis laruam, qua sæcularibus reliquis præstent, offenderis nihil. Imò plerosq; adeò pœnitere suæ conditionis apparet, vt fabrefactis curioso artificio vestibus magis milites aut procos pronũtiâris, quàm clericos, Quã putas, optime Pater, inquinatissimis istis & similibus nostris moribus, ansam offeramus infidelibus & hæreticis exprobrandi, ac subsannãdi ceu commẽ-

titiam

titiam nostram legem, blaspemandiq́ nomen Dei nostri? quin verò hanc hæresim quam patimur truculentam hodie pestem, inde compertissimum est fuisse subortam, indeq́ nutritam, quod qui ex nobis prodierunt, viderunt iuxta verbum Esaiæ: Dominatores nostros iniquè agere, legesq́ pessundare, leges ipsas earumq́ authores cœpêre floccipēdere, Ecclesiæ authoritatem denegare, Prælatos conculcare, ac denique suggillare dogmata fidei. Hinc partim exortum existimo, quod sanctissimus martyr Cyprianus scripsit, Non aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod Sacerdotibus Dei non obtemperetur. Et Gregorius re & nomine Magnus, Quanto, inquit, mundus gladio feriatur adspicitis, quibus quotidie percussionibus intereat populus, videtis. Cuius hoc nisi nostro præcipuè peccato agitur? ecce depopulatæ vrbes, euersa castra, Ecclesiæ ac monasteria in solitudinem agri redacta sunt: sed pereunti populo authores mortis existimus, sicut non semel apud Prophetas legimus, qui debuimus esse duces ad vitam, exempla demonstrauimus prauitatis, quando ipsi peccauimus, qui aliorum peccata compescere debuimus. Nec hominū mentes duntaxat, reproba spiritualium vita, à recto fidei tramite alienas reddidit, sed & callida perfidorum hæreticorum vafricies, qui miro astu miseros circunscribere, vitrum pro smaragdo, & gypsum vice lactis obtrudēdo, nunquam erubuerunt. Huc facit tragœdia lugubris, qua quidam furore perciti, ac Arrianæ perfidiæ veneno intoxicati, Catholicæ veritati ac Decretis

Cap. 52.

Lib. 1. epistola 3. ad Cornel. Hom 17. libr. 40. Homil.

Nicenæ

Nicenæ Synodi derogare sategerunt. Nam Cõstantius Imperator hæreticus cum Vrsatio atque Valente, nec non reliquis eiusdem factionis sequacibus, Conciliabulum coëgit Ariminense, cui maximã Episcoporum coronam adesse mandauit: quatenus tyrannica audacia, cum eis contra Ecclesiam Catholicam, & sacræ Niceni concilij Decreta, Arrianæ pestis contagium inueheret, totumq́; orbem illius toxico inficeret. Vbi autem plurimi Arrianæ perfidiæ partim metu principis, partim assentatione, calculum suum non recusassent, paulò post Diuino inspirante præsidio fraudis certiores effecti, palinodiam canendo, ad Dei Ecclesiam, de qua plus necessitate quàm voluntate discesserant, sunt regressi: quemadmodum dilucidũ efficit diuus Augustinus, Tripart. historia, & Præfatio Concilij Sardicensis.

Libr 3. cont. Maxminum cap. 14. li. 4. cap. 24. & lib. 5. cap. 16.

Cùm autem iam probè conspicerent se aërem (quod dicitur) verberasse, nihilq́; profecisse, Imperatorem hæreticum Constantium his interpellabant verbis, secundum beatum Athanasium, O Imperator æterne (inficiabantur tamen filium Dei æternum) omnia prospero Marte peracta sunt, profligauimus in exilium Rom. Põtif. Liberium, & quamplurimos exulare compulimus Episcopos, loca vniuersa terroribus impleuimus: tamen nihil nobis omnia reputantur, quamdiu Hosius Episcopus Cordubensis superstes vel solus nobis obsistat. Hic siquidem est ille, à quo cuncta traditorum (sic etenim nuncupabant Catholicos) dependêre cognoscũtur negotia, atq; fœlicem progressum illius industria sortiri haud ignorantur.

Lib. ad solit. v. tam agentes.

Incipe

Incipe ergo & hunc persequi, nec senectuti deferas, nec caniciei parcas: quia Catholici eius verba, tanquã diuina exosculãtur oracula, quod non minimus Conc. Niceni actionibus interfuisset. Cuius autem obtutibus, cùm præsentatus fuisset, tãtum absfuit ipsum Imperatoris iussa capessere, vt eũ insigni intrepidæ mentis constantia confuderit. Nec te, inquit, misceas ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius à nobis disce: tibi Deus Imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ, concredidit. Et quẽadmodum qui suum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi Diuinæ: ita & tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini fias obnoxius. Date (scriptum est) quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo. Non ergo fas est nobis, in terris Imperium tenere, neque tu thymiamatum & sacrorũ potestatem habes, ô Imperator. Verùm ille furorem non posuit, nec mitigauit, quin potius antistitem centenarium, compedibus constrictum detinuit, adeóque ieiuniis, aliisq́; carceris squaloribus afflixit, vt iam cum perfidis Vrsatio & Valente hæreticis communicaret. Acturus tamen animam, nimia confectus decrepitæ ætatis senectute, ac diutina carceris maceratione labefactus, recantauit in vltimæ voluntatis protestatione sententiam, & liberrima voce Catholicam confessus est veritatem. Quod cum satellitibus diaboli Vrsatio ac Valenti innotuisset, coëgerunt Concilium Nicenum à Nicia vrbe in Thracia, perfidiamq́; Arimini ab ipsis excogitatam, spargere nisi sunt, eámque Nicenam ab vniuer-

vniuersali Synodo ritè & legitimè æditā & confirmatam adseuerârunt, vt videlicet nominum vicinitate, per fraudem simpliciores Arrianā istam impietatem, perinde atque Nicenam fidem in Bythinia celebratam accipere possent, secundum Theodoretum & Nicephorum. Hinc ista lues tam altas iecit radices, vt sub tegmine eius Imperatores & Imperatrices recubuerint. Nec longè lateq; duntaxat propagines extendit, verumetiam processu temporum magis magisq; siluescens, sancti Bernardi tempora attigisse non ambigitur. Quod autem tum temporis contigisse deplangimus, hoc licet non simili vafriciei calliditate, non tamē dissimili iniquitate, nostrates luctuosa ista tempestate sunt moliti. Sicut namq; illi ementito Niceni concilij titulo, miseris imposuerunt: ita isti contra sacrosanctum Concil. Tridentinum, nostro tempore celebratum, obtutibus hominum conciliabula, Sathanica adinuentione varijs in locis coacta opponunt. Quibus accedunt alia onera humeris hominum importabilia, quæ eorum mentes adeò occupârunt, vt nihil prius habuerint, quàm regales contemtui habere leges. Cùm autem omnium animi essent exacerbati, ac proinde à Deo & R. M. ministris alienati, magnus tunc hæreticis patuit aditus, ingensq; patefacta fuit maleuolis fenestra, qua impudenti audacia facerent, quod excusso æquitatis & rationis capistro, colluberet: libertatem prædicarent, ac præfectis obedientiam potissimum in talibus recusarent. Atqui eheu prædicata libertas, magnam peperit seruitutem, inobedientia

inexpli-

Lib. 2. ca. 21. & 22. Eccle. hist. lib. 9. cap. 2. & 41.

Epistola 191. ad Innoc. pap.

Periphrasis denarij.

inexplicabilem adduxit extremæ miseriæ tribulatio-nem, qua Ecclesia malignantium tanta sumsit incrementa, vt propemodum Catholica regionis Belgicæ religio periclitetur. Quod testantur, non tam multiplices, quàm horribiles Monachorũ, Sacerdotum, aliorumq́. Dei timentium cruciatus, quod comprobant tot insignium athletarum clades, quod, proh dolor, nimis credibile efficiunt tot militum per mare, per terras, per mille discrimina rerum, trucidatorum strages. Præclaras ciuitates occupârunt, pagos inuaserũt, adeò vt alienam inuadere substantiam, illis non censeatur peccatum, alienas irrumpere in ædes, non sit piaculum: quod ex hæreticis fures & latrones euaserint. Ob hãc crudelem truculentorum inimicorum nostrorum rabiem, omniumq́. rerum confusionem colendiss. Pater, operæpretium ferè duxi, eam Catholicæ Institutionis partem, validis scripturarum monumentis, priscorum sententijs Patrum, nec non irrefragabilibus rationibus perspicuè enucleare, quæ in Secundo Sententiarum R.mi antistitis Parisiensis Petri Lombardi, certo distinctionum numero pertractari adsolet: vt omnis doctus, eius methodo iuuetur, nec vllus indoctus obscuritatis difficultate secludatur. Quanquam autem Philosophia eum seruet ordinem, vt ab ijs quæ sensibus subiecta sunt, nobisq́. notiora, ad ea quæ sensibus percipi nequeũt, in tradẽdis progrediatur, disciplinis. Nos tamen in his quæ fidei sunt, atque à diuina patefactione dependent: ab ipso cui tradendorum fides innititur Deo, rectissimè exordimur. Cùm autem

fidei

fidei ferè subiecta sint, quæ in sacra tractentur pagina, ab ipsoq; Deo veritatis fonte promanent, primò omnium, cui fidem habeamus, oportet cognoscamus. Postea quam igitur quis ille sit, à quo cælestem doctrinam, diuinarumq; rerum cognitionem expectare debeamus, libro primo Magister singulari eruditionis dexteritate disseruit, secundum librum de rebus creatis optima methodo dilucidando annexuit, non quomodo super his à Philosophis disputari consueuit, sed quantum euadendis huius miserabilis vitæ ærumnis sat esse posit, cum exacta naturarum inuestigatio, ad Christianam non pertineat theoriam. Vti eruditè docet Augustinus post Virgilium, dicentem: Enchrid. ca.9.&16. Lib. 2. Georgic.

Fœlix qui potuit rerum cognoscere
causas.

Non nobis, inquit sanctus Augustinus, videatur ad fœlicitatem consequendam pertinere, si magnarum cognoscamus in mundo corporalium motionum causas, quæ abditissimis naturæ finibus occuluntur.

Vnde tremor terris, qua vi maria alta
tumescant,
Obicibus ruptis, rursusque in seipsa
residant.

Et alia sexcenta, quæ illi inuenerunt, vel se inuenisse gloriabundi iactitârunt, sed bonarum malarumq; rerum causas nosse, nostra refert, quatenus homini in hac vita erroribus ærumnisq; plenissima ad easdem euadendas conceditur. Itaque ipso statim exordio vnum esse omnium rerum principium, nempe Deum, relinquit contestatissimum. Deinde hic labor noster edocet, quemadmodum sex dierum interuallo, indigestam mundialis machinæ molem discreuerit. Quibus succedit de angelis tractatus, dehinc ad ipsum hominem, anima & corpore constantem se conuertit. Vltimo, qui à tanto sublimitatis fastigio deturbatus exorbitarit, & infinitis se im-

Eccles.7. *miscuerit quæstionibus. Quæ res tametsi maximis sint obnoxiæ labyrinthis, intricatisq; perplexitatibus inuolutæ, ac proinde acumine ingenij præditis offendantur operosæ: ideo talis in hoc Secundo Sententiarum libro seruabitur methodus, vt quique maiorem receptæ sententiæ, probabiliorísque opinionis (saluo semper meliori iudicio) claritudinem recipere valeant, ac perfectam vniuersarum rerum tractandarum cognitionem adipisci. Nec pigebit me cum*

Libr.1. de Trinit. cap.2. *sancto Augustino loqui: Sicubi hæsito quærere, nec pudebit sicubi erro, discere. In præsentia nihilominus animo repetendum occurrit, quosdam adeò esse tardos & hebetes, vt illis pauca, sicut multa pigris, frustra ingerantur: rursum plerosque existere, qui breuia nequeunt intelligere, nec prolixa amant legere, quibus ita condescendere complacuit, vt moderatæ*

atæ lectionis opera, paucis multa vtilitatis fru-m capescerent, ac multiformi distinctionum se-me, corpus quasi in membra partitum, clariorem lderet singulorum articulorum elucidationem. ile siquidem non ambigitur secundum eundem Au-stinum: plura à pluribus fieri, diuerso stylo, non uersa fide, etiam de quæstionibus eisdem, vt ad plu-mos, res ipsa perueniat, ad alios sic, ad alios autem . Quod Gregorius Magnus similitudine probat: erba Dei, inquit, sunt quasi quædam nostri adiutorij igmenta; sicut namque pigmentum, quantò plus ritur, tantò plus eius virtus augetur: ita diuina loquia, quo magis exponendo conterimus, eo au-lientes amplius, quasi bibentes inuamur. Tu ergo Reuerendiss. Pater, quantò vides Catholicæ præce-ta iustitiæ, execrabilius supprimi, ciúsque fructus (magis infandum) negligi, tantò professionem iu-stitiæ, fidei per charitatem operantis, accuratius asserere perge. Dominus Iesus harum virtutum au-thor, tuam reuerentiam dilatare dignetur, vt con-tra hæreticorum perfidiam voti compos efficiatur, hæ-resimq; horum temporum, animos mortalium à cursu iustitiæ præpedientem, Cimmerijs tenebris submergi videat. Gregem etiam Franciscanum per vniuer-sum terrarum orbem constitutum, diuersis refle-xorum callium anfractibus palantem, variisque mo-rum corruptelis exorbitantem, ad veræ perfectio-nis apicem (vt indefessa prompti animi alacritate facit) deducat: debilia immorigerorum membra

Libr. 2. de Trin. ca. 3.

Libr. 29. Moral. cap. 6.

 conso-

consolidet, discolorum necessitudini congrua cataplasmatis adhibitione mederi studeat, horribili apostasiæ atrocitate confractum, proportionatis ligaturis reuocare non desinat, abiectum animo & despondentem confirmet, perpetuæ damnationis propemodum pœna amissum, mortis faucibus eruendo, requirat, regularis disciplinæ etiam obseruantem, ad meliorem vitæ frugem alliciat, magnóque mortificationis sui feruore, in semitis consiliorum eius cursitãtem, maiora æmulari charismata ligna operum docere non omittat. Vale, optime Pater.

Ex Conuentu nostro Mechliniensi.

DISTIN-

DISTINCTIO PRIMA.

Notitiam Dei & nostri, res esse coniunctas.

CAPVT I.

VNIVERSA fermè sapientiæ nostrę summa, quæ vera ac solida censeri debet, duabus partibus, Dei cognitione & nostri, constat. Cæterùm cum multis inter se vinculis cohæreant, vtra alteram præcedat, principiumque alterius existat, haud facilè indagari potest. Nam primò nemo se adspicere *Act. 17.* ꝥualet, quin ad Dei in quo viuit, & mouetur, conspectum, ꝥtutus mentis dirigat: quia manifestum est, dotes quibus polꝥmus, nequaquam à nobis esse, teste beato August. imò ne id *De corrept. & gratia cap. 4. & 5.* ꝥidem quod sumus, aliud esse, quàm vno Deo, subsistentiam. ꝥeinde ab his bonis quæ guttatim de cælo ad nos stillant, tanꝥuam è riuulis ad fontem deducimur. Iam verò ex nostra exiꝥuitate luculentius patescit illa, quæ in Deo residet bonorum ꝥmmensitas. Præsertim miserabilis hæc ruina, in quam nos deꝥecit primi hominis defectio, sursum cogit oculos attollere, non ꝥnodo vt inde ieiuni & famelici petamus, quod nobis deest: sed ꝥnetu expergefacti, humilitatem discamus. Nam vt in homine *In homine est quidam miseriarum mundus.* ꝥeperitur quidam miseriarum omnium mundus, ac ex quo spoꝥiati sumus diuinis charismatibus, pudenda nuditas infinitam ꝥprobrorũ congeriem detegit, propriæ infœlicitatis conscientia ꝥvnumquemque vrat necesse est, vt in aliquam saltem Dei notiꝥtiam pertingat. Ita ex vanitatis, infirmitatis, prauitatis, ignorantiæ: deniq; & corruptionis propriæ sensu cognoscimus, nõn alibi quàm in Domino solam veræ sapientiæ lucem, iustitiæ puritatem, bonorumque omnium perfectam adfluentiam: atq; adeò malis nostris tanquam calcaribus, ad contemplanda Dei bona excitamur, nec ante ad illũ seriò adspirare valemus, quàm *Hominem ad Deum quid attollat.* cœperimus nobisipsis vilescere. Quis enim hominum, illibenter in se requiescat? Quis etiã non requiescit quamdiu sui notitiam non habet? hoc est dotibus suis contentus, & suę miseriæ oblitus? Proinde sui agnitione quisque non solum incitatur ad quærendum Deum, verumetiam ad reperiendum, quasi manu ducitur.

Dei, propriè loquendo, notitia est existimanda, vbi nulla est religio, nulla pietas. Atque hic nondum attingo eam notitiæ speciem, qua homines perditi & minus frugi, Deum redemptorem in Christo mediatore apprehendunt, sed tantum de prima illa, & simplici loquor, ad quam deduceret genuinus naturæ ordo, si Adam integer perstitisset, secundum D. Aug. Nam etsi nemo, iā in hac humani generis ruina, Deū vel Patrem, vel salutis nostræ authorem, vel vllo modo propitium sentiet, donec ad eum nobis pacificādum, medius Christus occurrat: aliud tamen est sentire Deum creatorem nostrum, sua nos potentia fulcire, prouidentia regere, bonitate fouere, omnique benedictionum genere prosequi: aliud verò gratiam reconsiliationis in Christo nobis propositam amplecti. Quia ergo Dominus primum simpliciter Creator, tam in mūdi opificio, quàm in generali scripturæ doctrina, deinde in Christi faciẹ, redēptor apparet, hinc duplex eius emergit cognitio. Cuius prior hoc libro tractanda est: Altera suo deinde ordine, Deo concedente sequetur.

Lib. de corrept. & gratia, ca. 10. lib. 13. Ciuit. Dei cap. 5. & lib. 1. cont. aduers. leg. cap. 51.

Quanquam autem Deum apprehendere mens nostra nequeat, quin illi cultum tribuat aliquem, non tamen simpliciter tenere sufficiet illum esse vnum, quem ab omnibus oporteat coli, & adorari, nisi etiā persuasi simus fontem omnium bonorum esse, ne quid alibi, quàm in ipso quæramus. hoc ita accipio, non solum quod mundum hunc vt semel condidit, sic immensa potentia sustineat, sapientia moderetur, bonitate conseruet, humanum genus præsertim iustitia iudicioque regat, præsidio tueatur, sed quia nusquā, vel sapientiæ, vel iustitiẹ, vel potentiæ, vel syncerae veritatis gutta reperiatur, quæ non ab ipso fluat, & cuius ipse non sit causa, vt hæc scilicet omnia ab ipso expectare & desiderare discamus, eaq; cum gratiarū actione accepta, referre. Nam hic virtutum Dei sensus, nobis idoneus est pietatis magister, ex qua religio nascitur. Pietatē voco coniunctam cum amore Dei reuerētiam, quam beneficiorum eius notitia conciliat: donec enim sentiant homines omnia Deo se debere, paterna se eius cura foueri, eum sibi omniū bonorum esse authorē, vt nihil extra ipsum quærendum sit: nunquam ei se voluntaria obseruantia subijcient. imò nisi solidam in eo fœlicitatem constituant, nunquam se illi verè & ex animo totos addicent Itaq; frigidis speculationibus tātum ludunt, quibus in hac quẹstione insistere propositū est quid sit Deus, cum intersit nostra potius quantus sit, quantaque eius virtute subsistant. Quorsum enim attinet Deum aliquē cum Epicuro fateri, qui abiecta mundi cura, se otio tantū oblectet? Quid denique iuuat Deum

cognoſcere, quo cum nihil ſit nobis negotij? Quin potius huc valere debet eius notitia, primum vt ad timorem & reuerentiam nos inſtituat, eiusque creata ſubleuent, vt omne bonum ab eo petere & illi acceptum ferre diſcamus. Quomodo enim mẽtem tuam ſubire queat Dei cogitatio, quin ſimul extemplo cogites te, quum figmentum illius ſis, eiuſdem imperio, eſſe ipſo creationis iure mancipatum? vitam tuam illi deberi? quicquid inſtituis, quicquid agis, ad illum referri oportere? Id ſi eſt, iam profectò ſequitur vitam tuam prauè corrũpi, niſi ad obſequium eius componatur, quando nobis viuendi lex, eius debeat eſſe voluntas, ſecundum Aug. Rurſum nec ad liquidum perſpicere ipſum potes, niſi vt bonorum omnium fontẽ eſſe, & originem agnoſcas, vnde & deſiderium illi adhærendi, & fiducia in ipſum naſceretur, ſi non ſua mente hominis prauitas à recta inueſtigatione abduceret. Nam initio pia mens Deum non quemlibet ſibi ſomniat, ſed vnum & verum duntaxat intuetur, neque illi quodcunque viſum fuerit, affingit, ſed talem habere contenta eſt, qualem ſe in creaturis manifeſtat ipſe, ſummaque diligentia ſemper cauet, ne audaci temeritate vltra voluntatẽ eius egreſſa perperam vagetur. Ita cognitum, quia cuncta moderari intelligit, tutorem ſibi eſſe confidit ac protectorem, ideóque in eius gratiam totam ſe cõfert, quia bonorum omnium intelligit eſſe authorem: ſi quid premit, ſi quid deſit, mox ſe recipit in eius præſidium, opem ab eo expectãs, quia bonum & miſericordem eſſe, ſemper perſuaſa eſt: in eum fiducialiter recumbit, nec dubitat malis ſuis omnibus, ſemper in eius clementia paratum fore remedium: quia Dominum ac Patrem agnoſcit, eum quoq; dignum ſtatuit eſſe, cuius imperium in omnibus intueri, maieſtatem inſpicere, mandatis obſequi, debeat, quia iuſtum eſſe iudicem videt, ſuaque ſeueritate armatum ad vindicanda ſcelera: eius tribunal ſemper in cõſpectu ſibi ſemper proponit, ac ipſius metu, ſe retrahit ac cohibet, ab ira eius prouocanda. Neque tamen iudicij eius ſenſu ita terretur, vt ſubducere ſe velit, etiam ſi quod pateat effugium, quin illum non minus amplectitur malorum vltorem, quàm erga pios beneficum; quando ad eius gloriam non minus pertinere intelligit, impijs & ſceleratis apud eum repoſitam eſſe pœnam, quàm iuſtis æternæ vitæ mercedem. Præterea non ſola formidine pœnæ ſe cohibet à delicto, ſed virtutis amore, Deum loco Patris amat & reueretur, loco Domini obſeruat, & colit: etiamſi nulli exiſterent inferorum cruciatus, ſolam tamen eius offenſionem abhorret.

Lib.10.cõfeſſ.ca.29. & 37.lib. de bono perſeuerãn. cap.20.

Deus refugium noſtrũ & virtus.

Effectus amoris filialis.

Dei no-

Dei notitiam hominum mentibus naturaliter esse inditam.

CAPVT III.

ALiquem inesse humanæ menti, & quidē naturali instinctu, Diuinitatis sensum, extra cōtrouersiam ponimus: siquidem ne quis ad ignorantiæ prætextum confugeret, quādam sui numinis intelligentiam vniuersis ipse Deus indidit, cuius memoriā assidue renouās, nouas subinde guttas instillat, vt cum ad vnum omnes intelligāt Deum esse, suumq; esse opificem, suo ipsorum testimonio damnentur, quod non illum coluerint, & illius voluntati vitam suam consecrarint. Sane sicubi ignorantia quæratur, magis extare posse eius exemplum, verisimile est, quàm inter obtusiores populos, & ab humanitatis cultu remotiores. Atqui nulla est etiā vt Cicero, ait, tam Barbara natio, nulla gens tam efferata, cui non insideat hæc persuasio, Deum esse. Et qui in alijs vitæ partibus minimum videntur à beluis differre, quoddam tamen perpetuæ religionis semen retinent: adeò penitus omnium animos occupauit, adeò tenaciter omnium visceribus inhęret, cōmunis ista pręsumptio. Nulla ergo ab initio mundi, cum regio, nulla vrbs, nulla denique domus fuerit, quæ religione carere posset, in eo tacita quædā confessio est, inscriptum omnium cordibus diuinitatis sensum. Quin & idolatria huius conceptionis amplum est documentum. Quam enim non libenter se subijciat homo, vt alias præ se creaturas suspiciat, nos non fugit? Proinde cum lignum potius & lapidem colere & adorare maluerit, quàm vt nullum putaret esse Deum, constat vehementissimam esse istam numinis impressionem, quæ adeò ex hominis mēte obliterari nequiuit, vt facilius fuerit naturæ affectum frangi: quemadmodum certè frangitur, dum homo ex illa naturali inflatione ad infima quæque sponte se dimittit, quò Deum reuereatur.

Lib. de natura Deorū.

Deum esse omnibus manifestū.

Notitia Dei, partim inscitia, partim malitia obnubilatur.

CAPVT IIII.

QVemadmodum omnibus inditū esse diuinitus religionis semen, experientia testatur, ita vix centesimus quisq; reperitur, qui cōceptum in suo corde foueat, nullus autem in quo maturescit, tantum abest, vt fructus suo tēpore appareat.

Porrò, siue alij in suis superstitionibus euanescant, siue alij data opera malitiose à Deo desciscant, omnes tamen degenerant à vera eius notitia: ita fit vt nulla in mundo recta maneat pietas. Quod autem errore aliquos in superstitionem labi dixi, non ita est accipiendum, quasi sua eos simplicitas à crimine liberet, quia cæcitas, qua laborant, semper ferè superba vanitate & contumacia implicita est. Vanitas & quidē superbiæ coniuncta, in eo deprehenditur, quod neque miseri homines, in Deo quærendo, supra seipsos, vt par erat conscēdunt, sed pro carnalis sui stuporis modo, ipsum mentiuntur, & neglecta solida inuestigatione, ad vanas speculationes curiosè trāsuolant. Itaq; nō apprehendūt, qualem se offert, sed qualem pro sua temeritate fabricati sunt, imaginātur. Quo gurgite aperto quaquauersum pedē moueāt, in exitium præcipites semper ruere necesse est. Quicquid enim postea in cultum aut obsequium Dei moliantur, impensum illi ferre nequeunt, quia non ipsum, sed cordis sui figmentum, pro

Rom. 1. ipso colūt. Hāc prauitatē notat Apostolus, infatuatos esse pronuncians, cum sapientes se esse iactitarent. Prius dixerat euanuisse in cogitationibus suis, sed ne quis culpa eos eximeret, subijcit, merito eos excæcari, quia sobrietate nō contēti, sed plus sibi arrogando quàm fas sit, tenebras vltro accersunt, imò inani ac peruerso fastu, seipsos infatuant. Vnde sequitur non esse excusabilem eorum stultitiam, cuius causa non est vana modo curiositas, sed libido plus sciēdi, quàm par sit, cum falsa confiden-

Psalm. 13. tia. Quod autem Dauid dicat, impios sentire in cordibus suis

Exponit sententiā Dauidis. non esse Deum. Primò, ad eos restringitur, qui suffocata naturæ luce, consulti, seipsos obstupefaciunt, sicut complures videmus, postquam audacia peccandi & inueterata consuetudine obdurauerint, furiosè repellere omnem Dei memoriam, quæ tamen illis sponte à naturæ sensu intus suggeritur. Iam quo magis detestabilem eorum furorem reddat, eos inducit præcisè negantes Deum esse, quamuis essentiam illi suam non adimāt, sed quia spoliantes eum suo iudicio, & prouidentia, otiosum

Iob 22. cælo includūt. Nam cùm nil minus Deo conueniat, quàm abiectam mundi gubernationē fortunæ permittere, dissimulare hominum scelera, vt impunè lasciuiant, quisquis extincto cælestis iudicij metu securè sibi indulget, Deum esse negat. Atque hæc iusta Dei est vindicta, pinguedinem obducere cordibus, vt impij simul atq; oculos clauserint, videndo non videant. Et Dauid alibi, optimus est suæ sentētiæ interpres, vbi dicit, timorē Dei non esse ante oculos impiorum. Item sibi in maleficijs superbè plaudere, quia Deum non aspicere sibi persuadeant. Quanquam ergo

cogun-

coguntur aliquem Deum agnoſcere,eius tamen gloriam exinaniunt,poteſtatē illi detrahēdo. Sicut enim teſte Apoſtolo,Deus ſeipſum negare nequit,quia ſui perpetuò ſimilis manet, ita iſti mortuum & inane idolum confingendo,Deum negare verè dicuntur. Adhæc notandum eſt,quamuis luctentur cum proprio ſenſu, & Deum, non ſolum inde excutere, ſed in cælo quoque abolere cupiant,nunquam tamen eo vſq; inualeſcere ſtuporem, quin retrahat Deus ipſos interdum, ad ſuum tribunal, ſed quia nullo metu retinentur,quo minus violenter contra Deū ruant, quamdiu illos ita rapit cæcus impetus,brutam Dei obliuionem in ipſis regnare nulli ambiguum eſt. 2. ad Timoth. 2.

Dei notitia in mundi fabrica,apprimè relucet.

CAPVT V.

QVandoquidem vltimus beatę vitę finis,in Dei cognitione poſitus eſt,ne cui præcluſus eſſet ad fœlicitatē aditus, non ſolum hominum mentibus indidit illud, quod diximus,religionis ſemen: ſed ita ſe patefecit,in toto mundi opificio, ac ſe quotidie palam offert, vt aperire oculos nequeant, quin aſpicere eum cogantur. Eſſentia quidem eius incomprehenſibilis eſt,vt ſenſus omnes humanos, eius numen procul effugiat:verum ſingulis operibus ſuis,certas gloriæ ſuæ notas inſculpſit,& quidem adeò claras,& inſignes,vt ſublata ſit, quamlibet rudibus & ſtupidis, ignorantiæ excuſatio. Ideò optimo iure Propheta exclamat: luce quaſi veſtimento,ipſum eſſe amictum. ac ſi diceret,cœpiſſe tūc demum viſibili ornatu inſignem prodire, ex quo in mundi creatione ſua inſignia protulit, quibus nunc, quoties oculos huc, vel illuc circunferimus, decorus apparet. Ibidem etiam ſcitè idem Propheta cælos, vt expanſi ſunt, regio illius tentorio comparat, cœnacula dicit contignaſſe, in aquis nubes eius eſſe vehicula, equitare ſuper alas ventorum, ventos & fulgetra, eſſe celeres eius nuncios. Et quoniam plenius ſurſum refulget potentiæ & ſapientiæ eius gloria, paſſim cælum eius vocatur palatium. Ac primum quaquauerſum oculos conijcias, nulla eſt mundi particula, in qua non ſcintillæ ſaltem aliquæ gloriæ ipſius emicare cernantur. Ampliſſimam verò hanc & pulcherrimam machinam, quàm latè pateat, vno intuitu luſtrare nequeas, quin vi immenſi fulgoris, totus vndique obruaris. Quare eleganter author Epiſtolæ ad Hebræos, Sæcula nuncupat inuiſibilium rerum ſpectacula, quod nobis vice ſpeculi ſit, tam concinna mundi poſitio, Pſal. 104. Cap. 11.

Baſil. Ho- poſitio, in quo inuiſibilē alioqui Deum contemplari licet. Duo-
mil. 11. bus ſiquidem libris potiſſimum inſtruimur, & in veritate con-
Hexa. & ſolidamur, Deum vniuerſorum eſſe opificem. Prior eſt naturæ,
Tripar. vnde Paulus ait: Inuiſibilia eius, per ea quę facta ſunt, intellectu
Hiſt. 8. conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius, & diuinitas. Et
cap. 1. in lib. Sapientiæ: Per magnitudinem creaturæ & ſpeciem, po-
Rom. 1. teſt intelligibiliter creator videri. Menti enim noſtræ peccato
Cap. 13. ſuo exterius ſparſæ, necdum Deus, ſicut eſt, innoteſcit: ſed dum
Duobus li- facturæ ſuæ decus foris proponit, quaſi quibuſdam ſe nobis nu-
bris Deum tibus innuit, & quæ intus ſequamur, oſtēdit, ac miro modo ipſis
eſſe diſcere exterioribus formis nos ad interiora prouehit. Hinc Sapientia
licet. dicit: In vijs oſtendit ſe illis hilariter, & omni prouidentia oc-
Cap. 6. currit illis. Viæ quippe ad creatorem, non ambiguntur, opera conſiderata creatoris. Quæ dum facta cernimus, potentiam factoris miramur. In iſtis vijs à ſapientia, omni nobis prouidentia occurritur, quia factoris nobis virtus inquirenda proponitur, in omne quod mirabiliter factum videtur: & quocunque ſe verterit anima, ſi vigilanter attendat, in iiſdem ipſis Deum inuenit, per quæ reliquit, eiuſque potentiam ex eorum conſideratione cognoſcit, quorum amore deſeruit: & per quæ peruersè cecidit, per hæc conuerſa reuocatur. Quia enim ab inuiſibilibus per viſibilia deflexiмus, iuſtum eſt, vt ad inuiſibilia ipſis rurſum viſibilibus prouehamur, vt quo caſu anima venit ad infima, eo gradu reuertatur ad ſumma, atque iiſdem quibus corruit paſſibus ſurgat: dum ſicut dictum eſt, illa nos ad Deum bene conſiderata reuocant, quæ nos ab eo malè electa diuiſerunt. Rurſum ipſis rebus creatis atque corporeis agnoſcimus, quantū à creatoris noſtri ſublimitate diſtamus, quia per omne quòd cernimus eſſe humiles admonemur, vt quaſi quædam ſit lectio mentis noſtræ, cōſiderata ſpecies creaturæ. Profectò ordinatiſſima ſua mutabilitate & mobilitate, nec non viſibilium omnium pulcherrima ſpecie mundus ipſe quodammodo tacitus, factum ſe eſſe, & non niſi à Deo ineffabiliter magno & pulchro, fieri ſe potuiſſe
Alter liber proclamat. Alter liber eſt, teſtimonium ſcripturarum, quæ no-
notitiæ Dei. bis irrefragabiliter docent, vnum verum eſſe Deum. Audi Iſraël,
Deut. 6. inquit ſanctus Moyſes, Dominus Deus veſter, Deus vnus eſt. qua
1. Cor. 8. ſcriptura in eodem vtitur argumēto beatus Paulus: Scimus ait,
Galat. 3. quod nullus ſit Deus: niſi vnus. Et alibi Deus autē vnus eſt. Nec
Epheſ. 4. fruſtra verbi ſui lumen addere Dominus dignatus eſt, quoniā vaga & inſtabili agitatione cirūferri videbat omniū animos. Quocirca Iudęos ſcripturis tanquā quibuſdā cancellis circundedit, ne aliorum more paganorum euaneſcerent, atque in adinuentionibus

nibus manuum suarum insolescerent. Nec frustra nos eodem remedio in puriori sui notitia conseruat, quia mox alioqui defluerent etiam qui videntur firmi stare, nempe sicut senes vel lippi, & quicunque oculis caligant, si vel pulcherrimum volumen obtutibus eorum obijcias, quamuis agnoscāt aliquid scriptum, vix tamen vocabulum vnum atque alterum connectere poterunt, specillis autem interpositis adiuti, haud difficulter distinguere incipient. Ita scriptura confusam alioqui Dei notitiam, per contemplationem rerum creatarum habitam, in mentibus nostris colligens, discussa caligine, liquidò nobis instar digiti, verum Deum demonstrat. *Similitudine quod docet probat.*

Quatuor alij tramites, quibus notitiæ Dei aditus aperitur.

CAPVT VI.

QVanquam instar noctuæ immensi splendoris fulgoribus acies mētis nostræ reuerberata, conspectum Dei accedere recuset, nec ad cōtuitum eius infirmitas nostra queat debile explicare vestigium: quatuor tamen tanquā pedibus prorependo, aliquousque maiores progressus notitiæ Dei facere conualeamus. Sicut namque hominem incessu ab homine secernere, *Modus cognoscendi Deum primus.* vsus etiam obtinuit in beato Nicolao per vmbram deprehenso: haud secus Dei maiestas innotescit, quando gloriæ suæ cognitionem, mirabili motu incedendo, cordibus nostris quasi impressit. Missos hic facere necesse est laboriosos viarum anfractus, quas exhaustus sedendo sic super fontem, gentium gratia *Ioan. 4.* fatigatione crucis redemptarum, subire non abhorruit: testibus beatissimis patribus Amb. & Augu. sed eos potissimum respectus habere animus propendet, quibus homini fuit timori, vel admirationi, siquidem equitādo super pennas ventorum, secundum Psalmographū: & cardines cæli perambulando, secundum beatum Iob, vtique magnitudinem celsitudinis suæ ipso vestigiorum processu homini insinuauit, & in admirationem simul ac venerationem rapuit. Quando etiam circumeundo perlustrauit paradisi amœnitates post meridiem, magnum sui numinis timorem incussit, non enim illi sunt pedes vt hominum more gradiatur, sed magno timoris angore illos protoparentes præsentiæ suæ maiestate affecit, quando se præsto adesse monstrauit, & hoc post meridiem, non enim distulit, sed simul atque legem transiliendo, infirmitatem incurrit, optimus medicus cataplasma, ne dilationis protelatione res in deterius *Ambro ser. 31. August. tract. 15 in Ioannem. Iob 22. Secundus modus. Gen. 3.*

vergeret,

vergeret, adhibere curauit. hinc quidam, cui arcana ſapientiæ
Pſal. 138. ſuæ manifeſtarat, exclamat: Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum, tu illic es, ſi deſcendero ad infernum, ades, ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua; Omnia igitur loca altis
Pſal. 46. quaſi vocibus clamant, quoniam Rex omnis terræ Deus, qui attingit à fine, vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Veſtium etiam amictu hominem dinoſcere non eſt difficile, quin & hac ratione in admirationem Diuinæ maieſtatis euehimur, non quod exuuijs noſtræ mortalitatis fuerit velata, ſed veſtimentis gloriæ ornata, & æterni ſplendoris fulgoribus circumamicta, vt transfigurationis prærogatiua demonſtrauit, quando niuis candore ſplendidioribus effulſit, ac glorifica luce coruſcauit. Si namque mulier amicta ſole non ambigatur, quæ iuſtitiæ ſolem protulit, magis ipſe phœbus Chriſtus Dominus ſuo iubare, tanquam veſtimento rutilans reſplendet. Triuiali diuerbio dici ſolet, *Die cleeren maken de man, Dieſe heeft die doenſe an.* Ex prælibatis igitur, ac eius farinæ ſimilibus, obiter intelligere promptum relinquitur, quid ratione veſtimentorum talium, de Deo cognoſcendum commendetur. Tertia diſcriminis ratio naſcitur ex vocis organis, dum hic ſuaui eloquentia voces emoduletur, alter graui ſtrepitu ſtridere offendatur, hæc & eius farinæ reliqua, licet locum in Deo non ſortiantur, tamen ex diuerſis ſcripturæ paſſibus, promptum eſt Diuinæ maieſtatis gloriam, ex viuæ vocis oraculis manifeſtatam: vti liquidò conſtat, cùm ex Veteri Inſtru-

Tertius modus.

Geneſ. 1. mento, fiat lux, cælum, terra, & facta ſunt, faciat aliquis tale cælum, & non ambigemus, quin Deus ſit comprobandus,
Act. 12. tum ex nouo, nam Rode cognouit vocem Petri, & cohors vo-
Ioan. 18. cem Chriſti, diuina virtute tonantis, Ego ſum, qua tanquam fulgure percuſſi, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.
Tract. 112. *in Ioãnem.* Super quibus D. Auguſtinus: Quid regnaturus, qui hoc fecit moriturus? quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit?
Pſalm. 28. quando voci ſuæ dabit vocem virtutis, & vox Domini erit in
1. Teſſ. 4. virtute, & in magnificentia, vt in voce archangeli exurgant mortui, & compareant tremendis tribunalibus iudicandi. Quibus ſubijciendus occurrit quartus modus, quo aliquem ex artis induſtria ſuſpicimus. Si enim aliquem Zeuzim, vel Apellem, ſimilémve pictorem inſignem, magnis extollimus encomijs, qui imaginem ſuis coloribus, quaſi viuam mentitur, aut alium artificem, miro operis fabrefacti ingenio præditum

Quartus modus notitiæ Dei.

præditum collaudamus, hoc vel maximè verificatur in Deo. Rom. 1.
Inuisibilia namque eius, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur.

Deus vbi delituerit, antequam cælos formauit.

CAPVT VII.

Creditu non est difficile, testante ita Diuino elogio, Deum cælum & terram implere, illud, thronum gloriæ suæ existere, hanc autem scabellum pedum eius manere. Esaiæ 66. Atqui curiosus quispiam vana temeritatis suæ audacia muscitabit, fuerit Deus secundum suam naturam Diuinam in cælorum regno, permanserit quoque nobiscum in terra. Sed vbi posuit latibulum suum, antequam iaceret fundamenta terræ? & sicut pellem, cælorum amplitudinem extenderet? Cui respondit D. Athanas. Impium est quærere aut cogitare vbi sit Deus, aut quem obtineat locum, quóve domicilio claudatur. Insipiens haud dubiè esse probatur, quicunque se istiusmodi vanis phantasmatibus frustratur. Oratione cont. gregales Sabellij. Sultorũ & vecordium ista sunt verba, oculis & loco volentium apprehendere, id quod est incorporale. Demus tamen, inquit, quandam similitudinem: Animus Moysis recepit in se omnem Ægyptiacam sapientiam, nec non etiam eam, quæ sibi à Deo fuit impartita. & Daniël susceptis omnium Chaldæorum disciplinis, capax adhuc erat, ad varios Diuinæ sapientiæ intellectus, vnde Ezechiele dicitur: nunquid sapientior es Daniële? &c. Ezech. 28. Si ista spiritualis sapientia, & doctrina prophana, cùm sint numero plura, non opus habeant pluribus locorum spatijs, sed circa vnam eandemq; mentem versantur, intelligamus quæso, ea quæ supra nos sunt, & per se incorporalia existunt, Patrem videlicet, Filium, & Spiritum sanctum, locis non indigere, nec receptaculis distincta esse, hæc ille. D. Augustin. autem existimat summæ esse dementiæ, curiosa indagine inquirere, vbinam requieuerit Deus, ante visibilium & inuisibilium creationem. Libr. de fide contra Manich. ca. 27. Contentos tamen inquirentes reddit, magis quàm quæstioni respondet, quando dicit: Super Psal. 122. In se habitabat Deus, apud se habitabat. Non absimili curiositate inquiri potest, Vbi erat Deus antequam sancti essent creati, quos inhabitat? Et respondet: Non sic sancti sunt domus Dei, vt ipsa subtracta cadat Deus, tu habitas in domo, si subtracta fuerit, corruis: Deus autem sic habitat in sanctis, vt si ipse deserat, sancti cadant. Deus quomodo in sanctis. Nec iam omnibus in rerum natura existentibus Deus distenditur, aut loco diffunditur, quasi in

vno loco

vno loco sit maior, in alio minor, sed est totus vbique, sicut veritas, cuius nemo dicit partem esse in isto loco, & partem in alio, quia partibus non diuiditur. Non igitur iam per spatia locorum, quasi mole est diffusus, ita vt in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus in solo cælo totus, & in sola terra totus, & in cælo, & in terra totus solus, nullo loco conclusus, sed in seipso vbique totus. Nec mundum inter se, tres diuisere personæ in tres partes,
Epist. 157. ad Optatū & heres. 50. quas singulas singulæ replerent, vt Antropomorphitæ somniāt, teste D. August. quasi non haberet filius, aut spiritus sanctus in mundo, si vniuersum occupasset pater; non enim sunt corpora, quorum maior in tribus, quàm in singulis est magnitudo.

Sententia, In principio creauit, &c. exponitur.

CAPVT VIII.

CVm vniuersarum rerum creatio, nulla ratione demonstrari, vel sensu percipi queat, haud difficulter intelligere incumbit vnum esse credibiliū, vti declarat Symbolum Apostolicum. Neminem siquidem habuit suę originis creatum spectatorem, sed spiritu Dei afflatum sanctum Moysen tantæ rei testem accepimus dignissimum, ita eructātem: In principio
Lib. 1. Moysis cap. 1. creauit Deus cælum & terram. Quæ sententia triplicem intelligentiæ asciscit varietatē. Primam admittit de principio temporis, teste D. Basilio, & August. Qua eliditur error Seleucianorum & Albanensium, &c. qui Deum quidem non negarunt omnium authorem, mundique conditorem, sed creatis initium temporis attribuere recusarunt, & æterna ea, falsissimè persuadere conati sunt. Qui modo quodam vix intelligibili commēti sunt, mundum semper à Deo factum esse, nec vnquam suæ subsistentiæ originem duxisse. Erroris prætextum stabilientes, ex cōficta similitudine, quam ex eis in medium producit D. Aug. Quemadmodum, inquiunt, si pedem imagineris pulueri semper impositum, perpetua impressione factum subfuisset vestigium: sic mundi, quasi coæterni pedi vestigij dogmatisabant, nunquam exordium. Verum horum falsitatem refellit sacra pagina, inquiēs, Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequā quicquā faceret à principio. Et magnus quidam Theologus, Clarifica me Pater claritate, quam habui, antequam mūdus fieret. Quibus omnibus est in confesso, creaturas non esse sempiternas, sed in tempore, ac cum tempore factas, vt aliquod temporis instans præcedat res, quæ in tempore fiebant, hoc est, in prin-

Basil. lib. 1. Hexa. Augustin. lib. 1. de gen. ad literam, cap. 1. & li. 11. Ciuitat. Dei, cap. 4. Lib. 10. Ciuit. Dei, cap. 31.

Prouer. 8.

Ioan. 15.

in principio temporis, ac primo eius (quod est indiuisibile) momento: Vnde Concil. Lateranen. sub Innocen. 3. celebratum, docet Deum omnipotēti sua virtute ab initio temporis, vtramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem & corporalem. His aduersari videtur D. August. qui commemorat mundum in tempore non esse factum, quod enim fit in tempore, id ante aliquid temporis existit, tēpus igitur aliquid præcessit, si factus credatur in tempore mundus: Sed eo loci resoluit. Dum enim cum tempore factum subuertit, quia cum ipsa mundi conditione cœpit motus & tempus, quod scriptura innuit, cùm ait: Sex diebus fecit Deus cælum & terram, sine tempore sex dierum. Nec est mundus propriè in tempore, sed cum tempore vt dies vna, cùm cælo & terra cœperit. Prælibato errori affinis est, cuius meminit sanctus Ambr. sinuosus interpres Basilij: Quidam, inquit, mundum Deo statuunt coæternum, quasi adumbrationem Diuinæ virtutis, asseruntque eum sua sponte subsistere, & quanquam Deum eius causam non diffiteantur, comminiscuntur tamen causam non esse ex voluntate, sed vt corpus vmbram distendit, quæ corpori adhæret naturali magis societate, quàm voluntatis electione. Quibus ille obijcit scripturam, Fecit Deus cælum, & terram, non dixit, vt subsistere faceret, nec dixit, vt mundo causam essendi præberet, sed fecit Deus, quasi bonus quod vtile, vt sapiens quod pulcherrimum, tanquam omnipotens quod maximum. Fuêre & alij, qui mundum quidem principium habuisse, confessi sunt, sed nunquam desiturum. Pro huius articuli declaratione, neminem fugere debet, nomenclaturam mundi, varias in sacris literis sortiri significationes, secundum beatiss. Patrem August. Interdum enim sua generalitate vniuersam istam complectitur machinam, vnde dicitur: Mundus per ipsum factus est. Si igitur denotet solam cælorum, elementorumque substantiam, vera & Catholica est sententia. Alio modo, mundus in sacris eloquijs vsurpatur pro hominibus mundum inhabitantibus, indifferenter malis & bonis, quomodo dicitur: sic Deus dilexit mundum, vt filium suum daret vnigenitum. Et alibi, Mundus eum non cognouit. Iuxta huius acceptionis rationē, error emergit manifestus, quòd destrueretur secundus Christi aduentus. Subrepserunt & alij cum præfatis ex diametro pugnantes, quibus nunquam inceperit mundus, nec sui vnquam sumpsit exordium. Definet tamen post certa temporum interualla, secundum eos, quos allegat Ludouicus Viues super Aug. Illi autem regiam sectantur viam, & Catholicam obseruant regulam, qui credunt mundum exordium

Cap. 1.

Lib. 11. Ciuit. Dei, cap. 6.

Lib. 1. cap. 3. Hexa.

Genes. 1.

Libr. 12. Ciuit. cap. 12. & serm. 28. de temp.

Ioan. 1.

Mūdus multa significat.

Ioan. 1. & 3.

Libr. 11. Ciuitat. cap. 4.

habuisse iuxta præmissam sententiam, & nihilominus olim interiturum. Quemadmodum namq; loca sacra sceleribus horrendis prophanata, diuinis peragēdis sunt inepta, nisi expurgata reconsilietur, haud secus se res habet, in isto mūdo, qui varijs criminibus contaminatus, emundari necesse habet. Siquidem qualitates mundi quæ corruptibilibus nostris corporibus quasi proportionatæ congruunt, ardēdo penitus interibunt, teste propheta regio: Ipsi peribūt tu autē permanebis, & omnes sicut vestimentum veterascent. & Paulus: Prȩterit figura huius mundi. nec non Apostolus Petrus, Cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent. Quod intelligi nequaquam debet, quasi cæli planetarum crepitantibus ignium globis ardere debeant, & adustione expurgari, cū ibi homines non deliquerint, nec capaces sint peregrinæ impressionis, quos nec cathaclismus attigit, sed mirifico quodam diuinȩ virtutis opere singularem ascissent pulchritudinis splendorem, vt tanquam aurum in fornace probati, teste B. August. & expurgati, mirabilibus fulgoribus rutilantes, debitū exhibere queant beatis animabus obsequium. Nec elementa sunt per ignem abolenda, sed in melius commutanda, iuxta illud: Ecce creo cælos nouos, & terram nouam. & alio in loco: Vidi cęlum nouum, & terrā nouam. Altera autem expositio ita principium vsurpat, vt Deus intelligatur mūdum fecisse in exordio faciendi: istam reperire licet apud D. Aug. & Ambr. In principio, inquit, potest referri ad numerum, vt sit idem quod ante omnes visibiles creaturas Cæterum haud negligendum est aliud factū esse, aliquid in exordio faciendi, & aliud ante omnia visibilia: quia ante Conc. Lateranens. sub Innocent. 3. circa annum Domini 1215. celebratum, complures in illa erant hȩresi vt Angelos ante cælum & terram creatos non ambigerent, & proinde cælum & terrā esse facta quidem ante omnia visibilia, sed non in exordio faciēdi. Tertio modo per principiū intelligitur filius, vt sit sensus, In principio creauit, id est, in filio creauit, cui cōsentanea est Psalmographi sententia, Quā magnificata sunt opera tua Domine, Omnia in sapientia fecisti, hoc est, in filio. quemadmodum lucidius manifestatur, apud Ioannem, Omnia per ipsum facta sunt. & in sequentibus, Principiū qui & loquor vobis. Hic repulsam patitur vesania Simonis magi, à Samaritis originem ducētis, qui mentiebatur se per Helenā vxorem suam inuisibilia condidisse, visibilia nempe, mundū & homines condita fuisse per Angelos, teste Ephipha. dicebat enim se esse magnam Dei virtutem, & apud Samaritas quidem patrem, apud Iudęos verò filium se esse simulabat. Cōiugē aut scortatricem, nomine

[Marginalia: Psalm. 112. | 1. Corint. 7 | 2. Pet. cap. vlt. | *Cæli quomodo in fine mūdi peribunt.* | *Lib. 20. Ciuit. ca. 16. & 24. & de Eccle. dog cap.* 70. | Esa. 65. | Apoc. 21. | 2. *Expositio Aug. 11. Ciuit. cap.* 6. *lib.* 12. *confes.* 20. & *Amb.* 1. *Exa. cap.* 4. | 3. *Expositio. Aug. lib.* 1. *cōt. Manich. cap.* 2. *lib.* 11. *Ciuit. ca.* 32. & *lib.* 12. *ca.* 28. | Psalm. 103. | Ioan. 1. & 8. Act. | *Lib.* 1. *Tob.* 2 *hæres.* 21. | *Iniquitas Simonis magi.*]

nomine Helenā à Tyriorū vrbe exortam, spiritū sanctum dicere ausus est, ob quam se descendisse personabat. in vnoquoq; cælo trāsformabor, inquit, ad formā eorū, quæ sunt in vnoquoq; cęlo, vt laterē Angelicas meas potestates, & ad intellgentiā peruenirē, quæ sanè est Helena quā spiritū sanctū appellitabat, per quā & angelos se creasse cōfingebat, angeli verò mundū & homines creauere. Hāc absurditatē amplexus est & Meander, eodem test. Saturniani autē & Basiliani, mundū quidē ab angelis conditum non negarūt, quin & eos à superna virtute descēdisse, & cœptum mundū, & ea quæ in ipso sunt fecisse, mūdum verò secundū diuisionem vnicuiq; angelo sorte obtigisse, eosdemq; simul congressos, consiliū coēgisse, & communiter hominē fecisse, prælibato teste. Denique Gnostici, eorumq; sectatores Manichæus & Priscillianus, tanquam duos Deos, duo commēti sunt prima rerum principia, creaturā corporeā à dæmone, spiritualem verò à Deo profectā. docuit insuper Manichæus creaturas omnes corporeas ex se suaq; generatione malas esse, quod ex priori consequens esse volebat, quod videlicet à Deo malo cōdita essent, vt ipse sentiebat. Cōtra hos militāt plurima scripturarū loca, nam primo lib. Moysis dicitur: In principio creauit Deus. & alia scriptura, Creauit Deus vt essent omnia. Itē, Qui viuit in æternum, creauit omnia. & in Euāg. omnia per ipsum facta sunt, & mūdus per ipsum factus est. sic alibi, Qui omnia creauit, Deus est. Quibus passibus, rerū creatio nō angelis bonis, nec dęmonibus, neq; hominibus, sed soli Deo adscribitur. Quibus cōforme est Conc. Nicenū in suo Symbolo, credēs in vnū Deū Patrē omnipotentem, omniū visibiliū & inuisibiliū factorē, & Braccarēse primū, si quis dixerit creationē vniuersę carnis nō esse opificiū Dei, sed malorū angelorum, sicut Manichęi & Priscilliani dixerunt, anathema sit. his accedit & Conc. Lateranens. sub Innocent. 3. coactū, firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod est solus verus Deus, æternus & immēsus, omnipotēs, incōmutabilis, incōprehensibilis, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnū vniuersorū principiū, &c. Inficias ire nequimus quin diabolus princeps mūdi nūcupetur in sacris literis, & Deus huius sæculi. Verū his locis mundus & sęculū non naturā significant, sed vitiū important, & sectantes carnis desideria insinuāt. Quorum princeps & Deus dicitur diabolus, quod ipsius obsequantur volūtati, ipseq; tāquam mācipijs suis principetur, & in eis exerceat imperiū, quemadmodū alibi Apostolus cōmemorat, quosdā vice Dei colere ventrē: quorū, inquit, Deus venter est. Idem im cuiq; Deus est, ad quod quemque sua trahit voluptas, cuiq; præ

Cap. 22. | Hæres. 23. | Cap. 1. | Sapien. 1. | Eccles. 18. | Ioan. 1. | Ad Hebr. 3. | Canone. 13. | Canone. 1. | Ioan. 12. | 2. Corint. 4 | Phil. 3.

cæteris curam impendit. Quare contestatissimum relinquitur, ab vno solo Deo quem solum celebrant scripturarum monumenta, condita esse vniuersa: qui cum sit bonus, imò ipsa bonitas, nil nisi bonū producere potuit, vt scriptura testatur. Vidit, inquit. Deus cuncta, quæ fecit, & erant valde bona, & alio in loco: Omnis creatura Dei, bona est. Sic alibi, Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Ex quo concludi posse videtur, bona esse quæcunq; à bono Deo, non à dæmone facta sunt, neque enim si mala essent, diligi ab eo valerent, cui odio sunt, impius & impietas eius. Theophylactus hæresim præmissam refutauit, sumpto argumento ex panum multiplicatione per Christum facta, Nā si mala, inquit, esset creatura, bonus Deus illam vtiq; non multiplicasset, vt taceam interim, quod ipse panes comedit. Hic & Platonicorum somnia exibilantur, tria mundi principia in officina mentis fabricantium, teste Amb. Deum, Exemplar & Materiam. Deum namq; nō creatorem, sed artificem credebant, qui mundum secundum formam propositi exemplaris, de materia (quam hyben vocitare asolent, quæ gignendi causas omnibus præbuisse fingitur) fecisset instar fabri, secundum ideā & mentis conceptum, de lapidibus & lignis domum construentis. Beato Hieronymo tamen in quæstionibus Hebraicis præfata expositio parum arridet: Sic namque habet, In principio fecit Deus cælum, & terram. Plerique existimant, sicut in altercatione quoque Iasonis & Papisci scriptum est, & Tertullianus in lib. contra Praxeam disputat, nec non Hilarius in expositione cuiusdam Psalmi adfirmat, in Hebræo haberi, In filio fecit Deus cælum, & terram, quod falsum esse ipsius rei veritas comprobat. Nam & 70. interpretes, & Simmachus, & Theodotio, in principio transtulerunt, & in Hebræo scriptum est Bresit, quod Aquila interpretatur in capitulo, & nō baben, quod interpretatur in filio: magis igitur de filio Dei, intelligitur secūdum tropicam loquutionē, quàm verbi translationem.

Genes. 1. 1. ad Timoth. 4. Sapien. 11. Sapien. 14. Lib. 1. Hex. cap. 1.

Quid discriminis inter creare, & facere.

CAPVT IX.

Creare propriè est, de nihilo aliquid facere secundum Reuerendissimum Patrem Petrum Lombardum lib. 2. Sententiarū dist. 1. §. 1. Quo procul abesse iubentur, qui hanc mundialem machinam, ex Dei substantia exortam perstrepunt. Impossibile siquidem est, ex substantia Dei prodijsse quod de nihilo con-

nihilo conditum non ambigitur. Nil enim,& subſtātia Dei,immenſis diſcriminātur paraſangis. Concluderetur quoq; eodem falſitatis prętextu,creaturas eſſe incorruptibiles,ſuoq; creatori ęquales,teſte Beato Auguſt. Repulſam nihilominus hic patiuntur,qui præiacentem poſuere materiam. Omnia namq; quæ in rerum natura ſunt, aut quæ quiſque facit, ſecundum Auguſtinū, aut de ſe fiunt, aut ex aliquo, aut ex nihilo, homo quia non eſt omnipotens, de ſe filium producit, homo enim hominem generat, & ſol. Ex aliqua materia artifex arcam fabricat,ex argento vel auro, ſiue ligno arcam facere præualet, vel vaſculum, ſed aurum vel lignum producere,excedit humanæ infirmitatis inſufficientiam. Ex nihilo autem facere, vt aliquid ſit, nullus mortalium præualet, Deus autem vtpote omnipotens, ex nihilo mundum creauit, vt particula, ex, non cauſam ſignificet materialem, ſed ordinem duntaxat, denotet: ſicut dicitur ex mane fit meridies, id eſt, poſt mane, venit meridies, ſecundum D. Thomam Aquinatem. Verum hic nobis cum Grammaticis in arenā deſcendēdum occurrit,conſtanti animo refragantibus, Creandi nomenclaturam iſto vſurpari modo, & deridiculum exiſtimant,Reuerendiſſ. Antiſtitis ac Magiſtri noſtri diſcrimen, inter creare & facere. Quis,inquiūt,ſcriptorum probatorum ad eum ſignificationis modum,verbum creandi reſtrinxit,cum ſecundum ipſam vocis rationem inueniamus, creare idem eſſe, quod aliquid ex alio facere, quoniā primo Gen. capite legitur, Deus cœte grandia creaſſe, quæ ex materia facta fuiſſe quis abnuat? & apud Eccleſiaſticum, Deus de terra creauit hominem. Et iterum, Altiſſimus de terra creauit medicinam. Deinde verbum Hebraicum Bara,nil aliud quàm facere ſignificat,eademq; vox cōſtituitur in cœte grandium creatione, ergo & Latini & Hebræi pugnant contra dictam vocis vſurpationem. Præterea D. Aug. inuertit ordinem, quia ex diametro cum Magiſtri acceptione pugnat In ſcripturis, inquit, creare & facere in hoc diſtinguuntur, vt fieri dicatur, quod omnino non erat, creare autem ſit, ex eo quod iam erat ordinando conſtituere. Quid igitur an Grammaticis herbam reiecta tanti magiſtri ſententia porrigemus. Sanè nonnulli cauſam Magiſtri minus cordi habentes, frigidiuſque tractantes, dixerunt eum ſic hanc vſurpaſſe vocem, quòd Latinus interpres, ea ſit vſus, cum earum rerum quæ ex nihilo factæ ſubſiſterent,conditionem proferret. Sed ſalua ſemper hic & vbique ſanctæ Romanę Eccleſiæ authoritate,& maturiori bonorum Doctorum iudicio, partes Magiſtri tueri debemus, ita quod inficiari nequeamus, creandi verbum, ſiue

Lib. 12. confeſſ. cap. 7.

Lib. 2. de act. cum Fælice. cap. 18.

Omnia ex tribus fiunt.

Tho. 1. parte quæſt. 45. art. 1.

Cap. 1.

Cap. 17.

Cap. 28.

Lib. 1 cōt aduerſ. leg & prophe. cap. 33.

bum, siue Latinã, siue Hebræam spectemus vocem, ex sua significatione quam vt de nihilo tantum facere quippiam significet, vt communis sit, & ad creationem ex nihilo, & eam quæ fit ex aliquo, latius pateat. Sicut nomen Ecclesiæ generalius quàm ad veram Dei Ecclesiam si spectemus vocis etymon extéditur, nam malignantium non excludit. Quò autem dilucidius expediri istud queat negotium, non solum verbi creo vsus est expendendus, sed huius præsertim abstractorum, creator, & creatura: vti sanctus Apostolus loquitur, seruiérunt creaturæ potius quàm creatori, vbi profecto nomenclatura creaturæ, omnis res alia à Deo: est cõprehensa, nomen autẽ creatoris Deo proprium est, qui solus creator censetur ob quendã efficiendi modum, nulli creaturæ communem, nempe cum quo quippiã fit ex nihilo. Creaturæ autem nomen, rei non conuenit, nisi ad Deum comparatę: & D. Hieron. contra Luciferianos, filium negat esse creaturam, Amb. verò ad hunc colligit modũ, spiritus est creator, ergo spiritus est Deus, cæteris creaturis existentibus: & D. August. omnium rerum creatarum, nulla est causa, nisi bonitas Dei creatoris. His sanè omnes pręmissæ voculæ ita fuêre vsui, vt creatoris nomen Deo proprium, creaturæ verò commune omnibus rebus existeret: vnde idẽ ipsum creari ab eo quod est gigni differre docet. Itaque Magister sanctarum scripturarum & orthodoxorum patrum sequutus Grammaticam, Theoninis dentibus non est rodendus, nec caninis rictibus mordendus.

Roman. 1.
Creator & creatura facti, & creator.
Lib. 1. de Spiritu sancto cap. 5.
Enchirid. cap. 9.
Cont. aduers. leg. & proph. cap. 23.

Nomenclatura Deus quid importet, vbi dicitur: In principio creauit Deus, &c.

CAPVT X.

QVorum nomina penitus ignorabant antiqui, earum rerum nominibus Deos appellabant, quas aliqua inde vocabula inflectendo ab eis dari sentiebant, veluti à bello Bellonam non bellum nuncuparunt, secundum Aug. à cunis Cuninam, non cunam, à segetibus Segetiam, nõ Segetem, à bobus Bubonam, non bouem. In hoc argumento nos Germani videmur Gentes imitari, qui ratione rei perceptæ aut percipiendæ Dijs nomina indebant, vt à goet Godt deriuetur, teste Philone, Deum bonitatis auctorem confirmantę. In præsentia autem dissimulandus non est Solœcismus, quo vtitur sanctus Moyses, adiungendo nomen pluralis numeri verbo singulari, inquiẽs, Bara elohim, hoc est, creauit dij, cuius loco nostra translatio habet, creauit Deus. Verùm hic grande mysterium, & mirabile sa-

Lib. 7. Ciuit. cap. 3. & 12.
Lib. 2. allegoriarum leg.
Godt vnde deriuetur.

rabile sacramentū, sanctus Moyses nobis insinuare curauit, quia cum iuxta August. sententiam, opera superbenedictę Trinitatis sint indiuisa, Moyses ad insinuādas illas tres personas, Patrē, Filium, & Spiritū sanctum, simul ad mundi creationē concurrisse, Elohim in plurali dixit, id est Dij, & non Eloha, siue El, id est Deus in singulari. Ad demonstrandum autem illas tres personas essentiali discrimine non seiungi, sed prorsus idem esse, hoc est vnum & nō tres Deos esse, ac sacram triadem in vnitate essentiæ existere, Bara in singulari protulit, id est creauit, & non Barou, in pluratiuo numero, quod est creauerunt. Constat itaque per nomen Elohim, cum verbo singularis numeri iunctum, & personarum Trinitatem, & essentiæ diuinæ vnitatem optimè declarari. Neoterici autem Iudæi cum textum hunc minimè reijcere valeant, ipsum falsa expositione deprauare conantur. Asserunt enim nomen pluratiuum Elohim, vtramque habere significationem indifferenter, singularē & pluralem, quod etiam comprobat D. Hyeron. Epistola ad Marcellam. Si autem veri Dei significatione subeat, iugem sortiri singularitatē, nec posse complecti personarū Trinitatem, quam execrātur, nam Christianos, quos Nazaręos appellāt abominantur, singulisq; diebus ter, nempe, matutino tempore, meridie, & vesperi, absolutis Synagogæ precibus detestando maledicunt, & diris precationibus excommunicant: teste Epiphanio & Nicolao Lirano. Sed horum calumnia Iudæorū non difficulter euincitur, ex ipso Genes. 1. cap. vbi dicitur, faciamus hominē, quod vtiq; de vero Deo intelligendum est: si hic singularem asciscerct significationem, non faciamus secūdum Athanasium, sed faciam pronunciasset.

Lib. 1. de prædest. sancto. cap. 8. epistola 102. ad Euodiū 105. ad Sixtum tract. 5. 20. & 104. in Ioannem.

Creauit Deus exponitur.

Singulis diebus Iudæi, ter maledicunt Christianis.

Lib. 1. to. 2. hære. 29. & Nicolaus Lira. lib. de incarnatione verbi.

Lib. cōt. Idol.

Cælum & terra quid in propositione, Creauit Deus cælum & terram, significet.

CAPVT XI.

DEinde Deus legitur creasse cælū & terram. Qua particula Angeli, & omnia alia extra Deū secluduntur, quia creare non conuenit Angelis, quantū enim quis ab alio recipit, tantū eius amori obligatur, iuxta illud Greg. Quāto crescūt dona, tāto crescunt rationes donorū, sed creatio est actio, qua tota substātia ex nihilo, quāsi quis à creatura participaret, tūc illi tanquam Deo acceptam ferre deberet suę substātiæ creationē, secundum B. Tho. quod impiū est vel cogitare, cum creaturis hoc adscribere, sit idolatrare. Tū etiam secundo, quia limitata est angelorum potētia, nec vniuersaliores effectus sunt reducendi, nisi ad

Homil. 9. lib. 40. homiliarum.

1. part. quæst. 45. art. 5.

Grego. quāti faciat concil. generalissima.

vniuerſaliores cauſas, videlicet ipſum ſolum Deũ, quemadmodum cõfirmat Concilium Nicenum in Symbolo (cui D. Gregorius cum reliquis tribus Conſtantinopolitano, Epheſino & Calcedonenſi, tribuit robur & authoritatem ſacri Euangelij) credimus, inquit, in Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inuiſibilium factorem. Et Lateranenſe, vt reliquis ſuperſedeamus, vbi ſic legitur: Vnum eſt vniuerſorũ principium, creator omnium inuiſibilium & viſibiliũ, ſpiritualium & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis, vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, angelicam, videlicet & mundanam, ſicque interpretatur voculas cæli & terræ, beatiſſ. Pater Auguſt. perinde atque ſanctus Moyſes dixiſſet, creauit cælum & terram, hoc eſt, angelicam & corporalem creaturam. Altero modo nomine cæli, accipi poteſt cælum Empyreũ, quod eſt beatorum habitaculum, nomine terræ, materia omnium corporum, ſiue cæleſtium, ſiue terreſtrium. Tertiò, nomine cęli intelligi dantur tria elementa, nomine terræ, terrenum, centri vicem obtinens. Vltimò, nomine cæli & terræ, intelligitur ſecundum eundem, materia informis omnium corporum, vt ſenſus ſit: In principio creauit Deus cælum & terram. i. materiam ex quà debebat fieri cælum, omniaque elementa. Dicuntur quidem omnia ex nihilo condita, non quod nulla creaturarum ex præexiſtenti facta ſit materia, ſed quoniam cùm præter Deum ſolum, nihil omnino exiſteret, primordia & ſeminaria ex nihilo condidit, ex quibus quædam proceſſu temporum fierent. An autem corpora cæleſtia & quatuor elementa, ex nulla præexiſtente materia facta ſint, ſed ſtatim ab exordio, proprijs ſuis formis diſcreuerit Deus, an verò aliqua temporis duratione rudis materies diſtinctionem anteuerterit, controuertitur. Poſteriori opinioni adſtipulari videtur ſcriptura, inquiens: Conditum eſſe mundum à Deo ex materia inuiſa. Pro priori militare videtur, quod dicitur: In principio feciſſe cælum & terram. Si namque ante cæli, terræque formationem materia præextiterit, illa potius in principio creãdi, facta eſſe dicenda erat: At quemcunque tandem creationis modum habuerunt præmemorata iam corpora, id ſatis conſtat, quod reliqua ex elemento, tanquam preiacente materia exorta ſint, vt mixta, imperfecta, mineralia, plantæ, & animalia. Conſtituuntur enim hæc, ex materia elementaribus contemperata qualitatibus, vt primo cap. Geneſeos dicitur. Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram, ſub firmamẽto cæli: Rurſus, germinet terra herbam virentem, &

Lib. 1. Epiſtolarũ, cap. 24. lib. 2. ca. 49. & libr. 3. epiſt. 33.

Sub Innocen. 3. cap. 1.

Lib. 1. de Gen. ad literam cap. 1.

Vbi ſupra ca. 5. & lib. 12. confeſſ. cap. 19.

Sapien. 11.
Geneſ. 1.

tem,& facientem ſemen,iuxta genus ſuum, lignumque faciens fructum. Item producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta & reptilia,& beſtias terræ,ſecundum ſpecies ſuas. Denique homo formatus legitur de limo terræ, quia tamen vt prælibauimus,primordia & ſeminaria earum rerum, ex quibus iſta conſtant,ex nihilo ſunt,& iſta,& cętera omnia ex nihilo eſſe dicuntur.

Deus omnia ſua ordinatiſsima diſpoſitione gubernando conſeruat.

CAPVT XII.

QVandoquidem non ſit minor virtus,quàm quærere parta tueri, Diuina immenſæ maieſtatis celſitudo, res quas exiguo temporis ſpatio produxit creando,intertenendo perpetuò conſeruat, niſi enim vniuerſa virtutis ſuæ potentia conſeruaret,ad nihil tenderent,moxque niſi gubernantis manu tenerentur,durare nequaquam poſſent; Cuncta namque in illo ſubſiſtunt, quo creata ſunt, nec ea quæ viuunt, ſibi ipſis vitam tribuunt, neque ea, quæ mouentur, & non viuunt ſuis nutibus ad motum ducuntur,ſed ille cuncta mouet,qui quædam viuificat, quædam verò non viuificata in extremam eſſentiam ritè ordinans ſeruat. Cuncta quippe ex nihilo facta ſunt, eorumque eſſentia, rurſum ad nihilum tenderet, niſi author omnium ea regiminis manu retineret. Omnia quę itaque creata ſunt,per ſe nec ſubſiſtere præualent, nec moueri, ſed eo ſubſiſtunt modo, quo vt eſſe debeant,acceperunt. Sicut namque videmus aquam diffluere:nec ſigilli impreſſionem retinere,niſi actu præſto attigerit aquam,ita humanæ mortalitatis infirmitas labitur,ac rapido fluxu,quaſi ad nihil trahitur,niſi ab omnipotēte conſeruatore interueniatur, hinc Ioannes loquitur: Pater meus vſque modo operatur,& ego operor,creatas recens animas infundendo. Spiritus namque à facie eius egreditur & flatum eius facit. & alio loco:Dans flatum populo,&c. Item operatur,creata gubernando. Nec creata duntaxat in rerum natura conſeruando, ac vice ſuſtentaculi rebus ſe præbendo, quo ſine corruerent, vt manifeſtum euadit in corpore humano,quod vbi anima,vel ad momentum reliquerit, protinus in puluerem, vnde originem ſumpſit, reuertitur, at vbi ſpiritus energiæ, ſibi ingenitæ, vim inſinuauerit,quaſi ex Orco regreditur, & vitales ſatagit carpere auras. Sic Deo creaturas relinquente,nil à ſe habere dinoſcuntur,quàm intercidere & deficere,teſte Pſalmographo. Auertēte

Animā Deus creando infundit. Ioan.cap.5. Eſaiæ 57. Eſaiæ 42. *Deus adhuc dupliciter operatur.* Pſalm.104.

te faciem tuam turbabuntur, auferes spiritum & deficient, & in puluerem suum reuertentur. & alio in loco, Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum tu illic es, si descendero ad infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua: hanc conseruationis dexteram super se sentiebat, qui dicebat: In ipso viuimus, mouemur, & sumus. Nec solum creata, essentiæ perpetua sæculorum perduratione continuat, sed & ea æquo moderamine gubernat, ac quæque in suum finem ac scopum destinando dirigit. Nisi enim ordinis series prouido gubernatore obseruaretur, confusionis plena vniuersitas redderetur: Hinc Sapiens docet, Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu permisisses? aut quod à te vocatum non esset conseruaretur, Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, quod vel maximè liquet in mysterijs ratione salutis nostre, laborioso conatu celebratis. In exordio siquidem dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & efficaci operatricis voluntatis iussu creata sunt, sed non ita reparata, aut in bonum salutis finem deducta, quippe olim ad imaginem creati, iam versa vice Deus ad imaginem hominis factus, exinaniuit se vsque ad mortem crucis: & alio in loco, Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Nec hoc solum, sed totus vitæ eius decursus, ærumnis atque laboribus non ambigitur propter nos nostramque salutem consecratus, vt verè dixerit, magnum illud Ecclesiæ lumen B. August. Maioris virtutis & potentiæ fuisse, quod Christus factus sit inter homines, quam quod fecit inter homines. Quæ in hominibus, alijsque creatis nunquam egisset, nisi singularis nostri cura illi cordi fuisset, ac Thesio prorsus pectore vniuersas creaturas prouida dispensatione gubernaret atque dirigeret.

Psalm. 138. Actor. 17. Sapien. 1. & cap. 8. Sicut nos prius ad imaginem Dei, itaiam Christus ad imaginē nostram. Philipp. 2. Roman. 8. Tract. 17. in Ioannem. Christus quantopere nos dilexit.

Diuina gubernatio defectum in rebus non excludit.

CAPVT XIII.

PRæsenti doctrinæ capite dispiciendum occurrit, vtrum Deus vniuersa immediatè gubernet, an certis hac de causa vtatur medijs. Bifariam hæc quæstio est partienda, teste August. nam primo considerãda est ratio ordinis rerum in finem, quæ in summo omnium Deo constituta reperitur per occul-

Lib. 8. de gen. ad literam. cap. 9.

occultam Dei administrationem, etiam in lignis & fruticibus, quibus incrementum præstat, atque si Deus omnia per se, solum administraret, ac gubernaret, nihil inordinati in vniuerso fieri res sineret, quia ab optimo Deo, non nisi optima sunt expectanda, & quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Altero respectu est huius ordinis exequutio dispicienda, quam fieri secundariarum causarum adminiculo ordinauit, vt videlicet inferiora per superiora gubernentur, secundum eundem Aug. Deus, inquit, tanquam summus rex, in cęlesti sede velut in domo sua præsidēs, inde quibusdam ordinatissimis creaturæ motibus, primo spiritualibus, deinde corporalibus, per causata diffundit, quemadmodum corpora inferiora & grossiora, per superiora & subtiliora, reguntur, & omnia corpora spiritu vitæ, Spiritus autem vitæ irrationalis per rationalem, & spiritus rationalis desertor, id est, peccator, per spiritum rationalem iustum. Sicut rex quispiam, qui ditioni suæ populos subiectos (ob insufficientiam, qua omnibus & singulis etiam in minimis præesse nequit) exequendo gubernat, per Consules, Prætores, & tortores: hoc modo Deus, sancto Noë patriarchæ primitus gubernacula inter mortales commisit, eique curæ humani generis conseruatio in Arca fuit, qui & ipse sacerdos altare Domino erexit. Huic autem rerum gerendarum gubernationi, successerūt Patriarchæ, Iudices, Reges, ac Sacerdotes, aliiq; ad fœlicissima Christi Iesu in æternum benedicti tempora, gubernacula tenentes. Qui Christus naturalis est Dominus ac rex noster, secūdum Psalmographum, Dęus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis, qui tandem legationis suæ periodum in hoc mortali corpore, emensus, Apostolorum verticem, Petrum eiusque successores censuit, his claues regni cælorum tradidit, huic pascendas oues, atque ad caulas regni cæleстis cum successoribus commisit. Deus tamen istis ac eius farinæ causis secundarijs non vtitur ob insufficientiam, vel virtutis suæ defectum, sed propter bonitatis suæ demonstrationem, qua vult vt dignitas causalitatis aliquo modo etiam communicetur creaturis, vt docet angelicus doctor D. Tho. Hinc omnia ad laudes Dei promendas cum tribus pueris excitamus: Benedicite Dominū omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatē eius. Et alio in loco: Ignis grando, nix, glacies, spiritus procellarum, qui faciunt verbum eius. Ex his liquido constare potest, Diuinam prouidentiæ gubernationem, non impedire, quin corruptionis vitiū atq; defectus, in rebus oriri queat. Diuina siquidem gubernatio dispositissimo moderamine ordinata, non excludit secundarum causarum cooperationem, vt manife-

Margin notes: 1. Corint. 3. — *Duo in gubernatione rerum consideranda.* — *Lib. 7 de Ciuit. Dei, cap. 30. & lib. 3. de Trinitate cap. 4.* — Genes. 8. — Psalm. 71. — Matth. 16. — Ioann. 20. & 21. — *1. parte quæst. 22.* — Psalm. 102. & 148. — *Deus causis quare vtatur secundariis.*

manifestum euasit. Contingit autem prouenire defectum, in rebus ob defectum causæ secundariæ agentis, absque culpa, aut defectu primariæ causæ, sicut in effectu docti artificis perfectè artem callentis, contingit aliquos defectus propter instrumenti rubiginem, aliùmve similem defectum, vel sicut hominem, cuius vis motiua est fortis, contingit claudicare, non propter defectum virtutis motiuæ, sed propter tibiæ curuitatem. Contingit ergo in his, quæ à Deo gubernantur, aliquem offendere defectum propter causarum secundarum imperfectionem, licet in primariam causam nulla cadat. Insuper quemadmodum Diuina prouidentia vniuersaliter malum à rebus non excludit, ita contingentiam admittit, nec necessitatem imponit, quia non secludit causas secundarias, ac proximas, ex quibus aliqui effectus dicuntur necessarij, vel contingentes, non autem ex remotis causis, quia fructificatio, plantæ est effectus contingens propter causam proximam, quæ est vis germinatiua, quæ multis potest impediri occasionibus, & deficere varijs de causis, quamuis causa remota agat ex necessitate. Cùm igitur inter causarum proximarum varietatem, multa sint quæ deficere possint, non omnes effectus, qui Diuinæ gubernationi & prouidentiæ subduntur, erunt necessarij; sed complures reperientur contingentes.

Similitudine probat quod docet.

Alia similitudo.

Deus omnia creando ac gubernando, semper manet immutabilis ac inuariabilis.

CAPVT XIIII.

Diuina substantia multitudine partium non est dilatata, nec varietati accidentium obnoxia, nec formarum multiplicitati subiecta: est enim incõmutabilis in omnibus, & inuariabilis. Vnde sanctus Moyses lib. 4. Non est Deus quasi homo, vt mentiatur. & Malach. Propheta, Ego Deus & non mutor. & Apostolus: Regi sæculorum immortali, inuisibili. & Iacobus: Apud quem non est transmutatio. Hanc doctrinam varijs scripturarum testimonijs comprobant, D. Augustin. & Thomas. Nec sequitur: Nemo potest dare quod non habet, Deo quo moueatur non est motus, igitur nequit alijs à se communicare motum. Quia formaliter loquendo, quamuis Deus motum non habeat, causaliter tamen efficit motum, permanẽs ipse immobilis, vt dicit Regius Psaltes: Mutabis eos & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Atque istud D. Athanasius, tribus satis congruis similitudinibus demonstrat.

Cap. 23. Cap. 3. 1. ad Timoth. ca. 1. De nat. boni. ca. 24. lib. 5. De Trinit. cap. 1. lib. 7. cap. 1. parte quæst. 9. Psalm. 101. Oratione cõtra idola.

monstrat. Quemadmodum, inquit, in choro coniuncto, diuersis ex personis, pueris, senibus, fœminis, iuuenibus, sub vno præsule ac moderatore, quisque, quantum pro sua natura potest, cantat, ille quidem vt vir, iste verò vt puer, alius instar senis, omnes tamen vnam & eandem absoluũt harmoniam. Vel vt nostra anima eodem tempore sensus nostros pro cuiusque officio exercet, & ad vnam rem oblatam, simul omnes mouentur: adeò vt oculus videat, auris audiat, manus palpet, olfactus odores percipiat, gustus delibet, sæpe quoque nec aliæ quidem interea corporis partes sunt otiosæ, adeò vt inter ista pedes quoque obambulent. Vel tertio, magna est istius rei similitudo in magna ciuitate & populosa, & in ipso qui eam condidit moderatore ac Rege; Vt enim præsentia Regis imperantis simul & ad omnia pariter intenti, omnes sunt obsequijs mancipati. Est qui rus colat, alius ad curiam pergat, Iudex item ad iurisdictionem. Prætor autem ad tutelam, curamque legum obseruãdarum se confert, opifex statim ad opus tendit, nauclerus ad mare descendit, faber tractat fabrilia: hæc omnia & similia ad pręsentiam vnius moderatoris & disciplinam, fiunt & constituuntur; Ita quoque omnia in vniuersa rerum natura geruntur, nam exemplum licet minutius sit maiore tamen inde intellectu adsequeris, vnico enim momento ad nutum verbi Dei omnia simul dispensantur, & quæ cuiusque sunt propria, fiunt, & ab omnibus idem ordo conficitur: nutu enim & viribus præfecti moderatorisque omnium, cælum cieri cognoscitur, sol radios diffundit, luna circumambulat, montes in altum exurgunt, mare vndis crispatur, suaque in se animalia nutrit, terra immobilis permanens fructificat. Ipse interim in omnibus & dux & rex, & conditor omnium, omnia pro iudicio arbitratuque, immobilis atque immutabilis moderatur, atque gubernat. Nec his obstat quod Deo diuersa adscribantur nomina, vt sunt, creator, pastor, refugium, pœnitere, irasci, diuersam significationem habentia, & nonnullam mutationem præ se ferentia, quia haud denotant varias in Deo differentias, cùm illæ summæ eius simplicitati repugnent, teste B. Greg. Nazians. & Prospero. Et licet videãtur significare Deum ad nos aliter atque aliter se habere, quia refugium factus videtur, qui prius non erat, & amicus qui amare incipiat, mutationemque proinde in voluntate constituat: dicendum est, quod quædam dicantur de Deo, ratione affectuum tempore suo creaturis contingentium: Deus siquidem quando sine vlla sui mutatione, in creaturis aliquam operatur mutationem, tunc ex huiusmodi mutatione, nascitur quædam in creatu-

Similitudinibus aliquot ostendit Deũ immobilem, omnia mouere.

Diuersa nomina Deo quare attribuantur.

Libr. 5. de Theolog.

Lib. 2. de vocati. gen. cap. 10.

creaturis erga Deum relatio, non in Deo, quippe qui est immutabilis, sed quia relationem intelligere nequaquã sufficimus, sine opposita relatione quam habemus, aut cogitatione fingimus: Hinc est quod facta circa creaturam mutatione, Deo nomen aliquod nouum attribuimus, quo significamus eam habitudinem, quam in Deo cogitatione fingimus, dũ mente concipimus eam habitudinẽ, quam creatura sui mutatione erga Deũ est adepta.

Genes. 6. Licet etiã legatur per Moysen, Deus tactus fuisse dolore cordis intrinsecus, & quod pœnituerit fecisse hominẽ. Non tamen opinari debemus, Deum talibus fuisse passionibus subiectũ, sed similitudinaria, & metaphorica loquutione, ad modũ pœnitentis se habuisse, atque in creatis demõstrasse artificis instar, quem cum

Aug. libr. 1. cont. aduers. leg. 20. lib. 3. cont. Simpli. cap. 4. Greg. libr. 6. in 1. Reg. cap. 1. Tho. 1. part. quæst. 13.

pœnitet facti operis, illud demolitur, & destruit, sic Deus: vnde subditur, delebo hominem à facie terræ: Sicut etiam columna fit dextra animali, nulla mutatione circa eam facta, sed animali translato. Vel Sol qui vnicus est, multipharíam tamen variatur in rebus inferioribus, quas luciformes reddit, quin & oppositos effectus prodit, ceram emolliendo, lutum indurando, incommutabilis tamen perseuerans. Et vna hominis facies vnitatem non amittit, tametsi in decem speculis magna locorum intercapedine distitis, effigiem suam efformet. Nec primitiuum sigillum ab vnitate decedit, eo ipso quod in diuersis ceris impressione multiplicetur, recipientium qualitate variata, secundum B. August.

Diuersæ eiusdem rei similitudines. 5. Ciuit. Dei, cap. 25.

Sic irasci legitur, qui prius irasci non dicebatur: Ira namque Dei non habet perturbati animi furorem, aut bilis excandescentiam, sed vindicta eius, quæ non nisi iusta esse valet, iræ nomen obtinet: Deus siquidem cum tranquillitate iudicat. Non est ergo

Sapien. 12. Li. 8. de prouiden. cap. 5. De prædest. & gratia, ca. 5. & lib. 5. de Trinit. cap. 2.

mutatio in Deo, propter pœnitudinem, aut iram, vel rerum ex tempore creatarum vicissitudinem, cùm ab æterno præuiderit se eas quo productæ sunt tempore, producturum. Exemplo sit nobis mundus, qui licet ex tempore cœperit, tamen in illa Diuinæ sapientiæ luce faciendus, nullum habuit principium. Atq; quotquot, ab Adam vsque ad præsens, nati sunt, vel post nostram ætatẽ generationis propagine sint nasciturí, apud Deum

Aug lib. 11. de Ciuit. Dei, cap. 4. libr. 10. confess. 6. Atha. oratione cõt. Idola. Pulcherrima similitudo.

iam nati sunt, teste D. Gregor. Niceno, & B. Augustin. Profectò ordinatissima sua mũdus mutabilitate, nec non visibilium omnium pulcherrima specie, ipse mundus quodammodo tacitus, factum se esse, & non nisi à Deo ineffabiliter magno & pulchro, fieri se potuisse proclamat, quod appositissima D. Athanas. demonstrat similitudine, Si quis, inquit, à longinquo citharam audiat, & multis ac diuersis neruis compositam, ex ijsque concentum harmoniæ admiretur, ac nõ solum graues sonum suum absol-

abſoluere, vel acutos, vel medios, ſed omnes pariter ſimili modo inter ſe conſonare, planè ex eo intellexerit, non ſeipſam citharam mouere, aut à pluribus pulſari, ſed vnum eſſe muſicum, qui vniuſcuiuſque nerui vocem, ex arte ad concentum harmoniæ miſceat, etiamſi illum non contueatur: ita quoque ex conſona vbique & concinna mundi diſpoſitione, nec ſuperioribus contra inferiora, neque inferioribus contra ſuperiora inſurgẽtibus, ſed omnibus in commune, vnum ordinem conficientibus: conſequens eſt, Deum aliquem, natura hoc ipſum declarante, verè eſſe credendum, omniaq; ab incommutabili Deo adminiſtrãda.

Dei bonitas eſt cauſa rerum creatarum.

CAPVT XV.

Simul atq; prioribus diſtinctionis periodis, optimus Magiſter cauſam efficientem vniuerſorum edocuit, quibus comprobauit omnia ab vno Deo profecta, eumque vnicum rerum principium, ac omnia ex nihilo producta eſſe: in præſentia proponere incumbit cauſam tãti operis finalem, ob quam videlicet conditum exiſtat. Etenim, omne agens quod ratione dirigitur, & diſcretione conſilij perficitur, ob aliquem finem ſuſcipit actionem, nec aliam reperire eſt, quàm Dei bonitatem, cuius naturalis proprietas eſt, ſe diffundere, ac alijs ſui copiam facere. Igitur ſuperabundantia bonitatis complacuit Deo, vt fierent quædam, quibus beneficia impẽderet, & quæ eius participarentur bonitate ſecundum diuerſos gradus ac ordines, quos Diuina ſapientia decentes & congruos eſſe prçuidebat. Cùm enim omnibus creaturis commune ſit, quod ex operationibus aliquem conquirãt fructus profectum: Soli Deo id peculiare offenditur, vt amore quæcunque voluerit, faciat, Non ſibi tamen, ſed alijs proſit: qui ſecũdum vatem Regium, bonorum noſtrorum non eget. Imperfectionis autem & indigentię magnum fuiſſet argumentum, ſi in rerum creatione finem aliquem externum & à ſe ſeparatum, ſibi præſtituiſſet, cuius amore vel deſiderio creationis opus ſuſcepiſſet. Cumq; bonitati & gloriæ ſuæ manifeſtandæ omnia ſeruire voluerit. Vniuerſa enim propter ſemetipſum operatus eſt Deus. Et alio loco: Omnia creaſti propter voluntatem tuam. Non tamen in hoc proficit ipſe, cuius maieſtati accedere nihil poteſt, ſed creatura: Ergo propter ſui gloriam, non augendam, ſed manifeſtandam, & communicandam, omnia creauit Deus, in cuius manifeſtatione ac participatione attenditur creaturæ vtilitas, nempe glorificatio & beatificatio.

Pſalm. 15.
Prouer. 16.
Apocal. 4.

Ratio-

Rationalis creatura quare creata.

CAPVT XVI.

DVplicis generis creaturas, ex institutione rerum non fuerit difficile scitu, visibiles, & visu imperceptibiles, corporeas atque incorporeas. Harum quædam rationis

Periphrasis angelorum. participes, tanquam ciues cōscripti sublimibus cælorum mansionibus inserti, perpetuis laudum præconijs Deum contemplantes, magnificant. Quædam in inferioribus degentes, alteram hominis partem inuisibiliter constituunt, nempe animæ

Creaturarum diuisio. rationales corporibus infusæ. Visibilium & corporalium quædam sunt rationis capaces, quales sunt homines. Aliæ rationis expertes, vt cæli, elementa, & id genus aliorum: quibus omnibus illud commune est, vt in ijs diuinæ bonitatis eluceat imago. Nulla namque res est, cui non sit impressum illius summæ bonitatis vestigium, altisq; suæ conditionis Stentoreis quibusdam vocibus, exclamet, fecisti nos Domine, & non ipsi nos.

Psalm. 99. Atqui rationalis creatura, nō modo bonitate Dei facta existat, sed etiam ipsam summi Dei bonitatem cognosceret, cognitam amaret, atque adeò ipso Deo frueretur. Quo fit, vt hæc creatura vno respectu partes serui subeat, altero dominæ princi-

Hominis prerogatiua in terris. patum teneat: serui quidem sui conditoris, cuius iussa capessere dignum & iustum erat: cæterarumque rerum imperatrix consisteret, vt sicut Deus in regno cælorum dominaretur, ita

Genes. 1. homo quasi Deus terrestris, in inferioribus rerum potiretur. Crescite, inquit, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram. & alibi,

Ecclesi. 17. Dedit Deus illi potestatem eorum, qui sunt super terram: posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum & volatilium: quibus ad gloriam Domini sui amplificandam, & salutis acquirendæ vtilitatem, vteretur. Hoc igitur inter Deum & hominem cæterasque res, quantum attinet ad quippiam efficiendum, interest: quod Deus vtpote perfectus summaque bonitate plenus, nec incrementi augmentum, nec diminutionis defectionem patiatur, nec vt beatior euadat, operatur, nec vllam perfectionem operatione asciscit, sed elargiendo replet; Cæteræ verò, suas eò referunt operationes, vt incremento perfectionem addant, aut si sint suæ perfectionis modum assequutæ, eam continua essendi perpetuitate conseruent.

Causa

Causa creationis rerum Origenica, refellitur.

CAPVT XVII.

HIs ita constitutis corruit Origenicum figmentum, ex fabulosa Platonis schola depromptum, quo grauissimum errorem, nec minus impium in Christianam religionem inuehere nitebatur, quando corpora cælestia atque terrestria, totamque hanc visibilem mundi machinam, non ideo à Deo conditam, vt suam diffunderet bonitatem, ac illustrem redderet tantam potentiæ suæ maiestatem, sed vt mala puniret, non, inquam, vt bona conderentur, sed mala cohiberentur nam in libro primo Periarchon cap. 8. causam, cur tanta sit corporum formarumque diuersitas, referens, vt alia nobiliora, alia ignobiliora sint, alia decora, alia indecora, alia formosa, alia deformia, cur inter homines alij claudi, alij coclites, aut cæci, huius diuersitatis causam non aliam agnoscit, quàm varia spirituum peccata. Sic peccarunt, inquit, angeli, vnus alio magis. Quamobrem cogitauit Deus illis carceres condere, quibus angustiati affligerentur, id est, corpora pro varietate peccatorum diuersa, aliquos siquidem in canes dimisit, alios in porcos detrusit, quosdam caponibus inseruit, alios in asinos, alios in solem & lunam, vt orbis sui circumgiratione, ac reuolutionis inquieta mobilitate cruciarentur, præcipitauit: alios in humana etiam intrusit corpora, vt in eis pœnas dare cogerentur. Huic errori parum dissentaneus videtur, liber quæstionum vet. & noui testa. apud D. August. quæst. 2. Quo liquidò constat eum non esse August. sicut probatu etiam haud esset de Melchisedech difficile. Vbi plus quàm dici queat, aiunt, Epiphanius de hæres. Origenis, & beatus Pater August. miramur hominem in ecclesiasticis literis, tam doctum & exercitatum, non attendisse primum, quàm hoc esset contrarium scripturę huius tantę authoritatis intentioni, quæ per omnia opera Dei subiungēs: Et vidit Deus quia bonum est, completisque omnibus inferens: Et vidit Deus omnia quæ fecit, & ecce, bona valde, nullam aliam causam faciendi mundi intelligi voluit, nisi vt bona à bono fierent Deo, vbi si nemo peccasset, tantummodo naturis bonis esset mundus ornatus, & plenus. Et quia peccatum est, non ideo cuncta peccatis impleta, cum bonorum longè maior numerus, in cælestibus suæ naturæ ordinem seruet: nec mala voluntas, quia naturæ ordinem seruare noluit, ideo iusti Dei leges omnia bene ordinantis effugit.

Falsa ratio creationis mundi secundum Origenē.

Lib. 11. Ciuitat. Dei, cap. 23.

Deinde considerare debuit Origenes, & qui ita desipiunt. Si hæc opinio vera existeret, mundum ideo factum, vt animæ pro meritis peccatorum suorum, tanquam ergastula, quibus pœnaliter includerētur, corpora acciperēt, superiora & leuiora, quæ minus, inferiora verò & grauiora, quę amplius peccarunt: Dæmones quibus deterius nihil est, terrena corpora, quibus inferius & grauius nihil est, potius quàm homines etiam malos habere debuisse. Nunc verò vt intelligeremus animarum merita, non qualitatibus corporum esse dimetiēda, aëreum possidet pessimus cacodæmon. Homo autem & nunc licet malus, longè minoris est malitiæ, & certè ante peccatū, luteum corpus accepit. Quid autem stultius dici potest, quàm istum solem, vt in vno mundo vnus esset, non decori pulchritudinis, vel etiā saluti rerum corporalium consuluisse artificem Deum, sed hoc potius euenisse, quia vna anima sic deliquerat, vt tali corpore mereretur includi. Ac per hoc si contigisset, vt non vna, sed duæ, imò non duæ, sed decem vel centum, similiter, æqualiterque peccassent, centum hic mundus soles haberet.

Alia aliqualis creationis hominis causa.

CAPVT XVIII.

QVod Magister noster, eximius ac reuerendissimus antistes Parisiensis, Petrus Lombardus, §.3. huius distinct. primæ, lib. 2. Sententiarum, doceat hominem propter angelicæ ruinæ reparationem factum, non habet marginalis ibidem adnotatio: Nam Diuus Augustinus, duobus illis locis tantum efficit contestatissimum, hominem ob angelicæ ruinæ reparationem redemptum. Nec istud admodum apte dictum arbitror, cum homo propriè creatus sit, vt æternæ beatitudinis brauiū instar angelorū adipisceretur: at vbi lapsus est, Christus de sinu Patris, descendere dignatus est, in vterum Virginis matris, vt eius morte redemptus, ad ruinæ illius reparationē proficeret. Sic de eo concionati sunt prophetæ, vt reconciliatorem Dei & hominum, fore promitterent. Sufficiet pro omnibus
Esaiæ 53. vnum illud in primis celebre Esaiæ testimonium, vbi prædicit, percutiendum esse Deum propter scelera nostra, vt castigatio pacis esset super eum: vbi ad opem miseris peccatoribus ferendam, Christum diuinitus propriè addici audimus, & ma-
Cap. 3. nifestius apud Ioannem, venit filius hominis in mundum, non vt iudicet, sed vt saluetur mundus per ipsum, & sequitur: sicut exaltauit Moyses serpentē in deserto, ita exaltari oportet filiū hominis.

hominis.& alibi, Pater serua me ex hac hora, propterea veni in hanc horam. vbi clare finē assumptæ carnis assignat, vt victima fieret abolendis peccatis Nihilominus sanctus Bernardus dicit Dominū, cum angelos crearet præuidisse eos, ex parte ruituros, idcirco hominem postea creare voluisse, qui ruinam suppleret. *Cap. 12.* *Sermone 1. de aduentu.*

Anima corpori quare vnita.

CAPVT XIX.

TRes mixturas in diuinis operationibus singulariter mirabiles, & mirabiliter singulares, reperire promptū relinquitur ex B. Bernardo, Coniuncta quippe offenduntur ad inuicem, Deus & homo, mater & virgo, anima & humana caro. Admirabiles sunt istæ misturæ, & omni miraculo mirabiliores, quomodo tam diuersa, tantaque intercapedine ab inuicem diuisa, inuicem potuerunt coniungi? Voluit sanè Deus infirmiora nostra abundantiori gloria sublimare, & contraxit se maiestas, vt quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro coniungeret, & in persona vna, sibi inuicem coniungerentur, Deus & cinis, maiestas & infirmitas tanta, vilitas & sublimitas tanta. Nihil enim Deo sublimius, nihil limo vilius, & tamē tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaq; dignitate ascēdit in Deum, vt quicquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur, quicquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tam ineffabili, quam incomprehensibili sacramento. Et attende quia sicut in illa singulari diuinitate, trinitas est in personis, vnitas in substātia, sic in ista speciali commixtione trinitas est in substantijs, in persona vnitas, & sicut ibi personæ non scindunt vnitatē, vnitas non minuit trinitatē, ita & hic persona nō confundit substātias, nec substātię ipsę personæ dissipant vnitatem, Summa illa Trinitas hanc nobis tribuit trinitatem, opus mirabile opus singulare inter omnia & super omnia opera sua. Verbum enim, & anima, & caro, in vnā conuenēre personam, & hęc tria vnum, & hoc vnū tria, non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Hæc est prima & superexcellens mistura, & hæc prima inter tres. Auerte homo quia limus es, & non sis superbus: quia Deo coniunctus es, & non sis ingratus. Secunda mistura est virgo & mater, admirabilis plane & singularis. A sæculo nō est auditum, quod virgo esset quæ peperit, quod mater esset, quæ virgo permansit. Nunquam iuxta rerum ordinem, virginitas, vbi fœcunditas prædicatur, nec fœcunditas, vbi virginitas integra conseruatur. Sola hæc est, in qua virginitas & fœcunditas obuiauerunt sibi, ibi semel factum est, quod *Ser. 3. vigil. natal. Domini.* *Prima mistura.* *Secunda mistura.*

factum nō fuerat, nec fiet in æternum, quia nec primū similem visa est, nec habere sequentem. Tertia est anima & caro humana, & hęc quidem prima & secunda inferior, sed non minus forsitan fortis, mirum siquidem non ambigitur, quomodo spiritus carni, anima corpori coniugatur, sicut ferrum & testa commistionem recusant, sic hæc duo vniri nequeunt, si non misceat glutinum operationis Diuinæ. Quare primo intueri debemus positionem & dispositionem rerum, quāta sit videlicet in creatione potentia, quanta in positione sapientia, in compositione quanta benignitas: In creatione vide quàm multa, & quàm magna potenter creata sunt, in positione, quàm sapienter cuncta locata sunt, in bonitate quàm benignè suprema, & infima connexa sunt, tam amabili & admirabili adhæsione. Huic enim limo terreno vim vitalem miscuit, vt in arboribus vnde surgit venustas in folijs, in floribus pulchritudo, sapor in fructibus, & medicina. Nec hoc contentus, adiecit etiam vim sensibilem limo nostro, vt in pecoribus, qui non solum vitam habeant secundum Gregorium, sed & sentiant. Addidit adhuc honorare limum nostrum, & ei vim rationalem immisit, vt in hominibus, qui non solum viuunt, sentiunt, sed & inter commodum & incommodum, bonum & malum, verum & falsum discernunt. Huius assignat Magister triplicem rationem. §. penultimo. 1. distinct. Prima est Dei voluntas, cuius non est causa quęrenda. Secunda est, vt disceret exemplum beatæ vnionis, si namque caro animæ non esset vnibilis, existimaret homo animam Deo non posse vnionis vinculo coniungi, cui perpetuæ vitæ indidit, vt mori nolit, desiderium, quo fit, vt à corpore diuortium non patiatur, appetit enim ad quod creatus est, nunquam non vitales carpere auras. Vnde Apostolus non ait: Animam suam nolle expoliari, sed nos, inquit, nolumus corpore expoliari, sed superuestiri; quo ostenditur spiritum creatum, spiritui increato ineffabili amore vniri. Pro exemplo ergo futuræ societatis quæ inter Deum & spiritum rationalē in glorificatione eiusdem perficienda erat, animam corporeis indumētis, & terrenis mansionibus copulauit, luteamque materiam fecit, ad vitæ sensum vegetare, vt sciret homo, quia si potuit Deus tam disparem corporis & animæ in fœderationem vnam, & in amicitiam tantam coniūgere, nequaquam ei impossibile futurum, rationalis creaturæ humilitatem, licet longè inferiorem, ad suæ gloriæ participationem sublimare. Tertiò, etiam animæ corporibus sunt vnitæ, vt in eis Domino famulātes, maiorem æternæ vitæ merentur coronam. Opera namque hominis quinque modis angelorum

Tertia mistura.

Triplici ratione, homini anima est coniuncta

2. Corint. 5.

gelorum industriam antecellũt. Primò, quia multipliciora tam mentis sunt quàm corporis, cum angeli sola mente vigeant, & per se corporis obsequium excludant. Sunt quoque nobiliora, quia quod angelis natura, hoc hominibus concessit gratia: vnde D. Hiero. & Amb. Castitas angelum facit, qui eam seruauit angelus est, qui perdidit diabolus; virgo est quæ Deo nubit, meretrix quæ deos facit, nam de resurrectione quid dicam? cuius premia iam tenetis? quia neq; nubent, neque, &c. quod nobis promittitur vobis præsto est, votorumque nostrorum vsus apud vos est, de hoc mundo estis, sed non estis in hoc mundo, sęculum vos habere meruit, sed tenere non potuit, quam præclarum angelos propter intemperantiam cecidisse de cælo, virgines propter castimoniam transisse in cælum de sæculo? Fructuosiora quoque non dubitantur, quia homines incrementa accumulant meritorum, angeli non item. Gloriosiora etiam sunt, quia homines in palæstra quasi constituti, cum vigili hoste validum faciunt conflictum: Angeli iam dudum de hoste reuexere triumphum. Laudabiliora deinde creduntur, quod angelorum necessaria prædicentur opera, hominum voluntaria, qui vno diei spatio, plus laboris atque molestiæ in tentationibus repellendis virtutibusque inserendis, quàm angeli centum milibus annorum, perferunt.

Epistola ad Demetriadē, lib. 1. de virg.
Prærogatiua castitatis.
Matth. 22.
Homines quibus angelos anteuertunt.

Epiphonema distinctionis præmissæ, simul & dicendorum epilogus.

CAPVT XX.

PAragrapho vltimo, ordinis quem hoc in libro seruaturus est, reddit rationem. In primo libro Sentētiarum (quasi dicat) de vno summoque Deo multa tractauimus, nunc à summi Dei contuitu, ad angelorum considerationem obtutus mētis dirigamus, oportet, deinde ad hominem, & ea quæ ipsum concernunt. De his itaq; nihil hactenus speciatim traditum est, sed obiter dictum est, à Deo tanquam omnium principio vniuersa esse profecta, deinde ab eo solo omnia, non ab angelo, aut intelligētia, nec ex materia, sed nihilo cuncta creata. Postremò, hæc vniuersa aliquando non fuisse, sed suæ durationis initium sumpsisse: Quæ omnia firmissima sunt fide retinenda, etiamsi comprehendi nequeant, ab hominis industria.

DISTINCTIO SECVNDA.

Alia dicendorum ratio.

CAPVT I.

INstitutionis Christianæ, siue Sententiarum Magistri vulgo dicti, liber primus, de reparationis authore Deo & superbenedicta Trinitate disputat. Hic secũdus quem enucleandum Deo opitulante, suscepimus, de angelis & hominibus reparatis, declarationem tradit. Tertius reparatoris Christi personam respicit: cui subnectitur quartus, de reparati hominis salute, quæ cõsistit in expiatione culpæ & amotione omnis miseriç. Hic igitur fœlici omine tractandũ occurrit de angelica natura: vt perfectio vniuersi intertencatur, cum spiritus & caro hominẽ cõponat, & corpus sine spiritu, sicut in lapide & ligno existat, necessarius ordo creaturam sine corpore, quem vocamus angelum admittit & præmittit.

De nomine spiritus. CAP. II.

DOctrina de spiritu instituẽda bimembrẽ requirit diuisionem, qua multiplex nomẽclatura spiritus cũ increatum, tum creatum comprehendat. Spiritus increatus, rursum
Ioan. 4. bipartita differẽtia dirimitur. Priori, vt sit omnibus personis diuinis cõmunis, qua cõsideratione Pater est spiritus, filius est spiritus, quia Deus spiritus est. Altero modo, vocula spiritus, est
Matth. 28. nomen personale vt non omnibus, sed tertiæ duntaxat conueniat personæ, baptisate eos, inquit, in nomine Patris, & Filij, &
1. Ioan. 5. Spiritus sancti, &, Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Creatus autem spiritus, mul-
Psalm. 10. tiphariam vsurpatur, aliquando namque venti, procellosis tur-
106. & 148. binibus omnia concutientes, appellantur spiritus Dauidi, nix, glacies, spiritus procellarum. Nonnunquam anima dicitur spi-
Gen. 7. ritus, siue rationalis, siue ratione carens. Mortua est, inquit san-
Ioan. 19. ctus Moyses, omnis caro quç in se habebat spiritum vitç. Vicem
Cap. 10. animæ rationalis subit apud Euangelistã, Inclinato capite tradidit spiritum, id est, animam: sicut prius dixerat, Potestatem
Psalm. 30. habeo ponendi animam meam. & Psalmographus, In manus
Psalm. 103. tuas Domine, cõmendo spiritũ meũ. & alibi, Auferes spiritum

eorum

eorum,& deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Denique & angeli dicuntur ſpiritus, priori loco,& Epiſtola ad Hebręos, *Cap. 1.* Qui facis angelos tuos ſpiritus. Porro hoc loco id annotaſſe, non fuerit indignum, quod ſi in ſacro eloquio, nomenclatura ſpiritus, abſque adiectione aliqua conſtituatur, quę diſcriminet ſpiritum, de Spiritu ſancto non ambigitur intelligenda. Hoc Matth. 4. modo Ieſus ductus legitur à ſpiritu, in deſertū, id eſt, à Spiritu ſancto. Hanc regulam teſtatur Origenes à prędeceſſoribus ſuis *Lib.1.periarchωn,cap. 3.* in ſacra ſcriptura eſſe obſeruatam, quam confirmat beatiſſimus Pater Hieronymus, commentans, in 2.cap. Micheæ. Verum hæc prælibata regula, eſt tali reſtrictione intelligẽda, vt additamentum, ſiue contextus haud difficulter perſpicuum faciat, quis ſignificetur ſpiritus, exemplo quod dicitur manifeſtū fiet. nomen ſpiritus, ſupra decies & ſepties in vno eodemq; capite 8. ad Ro. reſumptum, perpetuò pro Spiritu ſancto accipitur, dempto paſſu vbi dicitur, ſpiritui noſtro. Qua adiectione, dirimitur haud obſcurè à Spiritu ſancto, ſic & de puella reſuſcitata dicitur: reuerſus eſt ſpiritus eius, vbi facillimè liquet, quis ſit ſpiritus intelligendus. Si autem in pluratiuo reperiatur numero, Lucæ 10. tunc ferè ſpiritus maligni ſignificationem prætendit. In hoc, inquit, nolite gaudere, quia ſpiritus ſubijciuntur vobis.

De nomine angeli. CAP. III.

VOcula angeli, bifariam occurrit in ſacris literis vſurpata, aliquando ſiquidem mortalibus, interdum immortalibus reperitur applicata. Inter mortales hominibus non raro attribuitur, qui rebus gerendis præficiuntur, ſic Eſaias veloces legatos, ad gentem conuulſam deſtinatos appellat angelos. *Cap. 18.* Et alibi pulcra mimeſi, nuncios Ezechiæ vocat angelos pacis. Item apud alium Prophetam, ſacerdotum labia dicuntur *Cap. 33.* cuſtodire ſcientiam, & legem ex ijs requirendam, quod angeli Malach. 2. Domini exercituum ſint, & de beatiſſimo precurſore Dominus & cap. 3. per Malachiam eſt loquutus, Ecce ego mittam angelū meum. vnde beatus Cyrillus, Iam rumores fuerunt non natura hominem, ſed de numero ſanctorum angelorum Baptiſtam fuiſſe, ac *Lib.1. cap.7. in Ioannem.* humano corpore vſum prædicaſſe, quod aſſeuerabant premiſſa ſentẽtia, ignorãtes videlicet nomẽ angeli miniſteriū magis, quã *Vocula angelus, multis aſcribitur.* ſubſtãtiã ſignificare, ſic enim aliū ſuper alium ad beatū Iob angelos cucurriſſe legimus, calamitates nouas ſibi atq; inauditas Iob 1. nunciantes. Nec mortales duntaxat, ſed multo magis Chriſtus & ſpiritus immortales, angeli nomẽclaturam ſibi vindicant de

Exod. 23. Lib. 4. demonst. euang. ca 16. lib. 18. Ciuitat. Dei, cap. 35. Cap. 18. Cap. 25. Nomen angelus, quotupliciter accipiatur. De diuinis nominibus, cap. 4. lib. de communi essentia Patris, & Filij, &c. Grego. libr. 40. hom. 34. Hebr. ca. 1. Cap. 5. cælest. Hierarc.

sublimi, siquidem illo Paranympho Christo intelligitur eloquium diuinum. Ecce ego mitto angelum meum, teste Eusebio Cæsariensi, & angelus testamenti apud Malachiam, cap. 3. & Beato August. Haud tamen ignorandum est, quando spiritibus asscribitur nomen angelus, trifariam vsurpari in sacra pagina. Primò, generaliter, vt bono maloque conueniat, Angeli eorum, inquit Matthæus de bonis, semper vident faciem Patris. de malis autem legitur ibidem, Qui paratus est diabolo, & angelis eius. Secundo modo, distinguitur contra malos, & sic describitur à sanctissimo patre Dionysio Areopagita, & S. Athanasio. Tertio modo. accipitur pro infimo ordine eorum, quibus minora nunciare demandatum est, teste beato Gregor. Nihilominus & superiorum ordinum spiritus, interdum appellantur angeli, secundum illud ad Hebræos, Cui angelorũ dixit aliquando Deus, Filius meus es tu Deinde quanquã infimi dicãtur angeli, non immerito etiam alijs attribuitur spiritibus, quia omnium ordinũ illuminationes, & virtutes plenius illis, habẽt ordines superiores. Inferiores verò, non habent illuminationes, & virtutes in ea plenitudine, qua superiores. vnde cum nomina singulorum ordinum, designent speciales ipsorum gratias, teste beatissimo patre Dionysio, merito superioribus possunt inferiorum nomina attribui, tanquam ipsorum illuminationes, à quibus nomina imponuntur, plenius habentibus: sed non versa vice. Licet enim Seraphim vocari queant angeli, ratio tamen non admittit, vt vltimi ordinis creaturæ, appellentur Principatus, vel Throni. Quamuis alio modo elabi liceat, vt dicatur quod angelica nominatio etiã communis sit omnibus cælestibus spiritibus, quia vnum lumen diuinum, quod per eos manifestatur, omnes secundum maius & minus communicat.

De discrimine Angeli, & spiritus.

CAPVT IIII.

Lib. 40. Homil 34. Serm. 19. in Cant. Psalm. 103. Angelus est nomen officij, non naturæ.

QVum Paradoxum sit Theologicum, angelum non esse nomen naturæ, sed officij, non alicuius particularis creaturæ conditionem significare, sed ministerij obsequium prætendere secundum Greg. Magnum, & mellifluum Bernard. cuiq; contestatissimum esse debet, angelos cælestis illius patriæ ciues semper esse spiritus, teste Psalmographo, Qui facis spiritus tuos pro arbitrio angelos, hoc est nuncios, sic exponenda sunt, secundum August. eo loci Prophete verba, non econuerso. Angeli autem nomenclaturam beati spiritus, non perpetuo

asciscunt,

aſciſcunt, quia tunc ſolum angelicum vocabulum merentur, cum aliqua per ſpiritus cæleſtes nunciantur.

De ſpiritu & anima, quomodo conſpirent, differantque.

CAPVT V.

ANima deſcribitur eſſe ſpiritalis, & intellectualis creatura, ex nihilo à Deo facta, in bonum malumque conuertibilis, vel eſt ſubſtantia rationis particeps, regendo corpori accõmodata, vel tertiò, anima dicta eſt quod animet, id eſt, viuificet corpus. Eadem anima aliquando ſpiritus appellatur, quod ſpiret in corpore, ſicut ſcriptum eſt: Et inclinato capite tradidit ſpiritũ, ſi alium ſpiritum quàm animã Euangeliſta intelligeret, anima exeunte ſpiritu remanſiſſet, quod quàm ſit inconueniens, nemo eſt qui non videat. Aliud tamen denotat anima, aliud ſpiritus. Hic namque ſubſtantiam concernit, anima viuificationẽ reſpicit: & licet vna eademq; ſit eſſentia. Proprietas tamen eſt diuerſa, ſiquidẽ ſpiritus rationem ſubit, quatenus ſubſtãtia eſt rationalis, anima quatenus eſt corporis vita, de qua legitur: Qui perdiderit animam ſuam propter me, ſaluam faciet eam, & quiſquis propter Deũ hanc vitam quæ nunc corporis viuificatione ex anima temporaliter mortalis conſtat, libenter deſpexerit, in futuro eandem corporis, non ſolum animæ vitam æternam recipiet. Quanquam in aliquibus conſpirant, in multis tamen magno diuortio ſeparantur, nam angeli à Deo ſimul in principio eſſentiæ ſuæ acceperunt dignitatem, nec generationis propagine multiplicantur, ſed diuino efficacis voluntatis iuſſu, in exordio rerum creati, Deum iugiter contemplantur. Animæ licet ex traduce non oriantur, tamen in principio non ſimul exiſtere cepẽre, ſed proceſſu temporum infuſione creantur, & creando factæ infunduntur. Angeli quoq;, loco circumſcribuntur, & ſcientiæ euidentia incomparabiliter præpollent, interius quippe, exteriusque diffuſũ ipſum ſcientiæ fontem, conſpicantur, anima verò corpori inhærens, ex ipſa ſui qualitate localis cognoſcitur, quippe quæ carnali loco coarctatur, multa quidẽ cognoſcit, ſed ea ſunt ſubinde laboribus multis parta, & erroribus inuoluta, nam ita aſſequitur incognita, vt obliuiſcatur ſcita, meminit multorum, vt letheis aquis quaſi cõſperſa, obliuioni pleraque tradat, nec vires hic exerit, ſed quaſi peregrina in hoc mortali corpore degit, vnde ſanctus Ioannes Chryſoſt. In iſto mundo anima carni ſubiecta eſt, quãtum

Anima quid. — Ioan. 19. — *Differentia animæ, & ſpiritus.* — Lucæ 9. — *Animæ quando creantur.* — *Homil. 42 in Matth. operis imperfect.*

pulcherrima Chrysostomi philosophia.

ad passiones humanas, in illo autem caro animæ. Vnaquæq; res in sua patria fortior est, & dominatur. Si ergo anima sic potens, in hoc sęculo, infirmo & terreno corpori sic subdita est, vt nihil pene spiritualiter sapere, aut agere possit, secundum suam naturam, quantò magis, cum in illo sæculo caro infirma & vilis potenti animæ cœperit esse subiecta, nil poterit carnale sapere, aut agere, secundum suam naturam? Nam hoc ipsum modicum, quod in hoc sæculo in corpore cōstituta anima spiritualiter sapit, nimia potestas animæ, hoc sibi vendicat extra ordinem, quia dominatio carnis est in hoc mundo. Quēadmodum diues peregre profectus, si in hospitio applicuerit pauperis alicuius, quāuis non potest iubere in domo, quod vult, quia hospes est, tamē magnam sibi fiduciā agendi aliquid vendicat, quia potens est: sic & anima peregrina in hoc regnū carnis ingressa, quamuis nō omnia spiritualiter agere potest secundum se, quia extranea est in hoc mundo, tamen aliquid spirituale vendicat, & in carne, quia nimium potens est: Et econtrario, sicut peregrinus pauper, nihil in hospitio diuitis potest, primò, quia peregrinus & hospes est: deinde quia mendicus & pauper est: sic & caro, cùm in illud sæculum resuscitata migrauerit, nihil omninò sibi poterit carnale defendere. Primum, quia extranea est in illo sęculo spirituali. Secundò, quia infirma est carnis natura. Angeli etiam sine labore & dolore Diuina iussa exequuntur, & summa perpetuæ lætitiæ iucunditate perfruuntur Anima e regione ærumnis & oneribus premitur, laboribus angustiatur, & siquando respirare contingat, vt aliquid hilaritatis affulgeat, mox gaudium luctus euacuat, & si alicui prosperitatis dono gratulari videatur, protinus vsque ad mortem contristatur, si etiam quibusdam contemplationis remigijs sursum in Deum feratur, mox suo pondere tanquam plumbo corpus quod aggrauat animam, ad ima trahit, & terrena cogitatio impedit sensum multa cogitantem. Angeli quoque sine corporis mole Deo famulantur, anima in corpore & extra, indefessum potest exhibere Deo famulatum. Angeli denique sunt de sua salute securi, & impeccabiles: Anima quasi crispantibus procellosi maris vndis, diuersis tentationum illecebris molestatur. Angeli summa tranquillitate in pace regnant; Anima corpori infusa, in hac palæstra constituta, cum vigili hoste pugnat. Concede Domine Iesu, humiliter semper sentire & superbè non sapere, quia melior est fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia. Da, inquam, factor animarum, qui solus omnia nosti, vt animam corporis ergastulo, tanquam domo lutea inclusam, tuis cælestibus bonis lætificatam plau-

Magna vtriusque diuersitas.

tam plau-

tam plaudamus, & aperta ſcientia eius ſaluti congratulari valeamus. Amen.

Homo & angelus quomodo diſcrepent.

CAPVT VI.

EAm in homine & angelo reperire licet habitudinē, quę eſt apud Logicos inter excedētia & exceſſa, quæ in aliquibus paria conſpirant, in nonnullis diſparia emergūt. Angeli ſiquidē hominibus pares exiſtūt quod ab vno eodemq́; Deo immediatè plaſmatore prodierint, & hoc ex nihilo: Angeli quidē & homo ſecundū alteram cōpoſiti partem nēpe animam, ex nihilo emerſerunt, corpus autē ex præiacēte materia. i. limo terræ, qui ex nihilo ſubſiſtere cœpit. Nec hoc ſolū, ſed & imagine Dei referunt, memoria, intellectu & voluntate, licet in angelo perfectiorem actum exerceant, nam meminiſſe ſine obliuione, intelligere ſine diſquiſitione, Deum diligere voluntate non retardante præualent. His accedit, quòd Deus vtriq; immediatæ gratiæ influentia, licet angelus dignitate naturæ antecellat, illabatur. Vltimo in vnum quaſi pedibus æquiſq; paſſibus tendūt ſcopum, quod vterq; gratia adipiſcendæ beatitudinis creatus ſit, nec angelus propter hominem, nec vice verſa, homo propriè propter angelum eſt creatus: homo procliuis ad lapſum, ſurgendi habet poteſtatem, angelus ſtabilis gradus perpetuitatem: corruēs verò non obtinet reſurgendi facultatē. Hinc mutuo ſibi contubernio opitulantur, in hoc quod angelus ſuo ſtabili gradu humanam fulciat infirmitatem, & homo poſt peccati lapſum exurgēs angelicam reparet ruinam. Angelica autem ſuperat humanam in ſuæ ſimplicis & incorporeæ naturæ perfectione, ſpiritualis etenim excedit tam quæ ſpirituali ita conſtat, vt tamen grauē corruptibilis corporis ſarcinam nō excludat. Angelus quoq; creationis loco diſcriminatur ab homine, quod hic de terra ſit terrenus, ille in Empyreo cæleſtis. Hominem inſuper numeroſitate vincit, licet enim permaxima multitudinis copia ſit & fuerit, angelica tamen natura quòd non ſit numerus militum eius, ſecundum Prophetam, & beatum Dionyſium Areopagitam, multis chiliadibus hominum numeroſitatem excedit, & ſicut cæleſtia corpora, inferiora, immenſa quaſi magnitudinis mole excedunt: ita homo hac in parte ſuperatur. Minoris proinde negotij foret recenſere ſtellas cæli, gramina telluris, guttas magni maris, arborum frondes, quàm expeditiſſimam illius ſupernæ ciuitatis cateruam. Et cum quilibet mortalium (vt in poſterio-

Homo & angelus, quibus cōſpirent.

Eſt videre ſpiritum vnitum corpori, vt in homine eſt corpus à ſpiritu ſeparatum. vt in lapide, ergo oportet inueniatur ſpiritus à corpore ſeparatus.

Daniel. 7. *Cæleſt. hierarch. cap* 14.

Angeli ab hominibus, quibus differant.

posterioribus Deo opem ferente, fiet dilucidum) ex infimo tertiæ Hierarchiæ ordine, angelum sortiatur custodem, haud difficulter quisque collegerit tantum in illo cælo beatorum ciuium abund re numerum, vt hominibus creatis & creandis suffecerint. Vltimo excellunt in præmij perceptione: primò namque, suæ conditionis tēpore vnico bonæ voluntatis motu ad Deum conuerso, confirmatam beatissimæ visionis gloriam plenissimè receperunt, homo verò post huius miserabilis vitæ terminum. Nihilominus homo etiam ediuerso angelum excedit in sui ab æterno Dei verbo vnione hypostatica admirabili assumptione, non enim angelos, sed semen Abrahæ apprehēdit, hinc in nouo testamento honorem sibi deferri recusat, quem oppido quàm lubentes ante incarnationem Christi admiserūt. Dignior namque est iam humana natura, quàm prius erat, quod demonstrare non fuerit indignum per similitudinem vitri crystallini, vtique per se pretiosi quod vbi ruptum atque confractum fuerit, aureo circulo circumligatum, melius fit quàm antea subsisteret, sic humana natura, licet nobilis fuerit, & in oculis Dei pretiosa, simul tamen atq; rupta circumligabatur aureo sanguinis Christi Iesu signaculo multò pretiosior euasit. Secundò, homo angelos præcellit gratia redēptionis, quia pretioso sanguine hominem redemit, non angelos, quippe qui execrabilius tam nobiles existētes deliquerint, nedum desertores Dei, verum etiam hominis deceptores extiterint. Homini autem suppetias liberationis tulit, & misericordia potitus est, quod carnis velamine esset obtectus fragilitate infirmus, & aliena non propria malitia, vt angeli, prostratus, secundum beatum August. & Greg. Magnum. Tertiò, in glorificatione, quia angeli solius spiritualis naturæ plaudunt gloriam: homo vtriusque corporis, scilicet & animæ percipit coronam. quod typica significatione adumbratum, reperimus apud S. Moysen, quoniam pars Beniamin, quinq; partibus ceterorum fratrum portionem excessit, Beniamin Iosephi frater vterinus erat cæteris fratribus cum tantum ex parte patris contingentibus, homo non modo ex parte patris cælestis creatura est, sed etiam Christi frater est, quod ex parte matris virginis in assumpta humanitate nobis vterinus fieri dignatus est. Vltimò, humana natura angelos multis parasangis, bona omnium vestrum pace beatissimi ciues dixerim, transcendit, gloriosa exaltatione, qua Christus nostræ mortalitatis exuuias, non inter vos excessu charitatis ardentes Seraphim, non inter Diuina scientia illuminatos Cherubim, sed in Patris omnipotentis dextera collocauit, & vt vterq; sexus, rem absolueret, nec exem-

Angelus quare honorem recusset. Hebr. 2. Apocal. 22. Genes. 18. & 19.

Humana natura est pretiosior effecta per Christi incarnationē.

Homo redēptus non angelus, quare. Tract. 110. in Ioannem. Libr. 4. cap. 10 & 9. moral. cap. 28. Genes. 45.

exemplum fœminei ſexus tantæ gloriæ deeſſet, ſic veri nuntia ſacroſancta cantitat eccleſia: Exaltata eſt ſancta Dei genitrix, ſuper choros angelorum ad cæleſtia regna. Ad quæ nos exules miſeros Euæ filios, ô vos ſancti ſpiritus, intimis cordis medullis hiſce obſecro conducere dignemini, vniuerſaque huic negotio aduerſantia propellere non grauemini. Qui viuitis & regnatis, laudantes & benedicentes Deum, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Angeli à quo creati.

CAPVT VII.

PLuſquam cimmerijs tenebris caligantes Hermannus Kiſſuyckius, & Dauid Georgius Batauı, negauerunt angelos à Deo creatos. Prioris vitæ ſeriẽ videre licet apud V. Patrem Alphõſum de Caſtro articulo de Angelis. Poſterioris impoſtura ita fuit patefacta: Nam Delphis natus, vernaculo ideomatè contentus erat, arte pingendi vitri, vitæ ſtipendia ſectari conſpexi, hic mentitus eſt quod etiam horret intellectus, nempe ſe eſſe Chriſtum, verumque Meſſchiam, ac chariſſimum Patris filium, natum non ex carne, ſed ſpiritu ſancto, qui ſemper ſecreto loco manſiſſet abſconditus, iam autem Dauidi totus infuſus. Docuit & Chriſtum prius veniſſe, ſed vt homines tanquam pueros in officio detineret, donec Dauid Georgij tandem perfectæ ſcientiæ traderet formam, Angelos ignorabat, mundum ſe iudicaturum effutiebat. Cumque hæc clam, palamque apud Batauos buccinaretur, timore in fugam conuerſus, Baſileæ cum ſuis ſequacibus ſedem fixit, vbi magnificas domos, vnam intra mœnia, alteram extra comparauit, nominiſque mutatione ſe incognitum reddidit, nam nomen illi iam erat Ioannes Bruck, qui longè diſſitos venenatis literis dementauit, quibus adeſſe coram nequiuit. Cùm autem ſemel concionaretur in angulo domatis, ſe reſtauraturum regnum Iſrahel, vnus ſuorum exurgens in medium, blaſphemiæ eum arguit, ſicque parum declinare cœpit, potiſſimum cum vtraque domus fulmine tacta corruiſſet; itaque doloris gladio ſauciata miſera coniunx, diem clauſit extremum: ille qui ſe immortalem iactarat, paulò poſt in cinerem, vnde ſumptus erat, eſt reuerſus, anno Domini, 1556. 8. Calend. Septemb. & honorificè ſepultus. Poſt anni circulum, puerorum vociferantium clamor inſonuit, non Dauida, ſed eius loco, tumuli penetralibus porcum eſſe incluſum, cadauer autem reliquiarum vice ſeruãdum, ſed Magiſtratus puerorum vocibus conſter-

Dauidis Georgij hiſtoria.

consternatus, ac præmissa maturi consilij indagine edoctus, corpus exhumatum cum libris Teutonicis & supellectile, post secundum mortis eius annum, Vulcano tradidit. Hi, inquam, inficiati sunt angelos, tã bonos quàm malos à Deo creatos, quod scripturæ hoc non dicerent, vt docebant. Quod attinet ad malos tale perhibet sanctus Iob testimoniũ: Ecce Behemoth quem feci tecum: Per Behemoth nullus alius venit intelligẽdus quàm diabolus teste beato Gregorio, & paulò post, Ipse est principiũ viarum eius, super quo idem Greg. In natura rerum hunc creando conditor primum fecit, & hunc primum condidit, quem cunctis eminentiorem fecit. De bono autem angelo docere cognoscitur D. Augustinus, ex cantico trium puerorum, cùm enim præmissum esset, benedicite omnia opera Domini Domino, in processu eorundem operum, etiam angeli perhibentur nominati. & in Psalmographo, Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis, laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius, postea subnectendo adijcit, Quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Et Sapiens quidam, Dominus possedit me in motu viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. Et alibi: Ex ore altissimi prodij, primogenitus ante omnem creaturam. His consonat Concil. Lateranen 3. sub Innocen. 3. cap. primo, vbi sic legitur: vnum est vniuersorum principium, creator omnium inuisibilium & visibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, vtramq; de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam. Ex quibus & similibus locis, liquido constat, angelos non esse Deo coæternos, sed Dei benignitate, aliquando esse creatos. Deinde sunt quædam generalia scripturæ loca, declarantia omnia à Deo profecta, sicut apud D. Paulum, In ipso condita sunt vniuersa. Et apud Ioannem Euangelistam, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Aut ergo angelos à Deo factos concedant, aut ipsos esse nihil confiteantur oportet. Sed isti fortasse obgannient, cum Iuliano, Legimus quod ministrent, sed quod eos crearit nequaquam; ergo vel sunt ingeniti, vel ab alio quam Deo creati. Profectò quod sanctus Moyses expressis verbis de angelorum creatione nihil dixerit, expressam mentionem eo consilio prætermisit, teste beato Cyrillo, & Ioanne Chrysostomo, quod rudi populo, qui corporea duntaxat capiebat, loqueretur, & etiam eiusdem ad idololatriam pronitate, subticere satius duceret.

[Margin notes: Iob 40. — *Libr. 32. Moraliũ, cap. 9. & 18.* — *11. Ciuitat. cap. 9. & 32.* — Psalm. 148. — Prouerb. 8. — Coloss. 1. — Cap. 1. — *Moyses quare expressè nil de angelis dixerit.* — *Libr 3. cont. Iul. homil. 2. in Genes.*]

Angeli

Angeli quando creati.

CAP. VIII.

IN hoc doctrinæ capite triplicem licet reperire opinionum diuersitatem. Aliqui namque angelos ante cælum & terram creatos statuerũt: Alij post cælum & terram. Tertij mediam tenuere semitã, hi nempe cum cælo & terra creatos edocuerunt. Primæ classis defensores sunt, Hilarius, qui anno 371. floruit, lib. 2. De Trinit. & contra Arrianos ad Auxentium. Basilius hom. 1. Hexameron, & sinuosus eius interpres Ambrosius, Greg. Naziãzenus, ser. de natali Domini. & discipulus eius, Ioannes Damas. lib. 2. cap. 3. orthodoxæ fidei, nec non beatus Hiero. in 1. cap. Epistolæ Pauli ad Titum. Horum tamen Patrum sententiæ videntur commodam sustinere posse expositionem, vt per eas minimè in dubitationem moueri debeamus, quoniam beati Hilarij Episcopi sententia, Quid mirum vt ante terram Deus Christum Dominum genuerit, cum angelorum origo terræ creatione reperiatur antiquior, sic potest exponi secundum D. Bonauenturam, vt antiquior terræ. i. aridæ creatio quæ tertio die facta legitur, angelos sequuta sit, quippe qui primo die creduntur creati. Vbi eras, inquit, quando ponebam fundamenta terræ? Ad illud quod contra Arrianos ad Auxentium habet, Ante tempora, inquit, & sæcula confitẽtur Christum: quod de diabolo & angelis negandum non est: Respondẽdum est, eos esse creatos ante tempora, sicut cęlum ante tempus, quia ipso primo momento extra temporis comprehensionẽ extiterũt, ante tempora tamen, quia antequam tempora mẽsurarentur motu, antequã cursum suum haberent, antequam dici posset euolutũ esse diem, aut meridiem ad vesperam declinasse. Profectò primo tẽporis momẽto nondum tẽpus est, sed incipit, sicut exordium sumit linea in primo puncto. Tempus autem moram exigit, & in fluxu consistit, & vt sit, debet præterijsse instans, esse & aliquid futurum, vnde definitur mensura motus, in Prædicamentis Aristotelicis, secundum prius posteriúsve. Igitur cùm dicitur, aliquid esse factum ante tempus, si intelligas ante primum temporis instans, & momentum, falsum est: sin autem antequam esset tempus intelligas aliquid factum, obtinet veritatem. Basilius verò indubiè loco citato asseuerat, angelos multò ante factos: sed quomodo id dicat, non est otiosè transiliendum, non est absimile vero. Vbi protinus apparet eum, hoc tanquã opinionẽ in qua nõ multum figat pedem, referre. Eius interpres Ambr. non violentam sustinebit

Lib. 1. Hexa. cap. 8.

nebit

nebit intelligentiam ex cap. 3. lib. de incarnationis Dominicæ sacramento. Angelorum ordinem inquit, ignoro, etsi sciam aliquando non fuisse, cui consentaneum est quod simul cum mundo facti sunt. Gregorij Nazianzeni, & Damasceni verba (saluo semper hic, & vbique meliori iudicio, & Ecclesiæ Catholicæ authoritate) non ineptè accipi possent, sicut ea Albertus Magnus vsurpat de ordine dignitatis, non temporis. Prius, inquiūt, Deus fecit angelos, deinde mūdum, vt vocula, deinde, sit dignitatis. Quidam dicunt angelos factos, inquit Damasc. ante omnem creaturam, alij eos post primum diem factos: Ego verò diuiniloquo Greg. accedo. Quæ verba affirmata dici possunt, contra illos, qui facto primitus cælo, & mundo, angelos creatos asseruerunt. Sententiam D. Hieron. quę sic habet, Sex milia orbis nostri, necdum implentur annorum, & quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas sæculorum origines, fuisse arbitrandum est, in quibus angeli, throni, dominationes, cæterę que virtutes seruierūt Deo, & temporum vicibus, atq; mensuris, Deo iubēte substiterunt. Optimè soluit Magister hac dist. §. E. cui annectendum videtur ipsum interrogatione vti, non se hoc arbitrari. Certè prælibati Patres, si rem penitius inspiciamus, ad istam primam sententiam amplectendam, inducti videntur dignitate angelica, vt perspicuum cuique esse potest, ex præmisso Damasceni loco, cum tamen homo, qui cunctis terrigenis nobilior nō ignoratur, vltimo, hoc est sexto die sit creatus. Altera sententia in eo consistit, vt angelos post cælum & terram, creatos affirmet, sicuti docere videtur lib. de Ecclesiast. dogmatibus, qui tamen non est Augustini, sed Gennadij presbyteri, cuiusdam Massiliensis, constituentis angelos, non ante cælum & terram, neque simul, sed post, esse creatos. In principio, inquit, creauit Deus cælum & terram, & aquam, ex nihilo, & interea dum abyssum tenebræ occuparent, fecit angelos: quam opinionem nō omnino repellit D. Augustinus. His duabus extremitatibus diuisis, media via incedendum iudicamus, vt cum cælo, & terra creati, credantur. ita siquidem scripturæ nos edocere probantur. Sex diebus fecit Dominus cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, ergo & angelos. Et Regius psaltes, Beatus cuius Deus Iacob, adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Si sex diebus illis, non igitur ante cælum & terram: neque etiam post, quia dicitur. In principio creauit Deus cælum & terram. Et alibi, In initio tu Domine terram fundasti. & Sapiens, Qui viuit in æternum creauit omnia simul.

Exponuntur patres super primi opinione.

Ratio opinionis primæ.

Cap. 10.

Libr. imperfect. de Gen. cap. 5.

Exod. 20.

Psalm. 145.

Ecclesi. 18

Lib. 11. Ciuit. cap. 9.

nia ſimul. His accedit D. Epipha. hæreſi de Paulo Samoſateno, & Auguſt. nec non Concil. Lateran. ſub Innocentio 3. celebratum apertè definiens, omnipotenti Dei virtute, ſimul ab initio temporis, vtramque de nihilo conditam eſſe creaturam, ſpiritualem & corporalem, angelicam videlicet & humanam. Quocirca vna cum corporeis rebus etiam angelicas ſubſtantias produxit Deus, quando nec ratio, nec ſcriptura aliqua præmiſſa verba arctari cogat ad rerum dūtaxat incorporearum creationem, ceſſareque debet omnis controuerſia, & cum eccleſia Catholica, doctoribusque Neotericis fatendum eſt, angelicos ſpiritus non eſſe creatione rerum antiquiores, nec poſtliminio productos, ſed ſimul cum illis primo die, ad ortum fuiſſe deductos, quod colligi poſſe videtur ex ſcriptura, ſic namque legitur apud Iob: Quando facta ſunt ſidera, laudauerūt me omnes angeli mei. Sidera autem facta leguntur 4 die, ergo ante 4. diem ſunt creati. Nec etiam 3. die: Clarum namque eſt quod die illa, terra ab aquis diuiſa, herbam produxerit. Nec 2 die facti ſunt. tunc enim facto firmamento, diuiſio fuit ſuperiorum ac inferiorum aquarum; Ergo à ſufficienti dinumeratione, primo die, angeli creduntur creati.

Libr. 11. Ciuit. cap. 9.

Cap. 38.

Angeli vbi creati.

CAP. IX.

Alius hic reſtat ſcrupulus, vbinam ſint angelici ſpiritus creati, nec ita certo conſtare poteſt. nec ita etiam magni refert: leguntur tamen tanquam fulgur deſcendiſſe de cælo: Videbam, inquit Chriſtus, ſatanam tāquam fulgur de cęlo cadentem. Et apud Prophetam: Quomodo de cælo cecidiſti Lucifer? & Theophylactus ſuper Lucam ſic ſcribit: Nō miremini, ſi dæmones ſubijciantur vobis, princeps enim illorum de cælo cecidit. His conſentaneus eſt D. Auguſt. & Ioannes Damaſ. Sed non poſſe ex his ſumi efficax huius rei argumentum probat eiectio Adæ de Paradiſo, qui in eo conditus non fuerat, nam plaſmatum prius de limo terræ, trāſtulit Deus in Paradiſum, quem poſtea peccantem in ſuæ creationis locum reiecit. Inſuper ſi in cælo conceda tur creatus, curioſa magis quàm fructuoſa indagine inquiri poteſt, quotum orbium cæleſtium locum occupet: plures etenim nō ſolum à Philoſophis, ſed etiam à beato Paulo recenſentur; Quin & aër iſte cælum nuncupatur, iuxta ſententiam Dauidis, volucres cæli. Et in Cantico trium puerorū: Benedicite omnes volucres cæli Domino. Et Mattheus Euangeliſta,

Luc. 10.
Eſa. 14.
Libr. 11. Ciuit. cap. 33.
Libr. 2. orthod. fid. cap. 6.
Geneſ. 3.
2. Cor. 12.
Pſalm. 8.

Matth. cap. 16. Volucres cęli nidos habent, Et postea, faciem cæli iudicare nostis, teste August. Rursus alia scripturarum loca præfatam sententiam, eamque probabiliorem labefactare conantur, quando demonstrari videntur angelos in cęlo nequaquam esse creatos: dicitur enim apud Prophetam, Ascendam in cælum, si in cælo positus fuerit, quomodo ascendet? Sed quia legimus cælum cęli Domino, cum in cælo cupiunt æqualitatem Dei attingere, non humilitate, sed superbia. Verùm simili argumento licebit colligere, neque in firmamento, neque in alio proprij nominis cælo creatum fuisse. Idem enim ipse Lucifer, non tantum dixit, conscendam in cælum, sed adiecit super altitudinem nubium. Si autem supra nubes conditus est (quas in media aëris regione generari constat) quomodo adhuc in loco suæ creationis existens supra nubes scandere satagit? Interim tamen non fuisse angelos in aëre isto conditos, probabile facit, quod hic locus angelis malis post peccatum, carceri ad diem iudicij vsque, deputatus sit. Omnium siquidem Doctorum opinio est, inquit D. Hieron. quòd aër iste plenus sit contrarijs fortitudinibus. & beatus Iudas in sua Epistola: Angelos, inquit, qui non seruauerunt suum principatum, sed suum dereliquerunt domicilium, in iudicium magni Dei, vinculis æternis, sub caligine reseruauit, vbi quòd nomine caliginis, aërem designarit, probabile facit, quod iam ex diuo Hieron. adductũ est. Et ab isto aëre eos cælestes nequitias appellat D. Paulus; Cum ergo in aëre adhuc degant, imò plenus sit aër istis infernalibus volucribus, & instar muscarum circumuolitent, non potest cæli nomine, vnde eiecti dicuntur, aër iste intelligi. Probabilius ergo tenendum est ipsos in cælo, & cum cælo creatos, Empyreo, id est, igneo, non quidem à proprietate & natura ignis, sed splendore nimio & fulgore, teste Origene, & beato August. docentibus, angelos superbos deiectos esse de superna cælesti habitatione. Hinc in Apocalipsi legitur quod locus eorum non est inuentus amplius in cælo Si autem creati sint in cælo Empyreo, quomodo prophetica sententia veritatem habet: Ascendam in cælum? Sed cælum appellat ibi Dei celsitudinem immensitate virtutis dilatatam, profunditate cognitionis secretam, & tranquillitate delectationis quietam, cui parificari volebat, perinde atque dixisset: ascendam ad æqualitatem Dei, & similis ero altissimo.

Lib. 2. de gen. ad literam. cap. 4.

Esaiæ 14.

Dæmonibus plenus est aër.

Ephes. 6.

Cælum empyreũ quare dictum.

Lib. 1. periarchon, cap. 5. Enchirid. cap. 27. & lib. 3. Trini. cap. 7.

Apocal. 12.

Occurrit tacitæ obiectioni.

DISTIN-

DISTINCTIO
TERTIA.
De incorporea angelicæ naturæ ſubſtantia.
CAPVT I.

MVltipariã hac in parte lapſi ſunt quidam Platonici corporeos genios cõſtituentes, quemadmodum Apuleius etiã aſſeruit, dæmones genere eſſe animalia: teſtè beato Aug. animo paſſiua, mente rationalia, corpore agilia, tempore æterna. Hac cum eſſet Auguſt. imbutus Philoſphia, non raro angelos dixit corporeos, nẽpe de ſpiritu & anima, quod vſu venit etiã ijs, qui Peripateticorũ Philoſophiã imbiberunt, vt cum minus exactè ſua vel ſcripta, vel dicta diſcutiunt, ex his quæ ſemel animis eorũ inhæſere principijs, nonnulla proferant quę à vero diſſidere, & ipſi poſtea re maiori libramine diſcuſſa, confitentur. Nã quod certò ſibi perſuaſum nõ habuerit angelos conſtare corporibus, perſpicuũ fieri poteſt ex lib. 21. de Ciuit. Dei, cap. 10. Pœna dæmonũ, inquit, erit in igne, quia ſunt quædã dæmonibus corpora, ſicut doctis hominibus viſum eſt. Si autẽ quiſpiã nulla habere corpora dæmones aſſeueret, non eſt hac de re, aut operoſa inquiſitione laborandũ, aut cõtentioſa diſputatione certandũ. Et alibi, Non audeo definire, an aliqui ſpiritus, aëreo ſint cõpoſiti elemento. & in retractationibus reuocat, quod licentius dixerat angelos infimos animaliter viuere, cũ non ſit certũ, an animalia ſint, an ex anima & corpore cõpoſita. D. Bernardus quoq; lib. de conſideratione ad Eugeniũ, pronũciauit angelos ętherea eſſe corpora, & ſubnectẽdo adijcit: Nõ cõtẽdo, inquit, ſi quis id inter opinabilia poſuerit. Et alio loco: Poſteaquã dixiſſet angelos corpore propter nos egere, vt iuuẽt atq; nobis interdũ appareãt, ſubdit, Sed corpora angelorũ ſintne illis naturalia, & an ſint animalia. Itaq; duo iſti clariſſimi viri incertũ habuêre, eſséntne angeli coporei, an corporis prorſus expertes, nec definire voluerũt, ſed vnũquemq; hac in re proprio ſenſu abũdare permiſerũt. Alij patres, quorũ de numero facile prim' eſt ſanctus Dionyſius Areopagita, affirmat angelos mẽtes eſſe, materiaq; carere: hũc ſequitur Ioan. Damaſ. allegãdo beatũ Dionyſiũ, & ſuppreſſo nomine Greg. Naziãzen. ſermone de natali Domini. Sic Cyril. ſuper illa verba, Ego ſum panis vitę. & D. Baſil. homil. 9. de eo quòd Deus non ſit author malorũ: Natura diaboli, inquit, eſt incorporea.

Lib. 8 Ciuita. cap. 16.
De ſpiritu & anima, cap. 18.
De Diuinit. cap. 3.
Angelus non circũſcribitur loco inſtar hominis, ſed diffinitiuè eſt in proprio loco.
Deus autem nec circumſcriptiuè, nec diffinitiuè, ſed vbiq; locorum adeſt.
Lib. 15. cap. 23.
Lib. 1. ca. 26.
Libr. 5.
Serm. 5. ſuper Cant.
Lib. de diuinis nominibus, cap. 4.
Lib. 2. ortho. fid. ca. 3.
Lib. 4. ca. 11.
Angelus & ſpiritus differunt.

Hic obtutus mentis dirigendi sunt ad prælibata, quibus manifestum euasit, angeli nomen respicere officium, spiritus verò naturæ atque substantiæ nomen existere, designans inuisibilem incorporeamque seu immaterialem substantiam, quod nomē omnibus angelis commune est, omnes quippe immaterialem spiritualemque sortiti sunt naturam: quemadmodū Psalmographus docet, inquiens, Qui facit angelos suos spiritus, hoc est, eos qui natura spiritus sunt, facit angelos suos: vti interpretatur beatus August. spiritus autem carnem & ossa nō habent, nec aliquo sensu percipi possunt, siquidem D. Paulus appellat eos spirituales nequitias. Denique incorporeos eos esse, vt neotericos Doctores missos faciamus, ratione adstrui posse videtur, nam apud Marcum Euangelistam legitur, tota dæmonum legio, vnum obsedisse hominem: Continet autem legio secundum Richardum sex milia, sexcētos, sexaginta sex, quare ne aërea quidem corpora habere credendi sunt sibi vnita, quomodo enim tāta multitudo potuisset vnius corpusculi ergastulo concludi? Nam & viscera nimium aëre distenta erumpi probatur. Sūt ergo angeli omnes & boni ac mali, puri spiritus, & ab omni corpulentæ materiæ conditione alieni. Verumenimuero his obijci potest liber de Ecclesiast. dogmatibus, constituens nil incorporeum & inuisibile, nisi solum Deum, qui vbique existens omnia replet: creatura omnis corporea est, & angeli cælestesque virtutes corporeæ, tametsi carne non constent. Respondendum est istum Gennadij librum, magna apud nos authoritate non valere, quod grauiter in nonnullis errarit, nec hic sustinendus est, docens nil præter Deum inuisibile esse, cum Apolus dicat, omnia in Christo condita visibilia & inuisibilia, nec non in Symbolo profitemur Deum creatorem visibilium & inuisibilium. Si visibile accipiat pro eo quòd intellectu percipi possit, ergo & Deus visibilis est: beati namque sunt mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. In eo tamen quod asseuerat angelos esse corporeos, omnino reijcienda non est eius sententia, nam & priscos patres qui angelos corporis expertes dixerunt, ad similem reperimus modum loquutos, vt angelos proferrent corporeos, nempe si cū Deo diuinaq; simplicitate comparentur. Sic Greg. Magnus, & Ioannes Damascenus, hoc sensu Gennadium accepisse nōnulla eius verba manifestant. Preterea si habuissent corpora cum peccarint, videtur quòd mortales instar hominū preuaricantiū facti fuissent, quod est manifestè falsum: hinc D. Dionysius Areopagita, vocat eos animos eternos, & quod sint ab omni materia, & generatione liberi pronunciat.

Psalm. 103. 15. Ciuitat. cap. 23. Ephes. 6. Cap. 5. & Lucæ 11. Ratione comprobat angelos incorporeos. Legio quid in sacris litteris. Cap. 11. & 12. Obiectio. Responsio. Matth. 5. Libr. 2. moral. cap. 2. Lib. 2. ortho. fid. cap. 12. Libr. 1. cel. hierar. angeli nō generant.

De distin-

De distincta angelorum personalitate.

CAPVT II.

NOn aliud docet Magister, quàm alios alijs dignitate naturæ præstare, quod consistit etiā, si specie non patiantur diuortium, nam vir ex natura præstantior & dignior est muliere, eiusdē tamen sunt naturæ. Et quòd hæc non ita dixerit, tanquam angelos differre inter se existimarit, ex vltimo §. dist. 32. huius libri manifestū euadit, vbi & animarum inter se, similem tradit differentiam, Ipsam similitudinem. §. B. huius ab humanorū corporū discrimine sumptā, satis exprimere: etiā intelligēdum est Magistrū differentiā specierū facere noluisse, neque enim illa specie differunt, tametsi multis modis distinguantur, quædā enim alijs meliorem formā dignioremq; essentiam sortita sunt, quibus in corporibus nōnulla nascitur differentia. D. Thomas ne duos quidem eiusdem speciei arbitratur, sed omnibus naturalē esse, sicut boui & asino, pomo & ceraso, differentiā contendit, quin etiā possibile esse negat, vt duo eiusdem sint speciei. Alij scholastici, Doctor Seraphicus, Beatus Bonauent. Doctor subtilis, Ioānes Scotus, ac Durandus Theologus perspicacissimus, docent quosdā, sicut Petrus & Ioānes, eiusdem esse speciei, quorū sententiæ accedendo, plures in eandem conspirare naturam assentior. Nec me adeò philosophica Thomæ mouet ratio, vt affirmare non ausim, cū præmissis, plures saltē in eandē cōuenire naturā, multo minus vt impossibile credā. Sciscitor namq;, si Deus (quod vtiq; potest) in nihil aliquē angelorū redigeret, an non similis naturæ angelum valeret in eius locū sufficere: si res fieri sinat, cur ergo vt simul sint fieri posse negatur? Profecto D. August. docet posse deiectis quibusdam, alios diuino iussu cōtinuo in illorū sedes, id est, similē gradum & dignitatē (neq; enim ibi corporeę sedes sunt) continuo restitui. Schola Parisiensis dānauit in Thoma hunc errorem (prout videre est in censuris eius, quæ in calce huius operis Sententiarū in nōnullis codicibus Lutetię impressis reperiuntur) quia commune est omnibus, quòd memoria, intelligentia, & quæ huic semper annexa est, arbitrij libertate sint prædìti. Sunt & aliæ communes illis proprietates, quas insinuare videtur Propheta, dum igni eos cōparat, aut potius ignis nomenclaturā asscribit, inquiēs, Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis, vel vt alij legunt, Ignem ardentem. flamma ignis dicūtur, quia ignis proprietates propemodū, leuitate, feruore, luce, agi-

Angeli dignitate distinguuntur.

1. part. quæst. 50. art. 4.

Scholastici variant.

Thomæ sententia non est hic veritati consona.

Psalm. 103.

luce, agilitate, constāti ad sublimia motu referūt, hinc frequen-
Exod. 3. ter in specie ignis apparuisse leguntur, vti diffusè demonstrat
4. Reg. 2. sanctissimus pater Dionysius, Non sunt tamē per omnia pares,
& 6. sed certis gradibus distinguuntur. Quemadmodum enim hæc
Cælest. Hierar. cap. 15. corporea mundi machina supernorū cælorum, elementorumq; maior est moles, vastiorq; amplitudo: inferiorum verò minor & contractior. & rursus: Quemadmodū stella differt à stella in
Proportione idem probat. claritate, & alia alijs prestant dignitate: ita planè inter angelos nonnulla credēda est descriminis ratio, habēt siquidē processus scientiæ, & capacitatis profectus, habēt discretionem virtutis,
Lib. 4. de fide, cap. 1. atq; differenter prudentiæ sagacitatem, teste D. Amb. hic tamen non est aliquid temere determinandū cū discrimine, quod latere
Enchirid. cap. 49. potest sine crimine, secundū Aug. vnde Ioānes Damascenus, siue equales secundū substantiā sint, siue ad inuicem discrimen sorti-
Lib. 2. ortho. fi. cap. 3. ti nescimus, solus qui fecit ipsos, Deus scit, qui omnia nouit.

De intellectuali angelicæ naturæ subsistentia.

CAPVT III.

Act. 23. SAducæi adeò corporibus dediti erant, vt nil præter molem certis dimensionibus corpoream conciperent, omniaque preter corporea in rerum natura existere, inficias ibant, vnde nec animam rationalem, nec futurā resurrectionem, nec angelos, nec spiritus, fide tenebant. Resurrectionem namq; non
Saducæorum falsa persuasio. aliam esse, quàm cū quis mortuus, in seipso velut suscitatur, ac viuit in nato filio, de hac Moysen scripsisse opinabantur, Si quis sine liberis mortuus sit, accepta defuncti vxore, fratri semen suscitare debet, vt in eo videlicet quodāmodo antea mortuus, vitales incipiat carpere auras. Et cum angelicam naturam, ceu deridiculū exibilarent, libros tamen Moysis, in quibus complura de angelis predicantur, recipiebāt, sed fraudulenta expositione interpretabantur, non alia esse, quàm diuinas quasdā motiones, ac monitiones, velut sunt hominum verba, non autem substātias incorporeas intellectu præditas, quæ diuina iussa capescerent.
Libr. 1. perplexorum, cap. 49. Hos sequutus est Rabbi Moyses, persuadēs angelos esse virtutes rerum irrationabiliū, arborū, saxorum, & eius generis aliorum, quia per illas virtutes Dei potētia innotescit. Nostra quoq; hac luctuosa ætate, emerserunt quidam phatanici spiritus, qui angelos non crediderunt incorporeas personas, aut intellectuales substātias, sed accidentia, Angelos quidem bonos, cogitationes bonas, angelos malos, cogitationes tales. Sed horū maledicorū obtutibus opponenda est sacra scriptura, cū prophetica, tum Apostoli-

Apoſtolica, qua diſcere citra controuerſiam clariſſime licet angelos eſſe ſubſtātias, ac perſonas quaſdā intellectus acrimonia mentisq; vigore præditas, nā homines eorumq; habitacula perluſtrare, ſermones miſcere, manus porrigere adiutrices, cōfortare mœſtos, ſanitati reſtituere ægros, itē nocumenta rebus inferioribus inferre, peccata inducere, ad Plutonica regna perducere, non ſunt niſi intellectu præditorum, rationeq; vtentium. Licet quoq; Seruator noſter Chriſtus ſcribatur ſuos cōmonuiſſe Diſcipulos, quatenus ſibi cauerent à fermēto Saducæorum, tamen ſemel dūtaxat legitur ipſis loquutus, tū autem illis dixit, In futuro ſæculo, neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut angeli Dei. Quo verbo Saducæos perſtrinxit, ac hulcus eorū preſſit, tanquam dixiſſet: Si angelos eſſe crederetis, non vobis reſurrectio mortuorum incredibilis ac deridicula reprobaretur.

De angelicæ naturæ immortalitate.

CAPVT IIII.

INcorruptibilem eſſentiam, atque eiuſmodi accepêre angeli à Deo naturam, quæ non poſſet intercidere, ſed quæ in ſe perpetuę durationis, abſque propagationis multiplicatione, æternitatem continuaret, & immortalitatem ſeruaret, nec corruptionis mutationi ſubiaceret. Nec his Ioannis Damaſceni refragatur ſententia, quæ docet angelos non natura, ſed gratia immortalitatem conſequutos, quia niſi à Deo conſeruarentur, interirent, & vt aliæ creaturæ ad nihilum deficerent; non ergo aliud ſignificare videtur, quàm angelicam naturam, ſicut omnem aliā, prorſus diuinæ conſeruationis adminiculo indigere. *Libr. 2. ca. 3.*

De angelicæ naturæ numeroſitate.

CAPVT V.

IN hoc argumento varij varijs opinionum ambagibus laborarunt, quidam namq; ſecundum D. Athanaſium aſſeruêre, quod nonaginta nouē partibus diſtributi fuerint angeli, iuxta parabolā 10. dragmarum. Alij æqualem angelorum & hominum numerū diſpoſuerunt, ſecundū illud, Conſtituit terminos gentiū, iuxta numerū populorū. Philoſophi quoq;, hac in parte, vel maximè à ſcopo errarūt, quoniā ſphærarū cæleſtium numerū intelligētiarum numeroſitati cōparabant. Verūenimuero clarioribus ſcripturarum teſtimonijs edocti, haud difficulter reijciemus, quæ iā ante præmiſimus. In ſacris namq; literis copioſiſſi-

Quæſt. 2.
Lucæ 15.

copiosissimum angelorum numerū discimus. apud Prophetam:
Daniel. 7. Milia milium ministrabant ei, & decies milies centena milia assistebant ei, sic enim legendum est, non vt quidam prætermittētes milies. Hic obiter id Grāmaticum obseruatum non fuerit indignum, quod vox milies Græcè non est (chilias) qua significatur numerus ex decem centenarijs conflatus, sed est vocula myrias, qua numerus decem milia comprehēdens innuitur. Decem etenim milia myriadem conficiunt, quam vocem minus Latina milionem vocitare solemus, multę ergo miliones, siue myriades milionum ministrabant ei, & decies milies centenæ myriades assistebant ei. Hoc modo apud Ioannem: Vidi & audiui vocem angelorum multorum, in circuitu throni, & animalium, & seniorum, & erat numerus eorum, milia milium, ad verbum est, milia myriadum. Ob hunc ingentem profectò numerum D. Augustin. existimauit angelos Christo vehiculi loco fuisse, sic namq; scribit vates, Currus Dei decem milibus multiplex, milia lætantium, Dominus in eis in Sinai sancto. Quo scripturæ passu, depingitur ascensus Saluatoris, summo cum triumpho, gloriam & magnificentiam, regressu, præferentis, quemadmodum in monte Sina, summa cum maiestate descendit, magna angelorum caterua constipatus, vti legitur apud S. Moysen: apparuit de mōte Pharan, & cum eo sanctorum milia. Multitudo etiam cælestis exercitus ex Matthæo liquido constat, An putas, ait Christus, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò, plusquam duodecim legiones angelorum? Legio autem sex milia, sexcenta & sexagintasex, secundum Euthimium complectitur. Huc tamen referendus est D. Hiero. qui opinabatur Prophetam certum signasse numerum, pro incerto, quippe qui maiorem exprimere insufficiens, ostendere voluit multò plures esse, imò homini innumerabiles. Vnde Balda Zuites: Nunquid est numerus militum eius? quasi dicat, innumerabiles nobis sunt, teste beato Greg. Supernorum ciuium, inquit, numerus est infinitus, & definitus exprimitur, vt qui Deo est numerabilis, eisque omnibus nomina vocat, esse hominibus innumerabilis demonstretur.

Exponitur sentētia Danielis. *Chilias & myrias quid.* Apocal. 5. *Psalm. 67. & super hunc August.* *Libr. 5. cap. 33.* *Cap. 26.* *Legio quid.* *Super Matt.* *Super Daniel. locum.* Iob 25. *Lib. 17. moral. cap. 9.*

Angeli quare depinguntur alati.

CAPVT VI.

MAgna potest quosdam inuadere admiratio, ratione angelorum, qui cùm sint incorporei, vtpote capite & pedibus puri spiritus carentes, legantur tamen in sacra

pagina,

pagina,& in tabulis depingantur remigia alarū aſciſcere:atqui euaneſcet facilè omnis admirationis origo, ſi geminata ipſarū ratio conſtituatur. Prior eſt eruditionis, Angelis ſiquidem non ſunt alæ affixæ inſtar volucrum, nec ſunt de ſubſtantia eorum, ſed ad ſignificandum celerrimum velociſſimæ diſceſſionis, de loco ad locum, maxima diſſitum intercapedine, motum quaſi inſtantaneum,ſenſuq; imperceptibilem, talibus colorum lineamentis meritò depinguntur. Altera ratio eſt inſtructionis qua ſignificant virtutes ſanctorum, qui dum terrena deſpectui habent,ad ſublimia eleuantur, & alternis percuſſionibus inuicem attingunt,quia mutuis virtutibus tāquam calcaribus inſtigantur, & ſe ad profectum ex conſideratione virtutis alienæ excitant: non enim omnia dantur omnibus, ne in ſuperbiam lapſi collidantur. & rurſum: Dum habere illos conſpicis, quod ipſe nō habes, te illis in tua cogitatione poſtponas. Videamus Paulum,ait D.Greg. quomodo Apoſtolorum alis tactus fuerit qui mala præteritæ perſequutionis ſuę ad Apoſtolorū innocentem vitam cōſiderans,dicebat: Ergo ſum minimus Apoſtolorū,&c. Rurſum videamus,ſi quis ex Apoſtolis eum qui Paulo datus eſt intellectū miretur. ipſe Petrus locupletiſſimus teſtis hic in medium nobis eſt adducendus, Sicut chariſſimus frater noſter,ait, Paulus,ſecundū datam ſibi ſapiētiam ſcripſit vobis multa difficilia intellectu quę indocti & inſtabiles deprauāt.Miratur itaq; in Apoſtolis omnibus B Paulus innocentiam, miratur Petrus Apoſtolorum choriphæus in Paulo ſapientiā. Alis ergo ſe tangunt,qui inde ſe viciſſim ad profectū excitāt,vnde volant. Alarum quoq; mentione addiſcimus Angelorum alacritatem ſicut ſtabilitate immobilitatē,teſte B.Bernardo,ne ſtabilitas inſenſibilis & lapidea æſtimetur.Sed quare ſex alarū adminiculū iudicauit Propheta neceſſarium,quia duobus volabant,nēpe cognitione & deuotione: prior nō ſufficit,quia Philoſophi vna alarū ſubleuati,grauiter colliſi ceciderūt, cū enim Deū cognouiſſent, non ſicut Deū glorificauerūt.quod altera alarum prætēdit duabus alijs caput & reliquis duabus pedes velabāt,quia nos fugit, quid ante mundū fuerit,quidne ſit poſt cōſummationē futurū.

Ezechiel 3. *Lib. 1. homil. 10. ſuper Ezechiel* *1. Corin. 15.* *2. Petr. 3.* *Ser. 4. ſuper verba Iſa. Vidi Dominum.* *Iſaiæ 6.* *Sex alæ Seraphim, quid prætenderint.*

Angeli omnes boni creati.

CAPVT VII.

POſtquam nonnulla eſſentialem angelicæ ſubſtantiæ naturam concernentia prælibata ſunt, ordinis ratio poſtulat, vt mentis aciem qualitati eorum applicemus,vt, inquam,

dilucidemus, quales angeli sint creati: quoniam impius Manichæus cum suis sequacibus persuadere conatus est, quosdam angelos malos esse creatos. Verum eius iniquitas aduersatur apertissimis scripturarum testimonijs, irrefragabilibus priscorũ patrum sentẽtijs, ac venerabilibus sanctorũ Concil. decretis. Scripturis quidẽ dissentanea est, quia Genes. primo cap. Vidit Deus cũcta quę fecerat, & erãt valde bona. Qui dicit omnia, nihil eximit, ergo omnes creauit valde bonos. & Sapiẽs, Opera Domini vniuersa valde bona. sic Propheta: Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore, in delitijs Paradisi fuisti. Et postea: In medio lapidum ignitorũ ambulasti, perfectus in vijs tuis, à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te, &c. Et alius quidam: Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris. Christus quoq;, Videbam Sathanam, sicut fulgur de cælo cadentem: Nequiuit autem cælo excidere, nisi illius beatitudini insertus, quam etiam possidere nisi mundus non valuit, nil enim inquinatum intrat in illam. Similiter Epistola Iudæ indicat angelos non seruasse principatum, ergo habuerunt quem nõ seruando amiserunt. Ex quibus scripturarum passibus, cuiq; perspicuũ fit, in initio omnes bonos creatos, & innoxios à Deo productos. Iam res debita priscorum Patrum firmitate stabilienda occurrit, qui vnanimi probatæ opinionis consensu, angelos omnes bonos ab optimo maximo Deo creatos non ambigunt, nec à natura, nec ab initio malos, sed Deo familiaritate coniunctos fuisse: habebant enim liberã vitam, & insitam sibi potestatem, aut Deum sequendi, aut à bono discedendi. Gabriel angelus à Deo iugiter stetit, Sathã item angelus, ex ordine suo prorsus cecidit, & illum propria voluntas in cælo retinuit, hũc verò volũtatis libertas cælo deiecit. Poterat enim & ille à Deo deficere, & iste non excidere: simul atq; ab authore defecit, inimicus Dei, inimicus item hominis factus est. His adstipulatur beatissimus Pater Dionysius Areopagita, & beatus Cyrillus, Plurimi, inquit, erãt inter sanctos angelos, qui beatam & sanctam viuebant vitam, sed vt sacra scriptura dicit, Non seruauerunt suum principatũ. D. Ioannes Chrysost. docet diabolum antea fuisse bonum, ex eo quod scriptura dicat, Videbã Sathanã sicut fulgur de cælo cadentẽ, rectè sicut fulgur quod claritatẽ pristinæ conuersionis, & naturæ lucem ostendit, hoc modo D. Ambrosius, Quemadmodũ ad Paradisum angelus reuocare me poterit, cũ ipse Sathanas & angeli eius sedem quam acceperant seruare non potuerunt, ergo sedem aliquando illã habuerũt. Pari modo Grego. Naziãzenus, oratione in natali Saluatoris, &

Eccle. 39. *Ezech. 28.* *Esa. 14.* *Lucæ 10.*

De diui. nominibus, cap. 4. lib. 4. cõt. Iulianum. Homil. 10. de pœnitentia, & 3. De patientia S. Iob.

natoris, & Epiphanius in hæresi Manichæorum, Ioannes Damascenus allegat sententiam prælibatam, Vidit Deus cuncta quæ fecerat. Beatus autem Hiero. producit sententiam beati Iudæ præfatam. D. Fulgentius quasi rationem assignat: Angelos & homines, inquit, ex eo quod rationales facti sunt bonos creari & esse debuisse necesse est, natura siquidem humana id postulat, vt bona & iusta sit. Æquis graditur passibus D. Aug. quādo ait, potestas tenebrarum quid est, nisi potestas diaboli & angelorum eius: qui cum fuissent angeli lucis, in veritate per liberum arbitrium non stantes, sed inde cadentes, factæ sunt tenebræ, sic lib. 2. de bono perseuerantiæ, cap. 7. lib. 11. ciuit. Dei, cap. 11. nec non lib. 12. cap. 9. lib 3. cont. Maximinum cap. 12. Hæc eiusque generis alia loca plenissime docent, firmissime tenendum, nec aliquatenus dubitandum, Diabolum ex sua creatione malum non esse exortum. His tertiam classem additam oportuit, siquidem plura concilia, quasi pedibus in præmissam sententiam concurrunt, sicut ostendunt nobis Concilia, Carthaginense 4. & Braccarense, vbi sic habetur, Si quis dicat diabolum non fuisse prius Angelum bonum à Deo factum, nec Dei opificium fuisse naturam eius, sed dicit eum ex tenebris emersisse, nec aliquem sui habere authorem, sed ipsum esse principiū sicut Manicheus & Priscillianus dixerunt, anathema sit. & Cōcil. Lateranense, Cuius canō allegatur de summa Trinitate, & fide Catholica, ca. firmiter, diabolus & Dæmones alij, à Deo natura quidem creati sunt boni, sed per se facti sunt mali.

Hæres. 66. Lib. 2. ortho. fid. cap. 4. Epistola ad Panachium. Lib. de fide, ad Petrum, cap. 3. Epistola 107. quæ est ad Vitalem. Cap. 1. 1. Cap. 7. 3. Sub Innocentio 3.

Diluuntur argumenta Manichæorum.

CAPVT VIII.

IMpij Manichæi in sui erroris patrocinium producunt ex sancto Iob testimonium, vbi sic legitur, Hoc est initium figmenti Domini quod fecit vt illudatur ab angelis eius. Et alibi: Draco iste quem formasti ad illudendum ei: Quasi Deus in exordio creationis, cum ita finxisset, vt malus, seductor, & diabolus esset, non voluntate propria deprauatus, sed diuinitus ita formatus: Atqui res fieri non sinit, legique aduersatur iustitiæ, vt nullo existente, aut præcedente merito, hoc ipsum in quoquam Deus damnatione puniat, quod ipse in eo creauit. Certa autem & infallibilis cognoscitur diaboli ex sacro eloquio condemnatio, Ite ait Christus in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis eius; igitur Deus non damnauit eum, sed propriam deprauatæ mentis eius voluntatem pœna æterni ignis plectendam iustissime decreuit. Nec obstat

Cap. 40. Psalm. 103. Matth. 25.

præmissis

præmissis ipse Iob, qui sub nomine Behemoth intelligit diabolum, quando namque D. August. dicit, hoc est initium figmenti Domini, non allegat locum secundum vulgatam editionem, sed translationem Septuaginta Interpretum, Hebraicè enim sic habetur: hou reschit darbe el. Quam sententiam transtulit D. Hieronymus & Pagninus, Ipse principium viarum Dei, vt significetur diabolus, ad semitas Dei ambulandas, id est, præcepta eius capessenda, inter cæteras creaturas, primum obtinuisse locum, Angelis siquidem primo conditis, tāquam quibusdam semitis ad Dei cognitionem proficimus: Inuisibilia namque Dei per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur. Initium autem figmenti dicitur, secundum S. Aug. quod fecit Deus, vt ab angelis eius illudatur, non quod primitus ipsum malum condiderit, sed quia cum præsciret eum propriæ volūtatis fastu malum futurum, creauit tamen eū, eius rei ergo, vt per illum bonis cumulatiorem vitæ profectum afferret, hoc est, vt illudatur ab angelis .i. sanctis, quoniā illusionibus & suggestionibus suis non proficit, sed alios ad profectum suis meandris, diuexando adducit, & quibusdam tētationum malleis in incude huius miseriæ hominem ad debitam introducendę perfectionis formam reducit: teste beato Augustino, Deus, inquit, nullū non dico angelorum, sed nec hominum creasset, quem futurum malum præscisset, nisi pariter præcognouisset, quibus bonorum vsibus eos accommodaret. Obijciunt & illud: In veritate, inquiunt, non stetit. Verum quod putatur diabolus nunquam in veritate stetisse, neç vnquam beatam cum sanctis spiritibus duxisse vitam, sed ab ipso suæ conditionis initio cecidisse, non sic accipiendum est, vt nō propria volūtate deprauatus, sed malus à bono Deo creatus sit, alioqui non ab initio cecidisse diceretur, neque enim cecidit, si talis est factus, sed bonus conditus, protinus post aliquantæ spacium moræ, se à luce veritatis auertit, hoc modo hanc diluit obiectionem diuus Augustinus pluscul is locis: In veritate non stetit, inquit, quia fuit ibi, sed non permansit, neque perseuerauit. Dicitur quoque homicida ab initio, quod primum hominem peremerit, non ferrum stringēdo, aut aliquam vim corporaliter inferendo, sed malum persuadendo, mille artibus inescando, itaq; à Paradisi fœlicitate perturbando, legitur autem ab initio, vel quia in ipsis mundi auspicijs homicida fuerit, sicuti in Epistola Iudæ Apostoli habetur, Originali mundo non pepercit, Originalem mundum appellans, quia non procul erat sua origine, si spectemus tempora subsequuta, vel ab initio generis humani, & hic genuinus est literæ sensus. Ex his cuique perspi-

11. De gen. ad literam, cap. 20.

Roman. 1.

Libr. 11. de Ciuit. Dei, cap. 17. & 11. de gen. ad literam, ca. 22.

Mali angeli quare rebelli.

Lib. 11 de Ciuit. Dei, cap. 18.

11. Ciuit. cap. 13. & 14.

Obiectio.

Solutio.

Lib. 2. cont. literas Petil. cap. 13. de correpț. & gratia, cap 6. & tract. 42. super Ioannē.

Ioan. 8.

perſpicuum eſſe poteſt diabolum aliquando fuiſſe bonum, tamq; à bono Deo ſuper omnia in æternũ benedicto creatum.

Angeli in gratia creati.

CAPVT IX.

SOlerti indagine diſpiciendum occurrit, an angelis vltra naturæ proprietates, primo creationis momento addita ſint chariſmatum dona, vt vera iuſtitia, caſtoq; amore Deo inhærerent. Nonnullis placuit in naturalibus tantũ dotibus fuiſſe conditos, dona verò gratiæ tandem in cõfirmatione fuiſſe quibuſdam impartita: In qua hæreſi hoc loci reperitur etiam Reuerendiſſ. antiſtes Petrus Lombardus (ob ſingularẽ eius eruditionem & ſententiarum Theologicarum Summam, incredibili dexteritate collectam, triuiali nomine Magiſter Sententiarum appellatus) authoritate freti B. Auguſt. per cęlum intelligentis angelicam naturam. Primum informiter eam creatam aſſerit, idq; verbis illis ſignificatum fuiſſe, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Deinde fuiſſe formatã, & lucis nomine ſignificatam, dum dictum eſt, fiat lux. Proferunt & alium Aug. locum, vbi ait, Angelum continuo vt factus eſt, cecidiſſe, non ab eo, quod accepit, ſed ab eo quod acciperet, ſi Deo ſubdi voluiſſet: Sed manifeſtè falluntur; Priori ſiquidem loco non vult Auguſt. cæli terræque informitatem tempore priorem fuiſſe eorundem formatione, ſed origine tantum, vti liquido cõſtat ex eodem Auguſtino, vbi ait ſcripturam diuiſiſſe loquẽdi temporibus, quod Deus faciendi temporibus non diuiſit. Poſteriori verò loco, de beatitudine loquitur, quam accepiſſe eos qui corruerũt, negat. Duplex namq; reperitur beatitudo teſte Aug. vna eſt perfectiſſima & ſupernalis, quę conſiſtit in clara Dei viſione, & perfectiſſima tentione, in qua Angeli nequaquã ſunt creati. Si hãc enim aliquãdo habuiſſent, nunquam à Deo alienari conualuiſſent, cùm ſine ſecuritate poſſeſſionis iſta nequeat eſſe beatitudo. Cõplures autem amiſerunt, quæ acceperunt; indubitatũ eſt ergo eos in hac beatitudine non eſſe creatos. Altera eſt imperfecta quæ eſt ſtatus carẽs omni malo culpæ & pœnæ, atq; in hac beatitudine poſſunt angeli admitti creati, vtpote innocentes, & ab omni miſeria immunes, gratiaque illuſtres, à qua ſe dedêre præcipites, vnde Aug. factus ergo angelus ſtatim à veritate ſe auertit, propria poteſtate delectatus, beatæq; vitæ dulcedinem non guſtauit, quam non vtiq; acceptam faſtidiuit, ſed nolendo accipere remiſit. Quod autem gratia prędíti fuerint, apertis docet verbis D. Aug. Bonã, inquit, volun-

Petrus Lombardus, quare Magiſter Sententiarum appellatus.

Lib. 1. de gene. ad literã, cap. 11.

Libr. 11. de Gen. ad literam, cap. 23.

Lib. 1. cap. 15. de Gen. ad literam.

11. Ciuit. cap. 12. lib. 4. cõt. 2. epiſtolas Pelag. cap. 11. de correp. & gratia, ca. 10.

Duplex eſt beatitudo.

11. de gene. ad literam, cap. 23.

Libr. 11. cap. 11. & 12. de Ciuit. Dei, cap. 9.

voluntatem quis fecit in angelis, nisi ille qui eos fecit, cum suæ voluntate, & cum amore casto, quo illi adhæreret, creauit simul in eis condens naturam & largiens gratiam. Rursum alibi hanc tractans quæstionem, docet angelos quidem accepisse in principio charitatem, per quam stare possent in veritate si vellēt, sed non eam charitatis abundantiam per quam cadere vlterius non possent. His suffragatur D. Hieronymus, Dilexerunt vinaria vuarum quę vina non habēt, & pristinam gratiam perdiderunt, sicut dæmones, inquit, qui lapsi de propria dignitate, & nihil antiquę gratię possidentes, arefacti de cęlo ceciderunt. Ioannes Damascenus quoq; sic habet: Per verbū Dei creati sunt angeli, & per sanctificationem Spiritus sancti perfecti, pro suæ dignitatis & ordinis ratione illuminationem, & gratiā participantes. Nec non clarissimè D. Basilius super illa verba, Verbo Domini cæli firmati sunt: Sanctificationem, inquit, Deus angelis contulit, non enim infantes sunt creati: deinde paulatim exercitio perfecti, sic ad spiritum suscipiendum digni facti sunt, sed in prima compage ac velut massa substātiæ ipsorum, sanctitatis primordia simul iacta habuerunt, quapropter etiam ægrè ad malitiam transire potuerūt, statim velut tinctura quadam sanctificatione roborati, & stabilitatem ad virtutem ex dono spiritum sanctum habentes. Hęc sententia Priscorum & Neoticorum, ac Dictamini rationis est consentanea (licet aliqui diffiteantur) quia angeli à suæ creationis exordio, munda receptacula, & pellucida fuēre specula, nullis nebulis offuscata, teste D. Dionysio Areopagita, quibus benè dispositis, Dei liberalitas gratiā ipsorum ortui infudit, quemadmodum arbores non steriles, aut aridas protulit, sed frondibus & floribus, fructibusque pulchrè ornatas produxit. Probabile quoque est angelos non fuisse inferioris conditionis hominibus cōditos, quos Deus ab initio rectos bonaque præditos voluntate, plasmasse constat.

De corrept. & gratia, cap. 10. — *Super Oseæ 3.* — *Lib. 2. cap. 3. orthod. fidei, & lib. 4. cap. 4.* — *Psalm. 32.* — *De di. nominib. cap. 4. Similitudine probat quod docet*

Exponitur sententia Gregorij contra prefata militantis.

CAPVT X.

Dllucidando beatus Greg. sententiam beati Iob, Ipse principium viarum Dei. videtur prima facie infringere quod cōstitutum est, sentireque angelos ab initio castum Dei amorem & synceram sui dilectionem conditoris non habuisse: Huius ergo, inquit, lapidis in die conditionis suæ foramina præparata sunt, quia videlicet capax charitatis est cōditus, quasi repleri

Lib. 32. moraliū, ca. 18.

si repleri voluisset, stantibus angelis tãquam positis in regis ornamento lapidibus potuisset inhærere. habuit lapis iste Lucifer foramina, sed per superbiæ vitium, charitatis auro non sunt repleta: quia nimirum agit de perfecta quæ nũquam excidit charitate, vt liquido constat ex loci circumstantijs. Prius namque dixerat, quid boni non habuerit (loquens de Lucifero) si signaculum similitudinis Dei fuerit, de sigillo quippe annulitatis similitudo imaginaliter, qualis in sigillo eodẽ essentialiter habetur, & postea amoris vinculis ligari contempsit, nunc autẽ cæteri lapides, id est angeli, qui similiter fuerãt perforati, penetrãti se inuicem charitate sunt ligati, atq; isto cadente meruerunt, vt nequaquã iam de ornamento regio cadendo soluantur, licet enim fuerint in gratia, & charitate, nõ tamen fuerunt ab initio in illa confirmata. Angeli ergo, quia rationabiles facti sunt, æternitatis & beatitudinis donum in se à naturæ spiritalis creatore diuinitus acceperunt, ita scilicet, vt si dilectioni creatoris sui iugiter inhæsissent, simul æterni beatique mansissent: si verò propriȩ voluntatis arbitrio, cõtra summũ creatoris imperium, suam niterentur facere voluntatem, protinus à contumacibus beatitudo discederet: pars enim angelorum quæ à suo creatore Deo, quo solo beata fuit, voluntaria auersione discessit, æquitatis supernȩ iudicio initium suæ damnationis in ipsa auersione voluntatis inuenit, secundum D. August. Boni autem, diabolo cum suis complicibus cadente, in veritate steterunt, & securitatem perpetuam non cadendo, in qua nunc eos esse certissimi sumus, peruenire meruerunt. Gregorius verò prælibatis verbis intelligẽdus venit de charitate patriæ quæ penitus animum reddit quietum ac securum. Quod non induxerit in animum, eos absq; gratia esse creatos, perspicuum euadit ex ijsdem Gregorianis elucubrationibus: vbi asserit, hanc diaboli fuisse naturam, vt conditorem suum, & timens amaret, & amans metueret, verum illius peruersitate effectum, vt nullum omnino timeret.

De bono perse. cap. 7.

Lib. 34. moral. cap. 17.

Moræ an aliquid intercesserit inter creationem & lapsum.

CAPVT XI.

MAgnóne temporis interuallo an exiguo eius momento à veritatis semita angeli deflexerint, non vniformis videtur esse resolutio, quoniã sanctus Tomas Aquinas opinatur vno duntaxat instanti eos fuisse bonos, alteroque corruisse.

1. parte quæst. 63. art. 5. & parte 2. quæst. 37.

corruisse. Augustinus verò pronunciat eũ cum Manichæis non
11. *Ciuitat. Dei, cap.* 13. desipere, qui opinatur diabolum ab initio statim iustitiam recusasse, & a suæ creationis quasi primordio apostatasse. In se-
Cap. 15. quentibus nihilominus illã probatiorem ducit sententiam, quę nonnihil moræ inter creationem & lapsum permittit, vt diser-
In 28. *cap. Ezechielis.* tis quasi verbis declarat D. Hieron. super illud, Tu signaculum plenitudinis, plenus sapientia & corona, decorus in delitijs Dei Paradisi fuisti, & ambulasti perfectus in vijs tuis, à die conditio-
Homil. 1. *super Ezechielem.* nis tuæ: donec, inquit, in te inuenta est iniquitas. & Origenes, Serpẽs, inquit, hostis est contrarius veritati. Contrarius autem non à principio creatus est, neque statim super pectus, & ventrem ambulauit, neq; fuit ab initio maledictus, sed sicut Adam & Eua nõ statim vt facti sunt peccauerũt, ita serpens aliquando fuit non serpens, cum in Paradiso delitiarum moraretur, vnde postea corruẽs, ob peccata meruit audire, Tu signaculum similitudinis, & corona decoris in Paradiso Dei natus es, donec inuenta est iniquitas in te, ambulasti immaculatus in omnibus vijs tuis. His sanctorum patrum sententijs debito libramine
Apoc. 12. ponderatis, D. Thomæ sententia hac in parte videtur deficere, cum angelis sanctis laudi ducatur, quod prælium certaminis potiti victoria euicerint, factum est prælium magnum in cælo,
Prælium angelorum. si namque vnicum duntaxat fuisset instans nostri temporis, inter creationem & lapsum, tunc non fuisset bellicus congressus, nec parta victoria, quia in instanti mali peccassent, boniq; meruissent, atque ita malorum malum bonos tentando non diuexasset, (quod ante peccatum fieri nequibat) & per consequens victoriæ triumphus non fuisset. Præterea huius solutio quæstionis ex præcedentibus patet, Si enim angeli bona aliquando prędíti fuerint voluntate, castoque amore cum quo creati sunt, Deo adhæserũt, fieri nequiuit, vt a primo instanti suę creationis caderent: illa namq; dilectio qua Deo adhærebant moram aliquam temporis requirebat. Nec dictis refragantur quæ de dia-
Ioan. 8. bolo passim leguntur, Ille homicida erat ab initio, & in veritate
1. *Epistolæ, cap.* 3. non stetit, & ab initio diabolus peccat, quoniam vt recte expendit D. Augustinus, non dixit, à veritate alienus fuit, sed in
Libr. 11. *Ciuitat. Dei, cap.* 13. veritate non stetit, vbi inquit, à veritate lapsum intelligi voluit, in qua vtique si stetisset, eius particeps factus, beatus cũ sanctis angelis permansisset. Et postea illud quod dictũ est, In veri-
Cap. 15. tate non stetit, sic accipiamus, quod in veritate fuerit vt prælibatum est, sed non permansit. Et illud quod ab initio diabolus peccat, non ab initio creationis peccasse credendus est, sed ab initio peccati, quod ab ipsius supercilio exordium sumpsit.

DISTIN-

DISTINCTIO QVARTA.

Angeli an miseri creati.

CAPVT I.

IRrefragabile apud Theologos creditur Paradoxum, sub Iudice Deo, ne pœna culpam anteuertat, miseriam absque peccati nota non esse constituendam, cùm peccatum duntaxat omni miseriæ causam præbuerit, quæ omnino futura non erat, si vt condita fuerat creatura rationalis, ita perstitisset, Deoque conditori suo casto amore adhæsisset. Cùm ergo Angeli omnes ab exordio creationis suæ, ab omni labe peccati fuerint immunes, etiam miseriæ omnis, illos credendum est fuisse expertes.

Angeli an creati perfecti.

CAPVT II.

MAioris ergò claritudinis, duplices perfectionis species, secundum beatum August. sunt constituendæ: quarum vna dicitur viæ, altera patriæ. Viæ, secatur tripharium, in perfectionem quçest secũdum naturam, secundum virtutem, & secundum tempus. Naturalis perfectio suis numeris completur, quando in aliqua re nihil superfluere, aut deesse deprehenditur. quomodo Psalmographus cecinit, Dei perfecta sunt opera. Et Moyses, Perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. Virtualis perfectio in hoc consistit, vt virtutum complementum complectatur, Estote perfecti, ait Christus, sicut Pater vester cęlestis perfectus est, Qui vtique secundum plenitudinem maiestatis suæ perfectus: nos verò secundum virtutis accidentis profectum. Secundum tempus aliquid censetur perfectum, quod obtinet quicquid temporis ratio postulat, & exigentiæ eius congruit, sic canis licet ante nonum diem organis visus captus sit, non tamẽ perfectus ambigitur. Perfectio autem Patriæ, tri membri partitione dirimenda etiam occurrit. Prima, secundum vniuersitatem, cui nihil vnquam deest, & à quo vni-

Lib. 4. cont. 2. epist. Pelag. cap. 11.

Perfectio multiplex.

Genes. 2.

Matth. 5.

uersa (quod solius est Dei) bona promanant. Perfectum secundum naturam est, quando possidet quód naturæ necessario expedit, atque debetur, hoc modo perfecti fuerunt angeli, post confirmationem & futuri sunt sancti post resurrectionem. Tantisper autem naturæ detrahitur, dum non est suum ad quem condita est finem, consequuta: fine autem suo carent angeli, quamdiu non inuariabili amore diuinæ visioni inhærent, Sancti quoque suo fine spoliantur, quamdiu non animo claram Dei visionem, & corpore plenam beatitudinis immortalitatem sunt adepti: secundum tempus perfecti fuerunt angeli, ante confirmationem vel lapsum, quia illa perceperant, quæ illis intuitu illius temporis congruebant: Itaque quadam ratione perfecti, atque imperfecti in creationis primordio rectè fuisse creduntur. Imperfecti quidem quia fœlicitate æternæ beatitudinis ad quam creati fuerant, non

Perfectus & imperfectus est Paulus. Philip. 3.

ita perfectè primitus perfruebantur. Perfecti verò, quia illa iam assequuti erant, quæ illis secundum illius rationem temporis congruebant. Nec hoc absurdum reputari debet, quia legimus perfectum & imperfectum fuisse Apostolum Paulum, cum enim dixisset, non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, postea eo loci subnectit: Quicunque perfecti sumus, hoc ipsum sentiamus.

Beati an angeli fuerint creati.

CAPVT III.

De corrept. & gratia, cap. 10. 11. Ciuit. cap. 12.

Beatitudo duo complectitur.

Angeli creationis primordio, facti sunt beati, teste beato Augustino, non quidem ea beatitudine, cui additio fieri non possit, sed qualis fuit primi hominis, cum adhuc rectus staret, sine vitio, atq; omni afflictione. Perfecta autem beatitudo, eodem teste, duo cōplectitur, vt videlicet bono incommutabili quod Deus est, sine vlla molestia quis perfruatur, & in eo se in æternum esse mansurum, nec vlla dubitatione cunctetur, nec vllo errore fallatur. hanc nunquam acceperunt apostatici spiritus, nam irreparabiliter lapsi sunt, quod fieri nequiuisset, si perfectam illam beatitudinem, quæ perseuerantiæ certitudinem includit, accepissent: beati tamen fuerunt diabolus & angeli eius, antequam præcipites ruerent inchoata beatitudine, cui adhuc adijci potuisset, quia beatitudinis plenitudinem assequuti nequaquam erant.

Angeli an sui casus fuerint præscij.

CAPVT IIII.

HIc obiter debito libramine ponderasse profuerit, an mali angeli suum præsciuerint casum: Cui quæstioni lucis multum accedet, si geminam secundum sanctos, Thomam, & Bonauenturam sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinalem, cognitionis posuerimus varietatem. Vna est certa, de illis quibus causæ sunt infallibiles, vt cras super nostrum hemisphærium oriri Solem, eumque in capite aut cauda Draconis ecclipsari. Altera est coniecturalis, qua artis Medicinæ expertus præcognoscit sanitatem futuram, & nauclerus impendentem procellosi maris tempestatem. Cùm autem casus & confirmationis incertitudo à libero dependeant arbitrio, quod non est ad vnum determinatum, liquet illis nullam fuisse certitudinem euidentem, nisi in Deo cuius infallibili scientiæ omnia sunt subiecta, nec congruum fuit, vt Deus casum illis panderet, aut ante reuelaret, quia pœna culpam præcessisset, & antequam cecidissent, talis præscientia eis desperationis baratrum adduxisset, & proinde delinquere coëgisset. Nec etiam bonis ab exordio sua fuit manifestata confirmatio, ne boni se à malis ante casum seiungerent, & odiosum diuortium excogitarent, quod fuisset superbiæ vel liuoris, vti dilucidum efficit sanctissimus Pater August. nec non beatus Ancelmus, Certa scientia, inquit, diabolus casus sui certior esse non potuit, quia potuit non esse, nec aliqua suspitione casum præsensit. Si enim adhuc in bona consistens voluntate præsciebat se casurum, aut volebat vt ita fieret; aut nolebat, si cum præscientia voluntatem habebat aliquando cadendi, iam ipsa mala ceciderat voluntate. Si autem præsciebat se casurum, & nolebat, tanto miserior erat, quantò magis stare volebat, & quo erat iustior, eo debebat esse fœlicior, ac tantò iustior erat, quantò magis stare volebat, & quo erat iustior, eo debebat esse fœlicior, ergo si nolendo præsciebat se casurum, tantò erat miserior, quantò debebat esse fœlicior, quod est absurdum. Sed contra prælibata militare videtur sententia D. Bernardi, quæ asserere videtur angelos sui casus fuisse prius certiores. verum si studiosum attentumque habeat lectorem, haud difficulter cognoscere poterit Bernardum, quasi pedibus in priorum patrum concedere sententiam,

In scripto 2. dist. 4. quæst. 2.

Duplex cognitio.

11. De gen. ad literam cap. 17. & 19. ac 23. ac lib. 11. ciuit. cap. 13. De casu diaboli, cap. 21. & 24.

Lib. 12. de gradibus humilitatis, in calce 1. tractatus.

Sic namque habet, Miror diabole, cum in præsentia Dei tuum præuideris principatum, cur non in eadem præuidisti tuum præcipitium, nam si præuidisti, quæ insania fuit, vt cum tanta miseria cuperes principari? Verum credibilius est, quod non præuidisti, aut propter illam causam quam superius dixi, quia Dei bonitatem attendens, dixisti in corde tuo, non requiret: propter quod, ô impie, Deum iritasti, aut quia viso principatu statim in oculo superbiæ trabs excreuit, qua interposita, casum videre non potuisti. Sicut Ioseph, cum præuidisset se exaltandum in regno Ægyptiaco, coram Rege Pharaone, non tamen præsciuit sui venditionem, quamuis propior esset venditio, quàm exaltatio.

Pulchra sancti Bernardi sententia.

Gen. 37. & 41.

Angelis an fuerit gratia naturalis, vel supernaturalis.

CAP. V.

Non semel præmisimus dist. 3. Angelos gratiam cum cognitione & dilectione coniūctam in creationis primordio habuisse. Itemque hac 4. perfectos ac imperfectos extitisse. Iam istarum energia vocularum occurrit elucidanda, vt omnibus in confesso esse queat, an gratia & reliqua angelis ipso exortu collata, sint supernaturalia, aut naturalia, vel etiam vtroque modo censenda. Theologis vocitare visum est naturale, quod alicui rei est essentiale: sic bonitas, sapientia, patientia, Deo sunt naturalia, vnde sanctus Basilius: Cælorum virtutes, inquit, suaptè natura, sanctæ non sunt, nam si essent, nulla re à Spiritu sancto differrent, vt sensus sit, Spiritus sanctus suaptè sanctus est natura, non angeli, quibus sanctitatis est mensura à Spiritu sancto, iuxta portionem qua alios superant, quemadmodum ferrum candens habet in se vim ad vrendum ignitam, aliud tamen ferri est materia, aliud ignis natura, sic angeli velut igniti à Spiritu sancto inhabitante, sanctitatem sortiuntur, sed aliud natura est angelica, aliud sanctitas, hæc angelis abesse potest, atqui Spiritu sancto essentialis est. qui non potest, nō esse sanctus. Huic adstipulatur D. Cyrillus lib. 1. super Ioannem, homo natura sua, inquit, incorruptibilis & perpetuus esse nō potest, soli enim Deo substantialiter hoc inest. Naturale quoque altero modo dicitur, quod ad rei integritatem requiritur, etiāsi salua abesse posset essentia, vt manus, pedes, visus, auditus, &c. Et hoc sanè modo naturalis fuit angelis, & homini bona voluntas, sanctitas, charitas, qua Deū super omnia amabant, ipsi-

Cap. 16. de Spiritu sancto.

Naturale quid.

Similitudine probat quod docet.

Cap. 15.

Altero modo naturale quid.

bant, ipsique inhærebant, ita, inquam, naturalis fuit, vt sine ista integri, & recti esse minimè potuissent, id quod citra omnem authoritatem clarè, ex ipsorum vltimo fine manifestum euadit; quoniam si vltimus hominis finis in essentiæ diuinæ visione, & fruitione consistat; consequitur necessario, quod illi casto amore subiectum esse, eique in iustitia & sanctitate seruire, angelis, hominique necessarium est. sic Ioannes Damascenus asseuerat malos angelos à statu secundum naturam, in statum contra naturam esse mutatos. Vtique tunc erant in statu secundum naturam, qui naturæ ipsorum erat conueniens, quando iusti erant, & casto amore suo creatori adhærebant: quando verò in superbiam elati creatori suo rebelles facti sunt, tum in eum statum, qui contra ipsorum naturam est, mutati sunt. Et beatus August. pulchrè ostēdit, quomodo naturale sit angelis, adhærere Deo per charitatem: huic, inquit, naturæ quæ in tanta creata est excellentia. Et postea, Omne vitium naturæ nocet, ac per hoc contra naturam est. Si contra naturam est angelorum, per iustitiam & pietatem Deo non adhærere, secundum naturam igitur & naturale est, Deo per pietatem & iustitiam adhærere: nam si vnum contrariorum & maximè contradictoriorum, vt sunt adhærere Deo & non adhærere, est naturæ contrarium, reliquum est naturæ conueniens. quod pereleganti probat similitudine. Sicut, ait, cum vitium oculorum dicitur cæcitas, id ostenditur, quod ad naturam oculorum pertinet visus, & cum vitium aurium dicitur surditas, ad earum demonstratur pertinere naturam auditus. Ita cum vitium naturæ angelicæ dicitur, quòd non adhæret Deo, hinc apertissimè declaratur, eius naturæ, quod adhæreat Deo, conuenire. Quàm porrò magna sit laus adhærere Deo, vt ei viuat, inde sapiat, illo gaudeat, tantoque bono sine morte, sine errore, sine molestia perfruatur, quis cogitare dignè possit, vel eloqui? Quapropter etiam vitio malorum angelorum, non quo adhęrent Deo, quoniam omne vitium naturę nocet, satis manifestatur Deum tam bonam eorum creasse naturam, cui noxium sit non esse cum Deo. Iam sedula mentis indagine discutiendum est, an gratia, iustitia, & pietas angelorum dici queat & debeat supernaturalis. Si id supernaturale vocitare velimus, quod non est essentiale, haud dubium quin hac ratione (licet impropriè neque illi propriè enim opponitur naturale) iustitia omnis & gratia supernaturalis sit angelis. Sin verò id supernaturale ponamus, quod si adsit rei, bonum quidem ei est, & vtile, sed si non adsit etiam, non idcirco res erit in vitio. Exemplo res clarescat, Prophetia

Libr. 2. orthod. fid. cap. 3.

12. Ciuit. Dei, cap. 1.

Similitudine pereleganti probat.

Supernaturale quid.

Exemplo prolat.

est quidem excellens bonum hominis, verum etiamsi illo Prophetię careat dono, non ideo vitiosus est, si alioquin probus sit. Ad hunc, inquam, modũ supernaturale sumptum, nequaquam iustitia potest dici angelis supernaturalis esse, hoc siquidẽ foret dicere, naturam eorum æque bene dispositam, rectam, incorruptam & sine vitio esse, si gratia bonæ voluntatis, iustitiaque carerent, quod falsissimum esse nemo ambigit. Est itaque angelicæ naturæ, iustitia & gratia, in qua condita est naturalis, quia ad integritatem & bonum eius requisitum, ita vt mala & corrupta esset, nisi illam haberet. Est eidem & supernaturalis, quia non à seipsa, sed ab alia altiori natura illam accipere debet. Sicut, inquit D. Augustinus, non est à carne, quod carnem facit viuere, sic non est ab homine, sed super hominem, quod hominem facit beatè viuere, nec solum hominem, sed quamlibet potestatem, virtutemq; cælestem. Quocirca vt vita carnis anima est, ita beata hominis vita Deus est. Beatus populus cuius Dominus Deus eius. Sic si alteram hominis spectèmus partem, carnẽ videlicet, supernaturalis est illi immortalitas, quia in carne ex carne oriri non potest, sed carni ex Deo est, prout tradit beatus Cyrillus super illud, Et verbum caro factũ est. Si tamen naturale accipis pro eo quod ad naturæ integritatem pertinet, tum est immortalitas naturalis, vitium etenim est carnis, per peccatum adductum, morti esse obnoxium. Eundem ad modum nunc supernaturalis est nobis iustitia, non solum quia illam diuinitus infundi oporteat, sed etiam quia vitia contraria innata nobis atque tenaciter inhærentia, extirpanda & euellenda sunt admirabili Dei operatione. Nec in angelis duæ iustitiæ sunt concipiendæ, quarum altera naturalis, altera supernaturalis sit, sed vna est eademque, quam naturalem appellitamus & supernaturalem, quæ sit à natura superiori, secundum primam rationalis naturæ institutionem hauriẽda. Hoc modo & visio Dei, naturalis est, quia naturæ debita, tanquam naturalis eius finis, teste beato Fulgentio, ad quem condita est, quam si suo non assequeretur tempore, vitiosa esset: & supernaturalis, quia non nisi Deo largiente, & naturam rationalem euehente, potest haberi. Ac proinde non sunt duo constituendi fines hominis, vt vnus naturalis sit, alter supernaturalis dicatur, sed quemadmodum vna iustitia est diligere Deum super omnia, ita vnus finis hominum & angelorum est visio Dei, qua nos lætificare post hanc miserabilis vitæ vallem dignetur, qui solus regnat Deus per immortalia sæcula. Amen.

19. De ciuit. Dei, cap. 2. & 26. & 24.

Lib. de incarnatione & gratia, cap. 22. 23.

DISTIN-

DISTINCTIO QVINTA.

De exordio auersionis angelicæ.

CAPVT I.

QVò clarius diaboli peccatum cognoscatur, cuius pondere cælorum sublimitati exciderit, operæpretium fuerit aduertere triplicem in ipso statum, nempe inchoationis exordium, consummationis progressum, & confirmationis obstinationem. Primitus namque considerauit suam qua præditus erat pulchritudinem, cuius occasione inflatus, intumuit, vti scriptura plusculis locis manifestat. Christus siquidem cupiens Apostolorum reprimere supercilium (quod potuerant, iactando omnis generis dæmonia sibi subiecta, incurrere) dicit, Videbam Sathanam tanquam fulgur de cælo cadentem, quasi dicat, Vestra refert, non fastuoso animo insolescere, sed timore contrahi, propter miserabilem quem superbia diabolo peperit casum. Non ergo natum fuit peccatum ex passione, vt nobis plerumque assolet, non ex errore, aut ignorantia, non ex cupiditate inhærente, nec ex corrupto iudicio, sed voluntaria auersione maioris boni ad minus bonum, quod dubio procul non aliud est, quàm superbiæ vitium: testibus beatis Augustino & Gregorio Magno. Alij inquiunt, sua potestate potius delectati, velut bonum suum suijpsius esset, à superiori communi omnium beatifico bono, ad propria defluxerunt, vt scripturis varijs probatu non est difficile, sic namque legimus apud Ezechielem, vbi in typum diaboli, superbi reges inducuntur, Eleuatum est cor tuum in decore tuo, & D. Paulus: Non neophytum, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. Nec non Sapiens, Initium omnis peccati superbia. & Tobiæ 4. In ipsa superbia initium sumpsit omnis perditio. Verùm his refragari videtur scriptura alia, quæ dicit, Radix omnium malorum cupiditas: dicēdum non obstare, quin initium peccati sit superbia, cum primitus fuerit in mundo, tum etiam quia omni bono se ingerendo intrepide immiscet, adeò vt etiam bonis operibus se sociare non expauescat, teste D. August. inquantum peccator aspernatur legem, cui refugit obsecundare, quodam fastu elatus: cum hoc tamen stat, radicem

In angelorū casu consideranda.

Lucæ 10.

Lib. 12. de ciuit. Dei. cap. 10. & 34. moral. ca. 18. Cap. 21. & 28.

1. Ad Timoth. 3.

Ecclesi. 10.

1. Ad Timoth. 6.

De natura & gratia, ca. 27. & 29.

Initium peccati est superbia, & radix malorū, quomodo cupiditas.

peccati, esse cupiditatem, quòd sit omnis peccati fomentum, quemadmodum namque arbor per radicem sumit nutrimentum, ac fomentum, ita omne peccatum habet generaliter pro radice qua fouetur, cupiditatem honoris, dignitatis, diuitiarum, voluptatum, aut alicuius cæterorum. Superbia autem describitur amor esse vel complacentia, qua sibi quis ob proprium commodum inordinatè placet. Vel est inordinatus appetitus propriæ celsitudinis, & excellentiæ. At nunc animo repetendum est, quosdam adeò extitisse superbos, vt Domino suo à quo propriam acceperant excellentiam, voluerint esse æquales, aut saltem maiori similitudine pares, quam creati essent. Hinc D. Augustinus, Qui se voluit æqualem facere Deo, cum non esset, cecidit, & ex angelo factus est diabolus. Et alio loco, Asserit diabolum rapere voluisse diuinitatem. D. Gregorius, Ius peruersè libertatis appetijt, vt præesset cæteris, nullique subesset.

Superbia quid.

Tract. 17. in Ioannem.

In Psalm. 68. conc. 1.

Lib. 24. moral. cap. 13. & 34.

De progressu auersionis angelicæ.

CAPVT II.

Diaboli peccatum censetur in ambitione consummatum, quia præsumens de suæ celsitudinis dignitate, ambiuit ea quę erãt supra se, imò super omne quod dicitur Deus, multo fortius similis esse altissimo auebat. Pro cuius sententiæ pleniori decisione, notandum occurrit, ex D. Bonauentura sanctæ Rom. Ecclesiæ cardinale, duplicem esse similitudinem, Imitationis & æqualitatis. imitationis rursus bipartita subdiuisione secatur, vna namque nuncupatur ordinata, altera inordinata, ordinatè appetere similitudinem imitationis nihil vetat, quin potius plura scripturarum testimonia, eo nos alliciendo inuitant. Discite à me, inquit Seruator mundi, quia mitis sum & humilis corde. Et Apostolus, Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi. & alibi, Imitatores mei estote. Alia est similitudo imitationis, sed inordinata, qua nempe homo homini ambit præesse, alterumque per phas nephasque superare contendit, vt minori opera se de inimico vindicet, qui appetitus nec hominem decent Christianum, nec Deo placent. Similitudine autem æqualitatis credimus simpliciter (saluo semper meliori iudicio) laborasse Luciferum, & absolutè eo vesaniæ prorupisse, vt diuinam ambiret immensæ celsitudinis maiestatem, adeò vt peccatum quidem à superbia exordium

Lib. 2. dist. 5. quæst. 2.

Duplex est similitudo.

Matth. 11.

Ephes. 5.

Philip. 3.

exordium sumpserit, sed desijt in Dei contemptum, apertam rebellionem, infidelitatem, & mentis cæcitatem. Vnde Prosper, Nunquam affectassent diuinitatem, nisi fuissent antea corrupti occulta superbia. A tanta igitur cæcitate, vt æquales aut superiores Deo se esse posse putarent, inchoatum non est primum peccatum, sed in ea consummatum, nam eo progressus tendebat, vt æqualem se Deo crederet, nec illi subijci debere, nec illius ope indigere: atque diceret, se nihili pendere, nec curare ipsum eiúsve bona, me nil curat, nec ego illum, ego & magnus & potens sum, nec illo inferior, suis ille vtatur bonis, ego meis mihi abundè sufficio. Istud perpulchra indicat D. Augus. sententia, Fecerunt, inquit, sibi Ciuitates duas, amores duos, Terrenam, scilicet amorem sui, vsque ad contemptum Dei, cælestem verò amorem Dei, vsque ad contemptum sui. Quo autem Doctores facilius ad eundem tendant scopum, sciendum quod veteres verissimè quidem scribant, quod se angeli Deo voluerunt æquare, ac etiam nunc velint, sed tum de primi peccati consummatione loquuntur. Similiter cum dicunt hominis peccatum fuisse infidelitatem, contemptum, rebellionem, peccatum intelligunt consummatum. Atqui scholastici cum referunt fuisse impossibile, vt tam nobilis & adeò præstanti mente creatura se crederet æqualem esse Deo posse, de peccati initio loquuntur, neque enim à contemptu cœperunt, sed à superbia quæ sensim contemptum attrahit, ex superbiæ namque cæcitate cœperunt Deum & præcepta eius contemnere & flocci pendere. Quid enim præcipit ille, cogitauit, cuius ope prorsus non egeo, imperet ijs quos pascit. Ex hoc iudicio immaturo, quo nullius alterius bonis aut ope indigere se credidit, primum neglexit Deum, deinde & ipsum Deum ac præcepta eius capescere recusauit, ex quo consequenter reputauit, se nullo subesse debere, sed sibi potius omnia, quandoquidem adeò excelleret. Expetijt, inquit D. Greg. vt præesset omnibus, & nulli subesset, imò adorari, vt Deus concupiuit, quemadmodum docet insignis Abbas Rupertus, qui docet Sathanam cæteris dixisse angelis, se esse increatum, se esse Deum, non autem id solum in se ipso cogitasse, allegando caput Ezechielis, vbi dicit, Pharao Rex Ægypti, Deus ego sum, & me ipsum ego feci. In eo ergo sita est dæmonum superbia, quod cum ratione creationis Deo subijci debuissent, & toti ex eius arbitrio pendere, in hoc voluerunt similes esse altissimo, vt quemadmodum ille à nihilo est, nullinsque subijcitur imperio, sed proprio viuit iudicio, cæterisque omnibus præsidet,

Lib. 2. de vita contemplat. cap. 19.

Diaboli stupenda auersio.

Lib. 14. Ciuit. Dei, cap. 28.

Modus intelligendi scriptores in hoc doctrinæ capite.

24. Moral. cap. 12.

Lib. 1. De victoria verbi Dei, & 4. & 10.

Cap 29.

præsidet,

præsidet, ita etiam illi, tanquam à nullo essent, proprio arbitratu viuerent, vniuersaque proprio Marte administrarent. Hoc quoque modo reliqui deliquerunt angeli apostatæ, quanquam non pariformiter, quia exorbitarunt, non tamen Lucifero consentiendo, verumetiam excellentiam maiorem ambiendo, ad quam cum se peruenire absque sublimatione Luciferi, qui principati videbatur, desperarent, & sibi & illi ipsum vindicare concupierunt, præferentes sub vmbra illius miserabiliter, & æternaliter gehennalibus flammis cruciari, quam sub diuino imperio, glorioso ministerio fœliciter potiri.

Cæteri angeli quomodo peccarunt.

De obstinatione auersionis angelicæ.

CAPVT III.

PErsuasum cum iam haberet diabolus, votis se potiri non posse, inuidiæ & odij obstinatione peccatum confirmauit. Nec istud solum militat contra Ioannem Schotum, sed etiam quosdam alios vetustiores, qui tempestate D. Augustini hæsitabant, an prius inuasisset diabolum inuidia, an superbia, sic namque habet: Nonnulli, inquit, dicunt diabolum à supernis sedibus lapsum, quod inuiderit homini ad imaginem Dei facto. Porrò hęc inuidia sequitur superbiam, non præcedit, non enim causa superbiendi est inuidentia, sed causa inuidendi est superbia. Cum enim superbia sit amor propriæ excellentiæ, Inuidia sit odium fœlicitatis alienæ, quid vnde nascatur, satis in promptu est: amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus inuidet, quod ei coæquantur, vel inferioribus ne sibi coæquentur, vel superioribus quod eis non coæquetur; Superbiendo igitur inuidus, non inuidendo quisque superbus est.

11. De gen. ad literã, ca. 14. Lib. 12. ciuit. cap. 6. & lib. 14. cap. 3.

Inuidia quid.

De conuersione bonorum angelorum.

CAPVT IIII.

MAlignorum spirituũ culpa vel ex eo liquet, quod licet sine omnis gratiæ adminiculo persistere nequiuerint, per id tamen quod eis collatum erat in creatione poterant non cadere, & stare, sicut alij perstiterunt, quia nihil erat quod eos ad casum impelleret, sed sua spontanea voluntate declinauerunt. Innumeræ tamen bonorum angelorum myriades, in æterna cum Deo beatitudine permanserunt,

eique

eique prompta obedientia obsequentes adhæserunt, accipientes teste Augustino, certam quam non habuerant scientiam, qua essent de sua sempiterna, & nunquam casura stabilitate securi. *Enchiridij, cap. 28.*

Angeli boni quando beatitudinem meruerint.

CAPVT V.

MAgna extitit tempestate Magistri, vt ex vltimo §. distinctionis 5. patet controuersia, an angeli boni meruerint ministerio hominibus postea impendendo, suę beatitudinis gloriam. In quo approbat illam opinionem, qua præmium anteuertit meritum, quia secundum obsequia & ministeria hominibus impendenda, meruerunt præmia in conuersione ad Deum ipsis concessa, Sicut Rex tribuit equum, qui nondum hunc promeruit, sed confidit bono equi concessi vsu, ipsum hoc promeriturum. Atqui hæc Magistri sententia passim à Doctoribus non recipitur, quia meritum & præmium nequeunt simul esse tempore, multò minus meritum potest consequi præmium, non potest enim idem esse via & terminus: meritum autem via est, ac velut motus quidam ad beatitudinem, quæ est terminus & quies in summi boni possessione. Prӕterea, meritum est gratia inchoata, beatitudo consummata, fieri autem non potest, vt idem sit motus & quies, vt vna gratia sit inchoata & perfecta, idem puer & vir: sed qui meretur, eo ipso mouetur, ac in suum finem tendit, in via est, nondum perfectus, sed proficiens. Posset fortasse contingere, vt cum merita aliqua præcesserint, vltimum ex ijs vel vnius finis imperceptibiliter habeat præmium coniunctum, sed tamen necesse est meritum aliqua ex parte, quadamq; inchoatione præcedat. Dicit quidem D. Augustinus, quod nullo temporis interuallo pœna & culpa diuidantur, tamen culpa inchoatur priusquam pœna existat: peccatum siquidem cum consummatum fuerit, tum generat mortem. Insuper firmissimè tenendum est, sanctos angelos meritis præmium æternæ gloriæ præcedentibus, suam meruisse beatitudinem: Cæteris, inquit beatus Augustinus, in summo bono permanentibus, vt de sua sine fine permansione certi essent, tanquam ipsius præmium permansionis dedit. Et alibi: Cæteri per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, eamque de suo casu nunquam futuro certissimè scire meruerunt. Et sequenti capite expressius, angeli sancti cadentibus alijs per libe-

Magister non tenetur.

Præmium nō est ante meritum.

Lib. 3. de lib. arb. cap. 15.

Lib. 22. Ciuit. cap. 1. de prædest. sanctorũ. cap. 7. De corrept. & gratia, c. 10. & 11.

per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & huius mansionis debitam meruerunt recipere mercedem, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum est, se in illa semper esse mansuros. Saluberrimè, inquit, credimus & rectissimè confitemur Deum Dominumque rerum omnium, creasse omnia bona valde, & mala ex bonis exortura esse præsciuit, & sciuit ad suam omnipotentissimam bonitatē pertinere, etiam de malis bene facere, quàm mala esse nō sinere, sic ordinasse angelorum hominumque vitam, vt in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium. Deinde quid posset suæ gratiæ beneficium iustitiæque iudicium, beati siquidem erant diaboli & angeli eius antequam caderent, & se in miseriam casuros nesciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent: donec summæ beatitudinis plenitudinem tanquam præmium accepissent, minore quidem prius, sed tamen beatitudine sine vllo vitio perfruebantur. Licet autem ex prælibato Augustini capite, tria elicere temporum momenta. Primum, in quo omnes fuere beati. Secundum, in quo aliqui ceciderunt, alij perstiterūt. Tertium, in quo sancti plenissimæ beatitudinis præmium perceperunt, à quo in posterum non possent auelli: Superbi desertores in sempiternam miseriam deturbati sunt, à qua nunquam poterunt liberari, meruerant quidem prius dæmones illam beatitudinem aliquando, sed in superbiam elati, priora merita mortificarunt. Ecce luculenter apparuit Angelos permansionis præmium meruisse. Quod autem beatitudinem non meruerunt per ministeria hominibus impēdenda, liquido constare potest, quia si homo non fuisset creatus, tum angelus nequaquā fuisset beatus, cum deesset cui ministeriū exhiberet. Nec alicuius roboris existimādum est exemplum ab equo sumptum, quia hoc quod aliquis præuidetur equo vsurus à Rege suscepto, non meretur illum proprio suo merito, alioqui sequeretur, quod mereretur homo gratiam, quia Deus prēuidet eum bene ea vsurum, sicque gratia esset ex meritis, quod aduersatur Theologiæ sancti Pauli. Præterea si angelus mereretur per ministeria impendenda suam beatitudinem, iam concludere valeremus, quod natura angelica de præmio essentiali nondum esset certa & secura, quia secundum sententiam Apostoli, Nemo coronatur nisi qui legittime certauerit. Habuerunt ergo angeli boni illa modica mora, tam intensum actum, vt efficacius meruerint beatitudinem, quàm homo viator toto vitæ suæ curriculo mereri posset.

Tria temporis momenta.

2. Ad Timot. cap. 2.

Angeli

Angeli an per Christum saluati.

CAPVT VI.

Mirabile admodum iudicatur Iacobum de Valentia, & Ioãnem Vignetiã, articulo de casu angelorũ, & ante hos Albertum Magnum, ac Guilihelmũ Peraldum Episcopum Parisiensem, scripsisse omnibus angelis ante confirmationem sanctorum, lapsumque malorum, reuelatum à Deo fuisse filium Dei incarnandum, eumque ipsum summo in loco fore exaltãdum. Adijciunt quoq; illis fuisse imperatum à Domino, vt ei se submitterẽt, & in eum anchoram spei figerent, & agnoscerent per illum se esse saluandos. Ac tum angelos eos qui perstiterunt dixisse, Talem omnino venturum agnoscimus, & per illum tuam Domine gratiam æternamque salutem poscimus: diabolum verò sibi eiusmodi honorem deberi, secumque iniquè agi, quod in hominem vilem & abiectum, tantus honos transferretur, se qui natura longè præstantior esset, eo dignissimum esse dixisse: Verùm affirmant tantùm, non probant. Quocirca duas huius sententiæ partes oportet diligentius intueri. Prior est, angelos per Christum, secundum humanam naturam sanctos ac beatos effectos esse, quod probant hac similive scriptura, Christus est caput Angelorum. Posterior est, omnibus fuisse reuelatum Christum aliquando exuuias nostræ mortalitatis assumpturum, quod eadem facilitate contemnitur, qua asseritur: Commentum igitur est explodendum, non rudi populo plausibiliter venditandum. Multò verò minus prior ferenda est sententia, qua angelos per fidem Christi venturi, saluos esse factos asserunt, ac propter angelorum salutem filium Dei incarnatum, firmissimè namque retinendum est, quod in Symbolo confitemur, Qui propter nos homines, non angelos, & propter nostram salutem est homo non angelus factus. Si propter angelos venit, quare non potius naturam angelicam assumpsit? Deinde expressè docet, nusquam angelos, sed semen Abrahæ apprehendit. Quo fit, vt angeli in Apocalypsi, non cadant ante agnum, nec eum sicut homines glorificent. huc facit sententia Augustini, dicentis, non pro angelis mortuus est Christus: ergo nec incarnatus, nec in mundum pro angelis venit. Alibi quoque docet angelos meruisse beatitudinem per liberum arbitrium, non sicut nos per gratiam. Item alio loco: Dominus, inquit, non venit vocare iustos, sed peccatores. Si enim Deus peccatores non amaret, de cælo ad terram

Cap. 5.
Enchirid. cap. 61.
De correp. & gratia, cap. 10. & 11.
Tract. 49. in Ioannem.

& serm 8. de verbis Apostoli. Libr. 3. moral. 11. 3. parte quæst. 1. Libr. 3. dist. 1. Serm. 22. super cant. Exponitur sententia Bernardi. Serm. 1. de aduentu.

terram non descenderet: Si homo non peccasset filius hominis non venisset. & Gregorius Magnus, Nisi primus homo delinqueret, secundus ad passionum probra minimè veniret. Huic suffragantur doctores scholastici, D. Thomas, Bonauentura, & Richardus, docentes Christum non fuisse incarnandum, si homo non præuaricatus esset; Illi autem opinantur Christum incarnari debuisse, vt sancti angeli saluarentur: Quod proferãt D. Bernardum suæ patrocinari sententiæ, quando asserit Christum angelorum Saluatorem, impropriè nomenclaturam redemptoris posuit. quod fuerint scilicet à malo præseruati per diuinitatem: Christum etenim secundum diuinitatem duntaxat esse redemptorem, id est, conseruatorem angelorum docet, sicut modò hominum est Saluator secundũ naturam humanam. Profectò constat liquidissimè ex alio D. Bernardi passu, non fuisse eum in ista cùm prædictis sententia, apertè enim docet, Christum venisse propter hominum salutem, non propter angelos, non propter sanctos, quia illi non egebant, non propter malos, quibus nihil erat profutura incarnatio; Propter homines igitur peccatores descendit, vt scripturæ manifestant: filius hominis venit quærere, & saluum

Lucæ 19. facere, quod perierat, Non veni vocare iustos, sed peccatores.

DISTINCTIO
SEXTA.

Lucifer an supernorum ciuium primatem egerit.

CAPVT I.

Lib. 11. de gen. ad literã, cap. 26. & 29.

IN hoc doctrinæ capite neminem fugere debet. quosdam duplices angelorum constituisse species, secundum beatum Augustinum, videlicet cælestium & mundanorum. Cælestes secundum eos dicuntur, qui sua munia in sublimibus cælorũ absoluũt; nec inferiorum negotijs se ingerunt. Mundani ipsi sunt, quibus custodia vniuersæ

Lib. 2. orth. fid. cap. 4.

terræ est demandata. Et in hac hæresi constat fuisse Ioannem Damascenum, qui arbitratur ex mundanis angelis & istis inferioribus, quibus principabatur Lucifer: quosdam cum ipso suo principe corruisse, superiores non item. Verum euidentiorem veritatis probabilitatem obtinet sentẽtia, ipsum Luciferum

ferum

ferum non inferiorum ordinum primum fuisse, sed supremi ordinis conditione naturæ, sicut Adam origine, Petrum coripheū Apostolorum, dignitate præcipuum: vti efficaciter probat D. Gregorius elucidans illam sancti Iob sententiam, Ipse est principium viarum Dei. Principiū, inquit, viarum Dei dicitur Behemoth, quia nimirum cum cuncta creans Deus ageret hunc primum condidit, quem angelis reliquis eminentiorem fecit: Quam confirmat authoritate prophetæ dicentis. Omne lignū Paradisi Dei, non est assimilatum illi, nec pulchritudini eius, quonia speciosum fecit eum in multis, condensisque frōdibus: vbi per ligna Paradisi, angelicorum spirituum agmina intelligit Quæ quāuis, inquit, excelsa sunt condita. Huic tamen nec prælata sunt, nec æquata. Adducit & alium locum in medium eiusdem vatis, Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia, & perfectus decore. signaculum similitudinis Dei lapsus dicitur angelus, vt quo subtilior est in natura, eo imago Dei plenius in illo credatur expressa. Et iterum, Omnis lapis operimentum tuum, Sardius, Topasius, &c. in eandem trahit significationem: Nouem, ait, genera lapidum, nouem esse angelorum ordines, quibus Behemoth iste opertus fuisse describitur, quia eos quasi vestem ad ornamētum suum habuit, quorum dum claritatem transcēderet, ex eorum comparatione clarior fuit. producit & illud, quod eodem loco ponitur, Tu Cherub extensus & protegēs in monte sancto Dei. Cherub, inquit, plenitudo scientiæ interpretatur, & idcirco iste Cherub dicitur, quia transcendisse cunctos scientia inflāte non ambigitur.

32. Moral. cap. 18. & lib. 40. homiliarū 34. Cap. 40.

Ezechiel *28. & 31.*

Nouem angelorum ordines.

Cherub quid.

Lucifer suggestione peruersa complices adsciuit.

CAPVT II.

Reliqui angeli suæ pulchritudinis decorē admirātes, suasu Sathanæ inducti fœliciores eos fore, si quod ille fecerat, & ipsi agerent, pollicentis, à diuina pulchritudine obtutus amouentes, similiter oculis mentis capti, diuinitatem ambierunt, satius fore iudicantes huic turpiter famulari, quàm æternaliter & fœliciter cum Deo Opt. Maximo dominari. Nec aliquatenus præsumendum est hos, ad similem impietatem eius meandris inductos cupiuisse eius capistro subijci, nam voluerūt & ipsi Dij existere. Cōsenserunt autē Sathanæ, vt hac methodo maiores clarioresque euaderent. Quemadmodum seditiosi homines, non ob id seditioso Principis authoramēto supponuntur, quasi illi malint, quàm naturali Regi militari, sed quia hinc sibi maiora bona pollicentur, confisi, se ista via honores, ac opes

Angeli quomodo Lucifero adhæserunt.

quas ardenti desiderio expetunt, consequuturos. Impræsentiarum nō sunt audiendi Albertus Magnus, neque Guilielmus Peraldus Parisiensis, angelos non suggestionis sibilis, sed suaptè spontè peccasse, constituentes. Nam dæmones adhortatione
Apocal. 12. Sathanæ exorbitasse, sacra pagina abundè manifestat. Sic itaque legitur, Visum est, inquit, aliud signum in cælo, & ecce draco magnus & rufus, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum, & misit eas in terram. & quibusdam interpositis, factum est prælium magnum in cælo, &c. Et iterum, Proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus qui vocatur diabolus, & Sathanas, qui seducit vniuersum orbē, & proiectus est in ter-
Matth. 25. ram, & angeli eius cum eo missi sunt. Et alibi, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Cur inferiores, eius angeli appellantur, nisi quia sub eius vexillo militare
9. *Ciuitat.* probantur? A quo namque aliquis deuictus est, huic & seruus
cap 32. addictus est. Ista comprobat D. August. & D. Basilius, & si-
Homil. 10. nuosus eius interpres Ambrosius, Sathanas cum illis angelis,
Epistola 84. inquit, quos in consensum impietatis suæ traxerat, à sublimitate deiectus est.

Ex varijs angelorum ordinibus multi ceciderunt.

CAPVT III.

Ephes. 6. NEc Lucifer duntaxat præcipitio collisus, æternaliter affligitur, sed ex diuersis angelorum ordinibus quidam, ex
1. Corinth. 15. scripturis lapsi manifestantur, legitur namque apud Apostolum nobis esse colluctatio aduersus principes, & potesta-
Apocal. 12. tes, igitur aliqui de potestatum ordine ceciderunt. Et alibi,
Libr. 2. *Sententiarum* Cùm euacuauerit omnem principatum, potestatem. & virtutē, ergo & de virtutibus reflexos calles facientes ceciderunt. Et
dist. 6. Euangelista Ioannes, vbi Sathanas legitur secum traxisse ter-
Lib. 1. *de sacramentis, par.* tiam partem stellarum, id est infinitam angelorum multitudinem, adeò vt scholastici doctores D. Thomas, sanctus Bonauen-
5. *cap.* 33. tura, & Hugo de Sancto Victore, sentiant vnanimiter ex singulis
Homil. 34. angelorum ordinibus quosdam præcipites ruisse. Cui etiam ra-
Lib. 40. *homiliarum.* tio nō refragatur, si namque de supremo ordine aliquis nempe Lucifer ceciderit, multò fortius aliqui ex inferioribus ordini-
Homines ad diuersos angelorum ordines assumendi. bus, vtpote aliqualem excusationis in tentatione prætextum habentes, lapsi sunt. Etsi singulis ordinibus, quosdam ex hominibus, à beato Gregorio discamus inserendos, consequi videtur, quosdam funesto prolapsu hominibus locum parasse, vt ex diuisis ordinum interruptionibus, non plausibilem ordinis vnitatem soli-

tem solidarent, sed confusione diuersorum ordinum regnum Plutonicum, imò Sathanicum magis perturbarent: Id namque postulabat iustum Dei iudicium, vt qui spontanea malitia superbienti consentirent, & acquiescerent, eius etiam deinceps tyrannidi subderentur vel inuiti. Hoc loci tamen aduertendum est, tametsi de singulis ordinibus aliqui defecerint, non tamen vnquam Seraphim aut Throni appellantur, quod hæc similiaque nomina, aliquid pietatis & iustitiæ quæ ab ijs sumpta ami-serunt, includât, Siquidem Throni sedes Dei dicuntur, quod in eis habitat Deus, non in dæmonibus, Seraphim significant ardentes, aut alios incendentes, sumpta vocula ab ardore charitatis cuius expertes non dubitantur etiam dæmones, nomenclatura Cherub, siue in plurali Cherubim per m, vt Seraphim primatui congruere compertissimum est, quod significare creditur prospicientem, siue scientia præditum. Verum vocula angelus bonis malisque indifferenter communis est, nam & mali suis complicibus multa nunciant, sic & nomen principatus. At nomen dominationis non repeto memoria malis attribui, fortasse quod iustitiæ dominio sumptû sit, aut verius, quia dominium quando absolutè ponitur, veram quandam quæ non nisi iustorum est, significat libertatem: dæmones verò non habent libertatem, sed æternæ pœnę ex peccato seruitutem, à qua liberare nos dignetur omnipotens & misericors Dominus. Amen.

Vnde in dæmonibus confusio.

Throni, Cherubim, Seraphim, quid.

Dæmones an in aërem caliginosum detrusi.

CAPVT IIII.

ANgeli primi peccatum, vel momento saltem cæterorum angelorum peccatum præcessisse credendum est, Nec vno quo peccauit instanti fuisse deiectum; sed quemadmodû protoplastes Adam, non ipso quo peccauit momento, deturbatus est à Paradiso. quia prius præuaricationis redargutus fuit, & quàm iusta prolata in eum esset sententia, haud difficulter addiscere potuit, pari modo ipsum dæmonû principem, prius transgressionis conuictum esse, quàm repulsam passum, à vero nequaquam est alienum. Cum iam (fortassis habuit instar Adæ, occasionẽ se purgandi) pondus tãtorum peccatorum cæli cælorum non caperent, nec comprehensum sustinere possent: Deus eos in aërem caliginosum mediæ & infimæ regionis detrusit, teste Petro Apostolo, Deus, ait, angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum, tradidit cruciandos, in iudicium reseruari. Et beatus Paulus, cum Epi-

Lucifer antè alios peccauit.

2. Epistolæ, cap. 2.

Ephes. 2.

stola canonica sancti Iudæ, vocat dæmonem principem potestatis aëris huius, quia in aëre caliginoso versantur, qui eis vice carceris, vsque ad extremum diem deputatus est, in quo acerbissimas coguntur dare pœnas. Nobis nihilominus comparant coronas per tentationum occasiones, quibus nos lacessere tanta sedulitate & multitudine habent, vt ipsos instar muscarum circa nos volitare, Sanctis quibusdam non ignoremus reuelatum. Circũeunt namque, vt testificatur Petrus Apostolus, quærentes non vt noceant, lædant, sed si valeant, deuorent. Et apud prophetam Iob, Circuiui terram & perambulaui eam. Locus autem eorum non est purus & tranquillus aër, sed hic caliginosus, vbi imbres generãtur, ac nubes condensantur. In hoc autem velut rudentibus & compedibus ligati sunt, in tartara suo tempore demergendi, nunquam sursum eleuandi. His calculum suum addunt classici Doctores, Basilius homilia nona, Augustinus, quibus consentaneus est diuus Hieronymus super illud Epistolæ ad Ephesios, non est nobis colluctatio: Hæc, inquit, omnium Doctorum est opinio, quod aër iste, qui cælum & terram diuidens, mane vocatur, plenus sit contrarijs fortitudinibus, id est, spiritibus, qui nos impugnent. Sed tu Domine Iesu libera nos ita à malo, vt nunquam castrum nostri cordis expugnent, quin potius tanquam in fornace tentationum probatos, sedibus beatorum vel inuiti restituant. Amen.

Dæmones instar muscarũ circa nos volitant.

1. Petri 5.

Cap. 1

11. De ge. ad literam. cap. 26. lib. 1. Ciuit. ca. 19. & lib. 11. cap. 33. lib. 14. cap. 3. Enchirid. ca. 28. lib. 3. de tri. cap. 7. & de natur. bon. cap. 33. cont. Manich.

Angeli aliqui an in tartarum demersi.

CAPVT V.

Ratio triplex probabile efficit aliquos angelos in infernum esse detrusos. Prima est, quod animas cruciandas eò detrahere non desinant, cum enim constet angelos sanctos deducere animas piorum in sinum Abrahę, perspicuum fit, angelos nequam impiorum animas ad inferos rapere cruciãdas, teste beato Gregorio, & Venerabili Beda: quibus exemplis breuitatis ergô, citandis supersedemus. Secunda est, in inferno cruciari impiorum animas, & proinde probabile est, quosdam eis esse cruciandis præfectos: Quod authoritate D. Hieronymi suffultum improbabile non est credendum, sic etenim habet super illud Esaiæ, Infernus subter te conturbatus est. Possumus, inquit, infernum interpretari angelum illum qui pœnis est præpositus. Tertia est, Angeli sancti habitant in cælo, ergo non est absimile vero, malos angelos esse in inferno. nam

Lucæ 16.

Lib. 4. dialog. & V. Beda, lib. 5. gentis Anglorũ, ca. 13.

Esaiæ 14.

nam si angeli sancti virtutum meritis adepti sint cælestem habitationem, ergo mali sua iniquitate possident carcerem infernalem. Contrarijs siquidem meritis contraria sunt præmia conferenda. Maioris tamen claritudinis ergò, non dissimulandum est, duplicem esse angelorum cum bonorum tum malorum locum: Vnus est, qui vtrique ratione debetur meritorum, cælum scilicet vel infernus. Alius locus est, angelis tam bonis, quàm etiam malis, imò & hominibus communis, nempe mundus: nam bonis deputatur ratione ministerij obeundi, nam angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. quin & Epistola ad Hebræos non veretur omnes administratorios spiritus, & in ministerium missos, nuncupare. Ordinarat quoque Deus dæmones, vt sibi ministrarent, sed impellente fastuosæ elationis malitia, eius gloriam exibilando, impugnant, à cuius honore dependere debebant, quibus ratione culpæ quidem infernus debetur. atqui voluit Deus eos in hoc aëre caliginoso versari, tum vt malis dominarentur, qui digni sunt Dei iustitiam ipsorum ministerio, sentiant, tum etiam vt iustos & bonos exercendo purgatiores reddant. Hinc igitur fit, vt sicut quidam sunt angeli in cælo cum sanctis animabus, quidam defensores hominum in terris militantium: Ita in inferno sunt aliqui cum reprobis animabus, quas horrendis tormentorum cruciatibus affligunt, & sunt, qui vna nobiscum degant in terris, quatenus impijs dominentur, & timoratos mille tentationum mæandris diuexando exerceant. Domine Iesu da in tentatione prouentum, vt valeamus sustinere. Quandoquidem pro hoc argumento stabiliendo, non suppetunt suffragia scripturarum, sanctorum patrum monumenta in medium ea de causa sunt nobis adducenda, sic igitur legitur apud beatum Cyrillum, quem allegat diuus Thomas in octauo capite Lucæ: Postquam in mundo illuxit Christus, repressa est omnis dæmonum tyrannis, & ipsi inter inferni portas nunc continentur, & palam est quod æmulæ cateruæ maiestatis diuinæ, ineffabili Saluatoris potentia detrudantur ad inferna. sic diuus Gregorius Nazanzenus, eundem Euangelistæ locum declarans: Christus, inquit, legiones dæmonum præcipitabat in infernum. His consonat D. Ambrosius eo loci, & OEcumenius, Deprecabantur, inquit, Christum dæmones, ne præcipitarentur in abyssum. eundem ad modum habet sanctus Ioannes, ex suaui eloquentiæ profluuio Chrysostomus appellatus, tractans illud, Venisti ante tempus perdere nos, siue id assertiuè,

Duplex est angelorum locus.

Psalm. 90.

Ad Hebr. 1.

Angeli mali quare in aëre.

In cap. 2. epistolæ 2.

Homil. 24. super Matthæum.

siue interrogatiuè legas, Putabant, inquit, vltimi supplicij tempus adesse, & ideo talem pœnam deprecabantur.

Dæmones an magis iam crucientur, quàm post diem iudicij.

CAPVT VI.

1. Parte quæst. 64. art. 4. ad 4. IMprobabilis non est D. Thomæ Aquinatis sententia, qua adstruit dæmones eidem pœnæ subijci, qua post iudicium extremum sunt afficiendi, fretus authoritate venerabilis *Cap. 3.* Bedæ in Epistolam Iacobi, Lingua, inquit, inflammata à gehenna, id est diabolo, qui gehenna nuncupatur, quod quocunque *Diabolus quare vocetur gehenna à Iacobo.* se vertat, ignem gehennæ secum ferat, etiamsi à suis sequacibus in templis, & phanis diuinos honores vendicet, sicut sancti angeli cum nobis etiam præsto sunt, semper vident faciem Patris, qui in cælis est, non minus atque in cælo coram assisterent. Quemadmodum etiam beatitudo sanctorum quantum attinet ad quædam accidentaria, potest incrementa sumere, quia gaudium est angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, Et in die iudicij, & propter plenam electorum custoditorum liberationem, spirituali gaudiorum iucunditate lætabuntur. Ita dæmones ediuerso mœrore afficiuntur, cum sancti faciunt validum cum vigili hoste conflictum, suauè namque ducunt socios habere in pœnis, quas sustinebunt maximè peracto huius palestræ certamine, proiecti in tenebras exteriores. Verum his aliquot D. Augustini loca prima fronte obuiare videntur, qui- *Libr. 1. de nup. & concup. cap. 23.* bus non iam damnatos esse, sed damnationem ipsorum esse futuram pronunciat, sic namque habet, In extremo, inquit, iudicio pœnas patientur dæmones maiores quàm homines. Et *Lib. 8. ciuit. ca. 23. & 14. cap. 3. itē lib. 20. cap. 1.* alibi: In die iudicij, æterna dānatione puniendi sunt, & diabolus æterno supplicio est destinatus. Omnia ista & similia verissima sunt, quia in die iudicij damnabuntur, & punientur, sed propterea futurum id asserit, quia accidentaria supplicia multa accedent, quibus modò non affliguntur. Præcipuè verò futura dicitur illorum damnatio, ob id quod in die iudicij omnibus innotescet eorum damnatio, & quam iustè inflicta sit. Sicut scripturæ sanctæ, impios in infernum detrudendos dicunt, non quod animæ impiorum iam gehennæ sint expertes, vt testatur anima epulonis, sed quia tum manifesta erit omnibus, impio- *Lucæ 16.* rum damnatio, qui subinde fœlices ante hoc iudicium ab ho- *De correp. & gratia, ca. 10.* minibus magnificantur, hinc dicuntur sancti visuri cadauera mortuorum virorum. Alioqui sanè D. Augustinus manifestam

profert de beatitudine angelorum sanctorum & miseria malorum sententiam, quod nimirum vt sancti ab initio beati fuerunt, ita dæmones mox à lapsu in miseriam inciderunt sempiternam. Et D. Prosper, hoc iudicium, inquit, quod inter iustos homines, iniustosque futurum credimus, inter sanctos angelos, & immundos credimus esse factum. *Lib. 1. de vita contempla. cap. 3.*

Diluuntur obiecta ex Iustino, & alijs desumpta.

CAPVT VII.

PRæmissis aduersari videntur ea, quæ à multæ lectionis veterum peritis ex Iustino martyre adduci solent, cuius sententiam recitat D. Ireneus, quam hæresim reperire licet, etiam apud Eusebiũ Cæsariẽsem, Epiphaniũ & OEcumenium, qui vno ceu ore, docere videntur, diabolum ante aduẽtum Domini in carne, nunquã ausum fuisse blasphemare Deum, quippe qui nũdum agnouisset suam dãnationem, sed tum demum eius certiorem esse factum, quãdo per Iudicem Christum lata proferebatur sententia: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: ergo, inquiunt, prius damnationi non fuit obnoxius. Epiphanius affirmare non veretur ipsum spe veniæ frustra lactatum fuisse, Sperabat, inquit, per pœnitentiam Domino Deo reconciliari, at vbi omnem spem conspexit sublatam, hæreticos ad blasphemandum Deum sibilis serpentinis instigauit. Profectò si isti fuerint suæ damnationis ignari, boni angeli nequiuerunt beatitudinis esse participes. Proinde hæc sententia vtraque sui parte falsa reprobatur. Nam quod blasphemare Deum non fuerint ausi, antequam eis ex Christi prædicatione innotuisset propria damnatio, prorsus à veritatis semita declinat. Certum siquidem est diabolum ab initio mũdi persuasisse homini idololatriam, nec aliquod religionis specimen cognouit, nec approbauit, nisi vbi humani cordis officina ipsum susciperet, atque ceu numen quoddam adoraret. An ne maxima blasphemiæ est nota, docere alium esse Deum, quàm eum qui fecit cælum & terram? Deinde quid aliud quàm blasphemauit, cum Christo dixit, procide in terram, & me adora? Item regna mundi tanquam Dominus polliceri an potuit absque blasphemiæ nota? nec obstat quod dicitur, venisti ante tempus perdere nos, quia significarunt præscire se aliquando torquendos, sicuti D. Amb. Chrysost. & beatus Augustinus tradunt. Fuerunt certè angeli sancti ante Christi aduentum, faciem Dei quoque contẽplati sunt, ac de sua beatitudine fuere

Lib. 5. cont. heres. Lib. 4. eccl. hist. 18. heres. 23. de Sethianis. super, aduersarius vester.

In 8 ca. Luc. homil. 24. Lib. 8. ciuit. Dei, cap. 23.

securi, ergo & dæmones semper miseri & desperabundi. Possunt nihilominus Iustini verba, si vspiam talia memoriæ prodiderit, ad hunc capi sensum, vt voluerit diabolum maiorem iram concepisse, ex eo quod se conspiceret per Christum ex hominum cordibus foras eiectum: neque enim suum inducere potuit in animum, Christum ita rerum potiturum, ac longè lateq; dominaturum, & in tantas angustias suũ contrahendum imperium. Interim tamen, non ignorabat se in infernum præcipitandum, sed vim primi aduentus Christi plenè non intelligebat, nec incarnationis comprehendebat mysterium. Verba Epiphanij omnem excusationis prætextum explodunt, quibus ait, diabolum sperauisse reconciliationem per pœnitentiam, at Christum nullam eius curam gessisse. Absit vt Christus quenquam pœnitentem siue hominem siue angelum à se repellat, cui
Psalm. 144. proprium est semper misereri & parcere, & miserationes eius super omnia opera eius: quo circa licentius dictum à sancto viro, hoc est reputandum.

Lucifer an in inferno ligatus.

CAPVT VIII.

1. Petri. 5. APostolus docet aduersarium circuire instar leonis, non modo vt deglubat, sed deuoret, nec ab eo tempore quo Christum adoriri præsumpsit in deserto, religatus est in inferno, quia Iudam vt Christum proderet incitauit: Intrauit in eum Sathanas, ait Euangelista. sed nec per passionem quidem religatus fuit, quia Iudæos incitauit in discipulorum Chri-
Diabolus quomodo ligatus. sti cædem, & ad idololatriæ præcipitium gentes pæcipitauit. Verum quidem est quod in Apocalypsi Sathanas legatur soluendus, quod fieri res vetuisset nisi prius fuisset ligatus: sed intuitu multorum electorum intelligendus est ligatus, iuxta verbum Domini, Si fortior ingressus fuerit, alligat fortem, & vasa eius diripit: Alligatus est ergo quantum ad eos quos eripit illi Christus. sic inquam alligatus, vt eis non dominetur & potestas eius cohibeatur in eos, ne deijciat, non autem vt omnino non tentet. Quod si potestas eius non cohiberetur, nemo ex infideli fidelis fieret, nemo fidelis in fide permaneret, adeò namq; corda hominum fascinaret, vt falsa pro veris susciperent, teste beato
Epistola 107. quæ est ad Vitalem. Augustino. Quantum ad cæteros quibus dominatur, ligatus certè non est, sed vt Paulus Apostolus ait ad Timotheum, captiuos eos tenet, ad suam ipsius voluntatem qui veritati resistunt.

Prælatu-

Prælaturæ ordo an sit in dæmonibus.

CAPVT IX.

PRælationis ordinem ita largè Magister §. D. dist. 6. lib. 2. accepisse videtur ex D. Paulo, vt etiam angelos sanctos, nec non homines, Apostolus complexus sit, & significarit etiam angelorum sanctorum erga alios prælationem euacuandam. Verum magis arridet diui Ioannis Chrysostomi elucidatio, secundum quam dicit Apostolus, in die iudicij euacuandam omnem potestatem, scilicet aduersariam dæmonum, idque respectu hominum, vt eos vel in posterum diuexare nequeant: neque enim post iudicium extremum, homines iustos amplius impugnare poterunt, aut aliquid molestiæ inferre. Nos hic varios hostes habemus, domestica est nobis concupiscentiæ pronitas, quæ incessanter ad peccatum solicitat, mors quoque inimica sæuire cernitur, & diabolus vt leo crudelissimè circuit: atqui in die iudicij ab omnibus concupiscentiæ inordinatæ motibus, & ab omnibus diabolicæ fraudis insidijs liberabimur, nouissimè quoque inimica destruetur mors. Nihilominus in dæmonibus & angelis sanctis, teste D. Thoma, remanebit naturalis prælatio, & alij alijs præerunt, & inter homines alij sanctiores erunt alijs atque superiores, eritque inter eos, iuxta tenorem sancti Euangelij, vt Dominus constituat eum super familiam suam.

1. Corinth. 15.

Varij hostes humani generis.

1. *Parte quæst.* 109. *art.* 1.

Dæmones an singulis vitijs singuli obsequantur.

CAPVT X.

CItra primam diaboli damnationem, quæ mox à lapsu & peccato facta est, & per vltimam quæ in extremo iudicij die vniuersaliter creditur futura, tertiam quandam ex scripturis cognoscere promptum est. de prima scribit S. Iudas, non pepercit eis, &c. de secunda, Ite in ignem æternum qui paratus est, &c. Tertia est, cuius mentionem Christus fecit apud Ioannem, nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi huius eijcietur foras. Et, Princeps huius mundi iam iudicatus est: Item alibi, Cum fortis armatus custodit atrium suum, hac potissimum dãnatione eijcitur diabolus ne hominibus amplius dominetur, nec ad suam voluntatem captiuos teneat, ne cribret

Triplex est diaboli condemnatio.

Matth. 25.

Lucæ 11.

eos ſicut triticum, vel zizania ſuperſeminet. Hac homines eius eripiuntur tyrannidi. Hac adiuti, caſſes eius effugere præualent, hac etiam contingit, vt Deus in poſterum non admittat, aduerſus hominem eius accuſationem, nam proiectus eſt accuſator fratrum. Hac denique non tam liber iam ad ſocietatem filiorum Dei patet acceſſus, vicit namque ipſum leo de tribu Iuda. Quin & fidelibus ſuis dedit poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, &c. quo humiliauit calumniatorem, vt non niſi volentem, vincere poſſit. Magna certè diaboli condemnatio, & infirmitas. Nihilominus grauiſſimam exarſit in iram, firmiusque iam hominum corda poſſidet carnalium, ne ſibi eripiantur. Neque enim eum latet parum temporis ſibi ſupereſſe, & iudicium extremum imminere: quo fit vt cum de reintegrandis moribus & Eccleſiæ ſtatu reformando tractatur, vehementiſſima per homines carnales (quorum corda poſſidet) vafricie reluctetur. Neque enim exiſtimare debemus rem nobis duntaxat cum hominibus eſſe, ſed colluctatio nobis eſt vel maxime aduerſus poteſtates & principes tenebrarum harum, hoc eſt hominum mundo deditorum, quos ſcriptura tenebrarum nomine ſignificare conſueuit. aduerſus, inquam, dæmones. qui ſummo conamine & ardentiſſima crudelitate, ei impendunt omnem quam poſſunt operam, vt homines ſibi deditos ſuo imperio mancipatos ſemper retineant. An autem ſinguli ſingulis præſint vitijs, in præſentia requirendum reſtat, deprehendimus quidem diabolum, Chriſtum varijs laceſſiuiſſe peccatis: ſed dici poteſt ipſum, tanquam primarium principem hoc præualuiſſe. Venit enim in eum princeps mundi huius, & in Chriſto non habuit quicquam. Quod autem reliqui ſpiritus maligni omnibus peccatorum generibus indifferenter quoſuis, & non ſinguli ſingulis tentare valuerint, reclamat Origenes, cui conformis eſt D. Pater Hieronymus, & omnium clariſſime D. Gregorius, cuius verbis malui exprimere, quàm meis dubiam rem aliquibus relinquere, Maligni, inquit, ſpiritus, certis quibuſque vitijs ſinguli obſequi ſunt credendi, Et paulò poſt, ſæpe namque videas iniquum in terrena poteſtate conſtitutum, graui furore commoueri, quicquid ira ſuggeſſerit exequi, & cum furor abſceſſerit, mox eius mentem luxuria deuaſtat, cum luxuria ad tempus intermittitur, elatio protinus ſubrogatur. Et poſtea, Vadent & venient ſuper eum horribiles, quia quot vitijs decedentibus & ſuccedentibus premitur, tot malignis ſpiritibus eius animus, quaſi euntibus & redeuntibus deuaſtatur. Hæc ille.

Apocal. 12. Iob 1.

Diaboli vafricies ad impediendum bona.

Tenebræ in ſcripturis quid.

Lucifer tentauit Chriſtū in deſerto. Ioan. 14.

Sup. cap. 11. Ioſuæ ſuper cap. 6. ad Epheſ. lib. 15. moral. cap. 16.

Diabo-

Diabolus semel victus an arceatur à tentatione.

CAPVT XI.

QVanquam non ita perspicuis scripturarum testimonijs probari queat, dæmones reuerti ad eos, à quibus semel repulsam passi sint, nonnihil tamen colligere promptum est, quo sanctos cognoscimus, qui diabolum vicerunt, adhuc multis subinde tentationum angustijs, & insidijs solicitari, ac multas eis à dæmonibus insidias strui, huic siquidem potissimum nauant operam, vt sanctos non confusi relinquant, sed perfricta fronte maiori tentationum impetu adoriantur, teste beato Cypriano. quod docet etiam Ioãnes, Iratus draco, inquit, in mulierem abijt facere prælium, cum reliquis de semine eius qui custodiunt mandata Dei, id est de illis qui sunt de primitiua illa Ecclesia. Quod autẽ certo temporis interuallo, aliqua respirationis mora interdum affulgeat, hoc non faciunt, vt prorsus relinquant, sed maiori virium resumptarum vehementia accedant, vel etiam, ne occasionem meritorum cumulatiorum partæ factorum fortiorum victoriæ præbeant. Quanto namq; sancti sunt virtutibus constantiores, tanto maius vires eorum eneruant, qui licet expeditissimi sint ad nocendum, sæpe tamen tanquam frenis retrahuntur, & diuinitus cohibentur, ne possint sanctis impitum facere, aut non tantum, quãtum optarent, recedere ergo à victoribus creduntur non simpliciter, sed ad tempus secundum D. Thomam, vt declaratur de diabolo qui iteratis vicibus Christum aggressus est, tandem consummata omni tentatione recessit vsq; ad tempus. Et Matthæus Euangelista, reuertar in domum meam vnde exiui, quod tribus vicibus in Christo impletum non ambigimus, qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen.

Lib. 1. epistola 1. *Apocal. 12.* *Diabolus à tentato aliquando ad tempus, quare recedat.* *1. Part. quæst. 114. art. 5.* *Lucæ 4.* *Cap. 12.* *Christus ter tentatus.*

Tentationibus dæmonum, quomodo resistendum.

CAPVT XII.

ANimæ nostræ castrum trium tentationum aciebus est expositum, mundi vanitatibus, carnis illecebris, & dæmonum suggestionibus. Quibus vt robustiores euadamus, nec sagittis impetiti cruentemur, quintuplicia spiritualis militiæ opponenda sunt, instar externorum militum, præsidia, cum primis obseruatum iri in castro satagũt vt sobrietate temperati rebus gerendis sint intenti, quod vel maximè athletas

Præsidia tentationibus opponenda quæ.

Christi decet, qui validum concupiscunt cum vigili hoste facere conflictum: temulenti enim stabili nequeunt esse gradu, vt hostiles nequitias nunquam epulis vacantes potenter expu-
1. Pet.ca.5. gnent. Fratres, inquit Apostolus Petrus, sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tãquam leo rugiens circuit,
Dormire, in sacris literis quid. quærens quem deuoret, cui resistite, &c. Secundo, militum castrum fidelibus excubijs custodientium, est vigilare, non dormire, quod in sacris literis significat salutem negligere, Iam igitur tempus est, de somno surgere, quando militia est vita nostra super terram: Somnus grauis, multis occasio fuit perditionis, nam Holophernes dormiendo, crudeli ferro peremtus interijt. Dauid Saul dormientem trucidare potuisset, nisi mansuetudo eius clementiam ostendisset. Cùm etiam homines graui somno sterterent, Sathan zizania sparsit. Surge ergo qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit ac adiuuabit te Christus. Nec vigilandum modo aut otio torpendum, sed sicut mulieres & paruuli omnem mouẽt lapidem quo hostibus aditus patescentes obstruant, pari modo in spirituali palæstra sem-
2. Esdræ 4. per aliquid boni operis faciundum est, vt vna manu gladium portemus, ad vim vi repellendam, altera profectum spiritualis ædificij promoueamus. Deinde sicut milites inter crepitantium bombardarum horrida Vulcani tonitrua, & densissima Cyclopum flammantiaque fulmina, omnemque præliorum frequentiam, non solum studia non remittunt, sed alacritate vegetiores fiunt, & enixius intendunt, fragoribus tubarum quoque alacritatem ostendunt, nec non strepitibus tympanorum hilaritatem intrepidæ mentis præferunt, vt dulce his con-
1. Reg. 4. sideratis videatur bellum, sed inexpertis: Sic lætabundis Israëlitis hostes terga verterunt, vt ostendant quanta animi promtitudine & hilaritate in via virtutum procedendum sit, si namque tetrici aut rugosi extiterint, aut mœrore contabuerint, facilius subuertentur. Vltimo quando hostes nimios faciunt insultus, ita vt propemodum tradere cogantur castrum sibi concreditum, veredarium regi transmittunt, vt manus porrigat adiutrices & assistentis regis manus hostes ab arce propellat. Sic, sic nobis in acie constitutis agendum est, vt clamemus cum Propheta, Domine vim patior, responde pro nobis, assiste protegendo poscentibus: nunquam enim optatum & fœlicem obtinebit triumphum, nostrum spirituale bellum, nisi tua victoriosa dextera, Domine Iesu, fuerit dimicatum.

DISTIN-

DISTINCTIO
SEPTIMA.
Spiritibus liberum arbitrium non est ademtum.
CAPVT I.

QVum ita spiritus cælestes in bono sint confirmati, vt peccatum in eos non amplius cadere possit, & dæmones ita in malo obdurati, vt velle bona nequeant, non alienum videtur cogitare ademtum illis esse liberũ arbitriũ, quod secũdum sanctum Ancelmum, definitur esse potestas peccandi & non peccandi. Pro cuius rei maiori perspicuitate, non ignorandum est, quod libertas voluntatis non consistat in hoc, vt valeat in bonum aut malum flecti, quemadmodum indoctum vulgus opinatur, quoniam nec in Deo esset libera voluntas, quippe qui solus habet liberum arbitrium adeò firmum, vt nulla valeat defectione à summa dimoueri perfectione. Sed consistit in eo quod ex proprio iudicio, id quod placet, eligat, & eius oppositum respuat, vt indicat Aristoteles, Voluntarium, inquit, dicitur cuius principium est in ipso agente, cum notitia circunstantiarum, quæ ad actionem pertinent. illud siquidem fit voluntariè & liberè, cuius causa talis est, vt non solum agat, sed etiam cognoscat quid, & cuius rei gratia agat: Quod enim ab igne fit, liberè non fieri omnibus est in confesso, quia non agit proprio iudicio, sed naturaliter, dirigente Deo, vt docet beatus Cyrillus. Pari modo animal brutum, licet aliquam habeat suç actionis notitiam, quia tamen ignorat, quare agat, aut quibus ad actionem medijs oporteat peruenire, ideò libertatem arbitrij nequaquam habet. Ex his manifestum euadit, Deum liberrimè agere, qui secundum vaticinium Dauidis, omnia quæcunque voluit, fecit in cælo & in terra: Cuius voluntas non solum non potest cogi (quod omni voluntati commune est) sed neque imperio cuiusquam subijcitur, quin potius omnia illi subiecta sunt, & obsecundant ad nutum. nam voluntati eius, ait Apostolus, quis resistet? Deinde quanquam inter angelicos spiritus, aliqui immobiliter bono adhæreant, alij obstinati in malo permaneant, neque aliquid susceptu-ri sint, siue hi, siue illi, quod cum fine in quo immobiliter quiescunt

In dialog. de lib. arbit. cap. 1. 13. & 14.

Liberum arbit. in quo consistat.

1. Ethicorum, cap. 3.

Lib. 1. thesauri, cap. 8.

Bruto non est lib. arbitriũ.

quiescunt pugnare putent, non sunt tamen ob id censendi arbitrij libertate destituti: nam & nostra voluntas in hac vita, sic ex natura determinata est, teste beato August. vt nihil illi aut placeat, aut placere possit, nisi quod aliquam boni speciem habet, qui tamen liberè agimus, dum ad propositum nobis finem, siue verè, siue apparenter bonum, diuersa excogitamus media, eaque inter se conferimus, & ea quæ ad illum finem accommodatiora videmus, eligimus. Eadem ergo ratione etiam inest angelicis spiritibus libertas arbitrij, qui inter plura media, quæ pro intellectus acumine excogitare possunt, liberam habẽt optionem, ac sua sponte quæ magis arrident, amplectuntur.

Enchirid. cap. 105. Diabolo est libertas arbitrij quomodo.

Sancti angeli non sunt damnandi, neque mali liberandi.

CAPVT II.

Maiori loco habens Origenes quam par est, nimiumq́ue suo Platoni deferẽs, docet reuolutionis vicissitudinem, alternandis vicibus inter angelos obseruandam, nimirum sanctos aliquando se à Deo auersuros, ac ruituros, ac dæmonũ cruciatibus mancipandos, & versa vice dæmones pœnitentiam acturos, ac post aliqua temporum interualla saluãdos: ait rursum mirabili vel potius miserabili metamorphosi, illam salutem post sęcula multa damnandã. Hanc falsam sententiam conuellit D. August. cum scripturis, tum rationibus: Scripturis quidem, nam passim vitã sanctorum beatitudinemq; pronunciant esse sempiternam, neque regni Christi finẽ vllum vnquam futurum: Ibunt, inquit, in vitam æternã. Sanctos autem angelos nunc ita de sua præsenti, & in ęternum duratura beatitudine securos esse, liquido cõstat, ex illo Matthæi, angeli eorum semper vident faciem Patris. Et alibi legũtur homines sicut angeli Dei in resurrectione futuri, & securi de suę semper futuræ beatitudinis gloria iucundabuntur. Rationibus eiam euidenter idem stabiliri potest, quoniam cõstituta hac Origenis sententia, sequeretur (quod absurdissimum est vel cogitare) creaturam rationalem beatam esse nunquam posse, rursum eandem nunquam potuissę diligere Deũ ex toto corde, res enim fieri nõ sinit, vt toto cordis affectu à nobis diligatur, quem persuasissimum habemus nobis post inimicũ fore Pręterea nisi euanescat figmentum Origenicum, cõcludere possemus Petrum & Paulum cæterosq́ue inclytos Christi Martyres, & Confessores, diaboli hæredes esse aliqnando

Lib. 11. ciuit. Dei, ca. 4. & 5. lib. 12. cap. 13. vsque ad 21. de correp. & gratia, 10.

aliquādo futuros: quo vel solo error præmissus collabitur. Dicimus autē angelos ita beatos, vt saluti excidere nequeant, quia perpetuo intuitu conspicantur diuinam essentiā, & incommutabile bonum à cuius contemplatione auerti si possent, etiam instar hominum delinquerent: Sic autem adhærent, vt auelli nequeant, quia sic Deo satiantur, vt tamen esuriant, magis magisque desiderent, & quia indiuulsa mente Deo innituntur, nihil valent eligere, velle, facere, omittere, nisi attendentes Dei beneplacitum: dum autē quippiam eligūt, cum plena attentione ad visam summam veritatem, tanquā ad lydium lapidē referūt, ex cuius intuitu, nullus error obrepere, ac proinde nihil valent per errorem eligere. Tantus quoque est summi boni amor, vt nihil eligere possint, nisi ex eius amore, itaque in iudicio non potest esse error, & in electione non potest esse nisi summi boni amor, & proinde nec peccatum contingere potest: Lux etenim diuinę cognitionis, & diuina claritas omnem dispellit erroris originem. Quemadmodum igitur expetere, eligere, & amare, nemo quicquam potest, nisi sub ratione veri boni vel apparētis: Ita & angeli amore summi boni sic afficiuntur, adeoque vehementer illud ardent, vt nihil appetant, nisi ex eius amore, & sub illius boni ratione. Et sicut amor boni in genere se in omnes diffundit actiones, & sic animum occupat vt omnis appetitus, omnisque actio, ex illius amore proficiscatur, sic amor boni incommutabilis, ita angelos replet totos, & occupat, vt quicquid velint aut agant, in illud ex eo amore ducantur, & inclinentur. Dæmones quoque ad bonum sunt indeclinabiles, quia sicut Deus in præmium, & hominibus & sanctis angelis, dat istam, quam modo exposui in summi boni amore firmatam perpetuæ stabilitatis constantiam: ita in pœnam peccatorum dæmones indurat, relinquens eos in amore mali finis, quem semel elegerunt, non conuertens eorum ad se voluntatem. Cùm enim angelus semel peccato mortuus exurgere sua virtute non possit, neque illum velit Deus suscitare, sed in pœnam peccati deserere: hinc prouenit, vt rectè negetur dignos facere posse pœnitentiæ fructus, secundum beatum August. & Prosperum. Angelos malos, inquit, diuina sententia eo supplicio condemnauit, vt quia noluerunt, perseuerare, cum possent, nec vellent reparari, nec possent. In sui tamen erroris patrocinium Origenes ex sacris literis profert testimonium, sic namque legitur apud Esaiam: In illa die visitabit Dominus super militiam cæli in excelso, & super terræ reges, qui sunt super terram: Et congregabuntur in congregatione vnius fascis,

Epistola 107. quæ est ad Vitalem.

Lib. 1. de vita contempl. cap. 3.

Argumētum Origenis.

Cap. 24.

fascis, in lacum, & claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur, id est secundum eum, liberabuntur. Ita nihil est tam absurdum, & à rectæ rationis dictamine alienum, quin ex diuinis literis ornari & colorari possit, quò tenebræ lucis vice imperitis offundantur. At neminem fugere debet, illa loquendi formula, non liberationem, sed duram illam punitionis visitationem significari, sicut alibi simili phrasi vaticinatur idem Propheta, Visitabit Dominus in gladio suo duro super serpentem Leuiathan. Quod autem dicitur in litera, post multos dies visitabuntur, vniuersaliter accipiendum est, pro omnes dies, vt non raro multos pro omnes in sacra pagina reperitur. Per vnius inobedientiam, peccatores, inquit D. Paulus constituti sunt multi. Et alibi, Multi euigilabunt de terræ puluere; Sensus itaque est, congregabuntur in lacum, & post omnes dies, quamlibet multos mente concipias, visitabuntur adhuc & affligentur. Nullus vnquam suppliciorum finis est futurus, sed æterna damnatio. V. pater Nicolaus Lyranus dicit eos de multis visitandos diebus, propter peccata multis diebus commissa.

Multum accipitur aliquando pro omni.

Rom. 5.

Daniel. 12.

Deus hominum, non angelorum quare misereatur.

CAPVT III.

CVm vtrique commune sit proprijs viribus non posse à morte peccati exurgere, hominis tamen diuina clementia miseretur, apostaticis spiritibus duplicem ob causam in æterna horribilis condemnationis pœna relictis, vna est ex parte redemtoris, altera creatoris. Redemtoris quidem quia Christus non pro angelis, sed pro hominibus mortuus est: Creatoris autem, quia Deus in primæ constitutionis exordio, cum rationalem conderet naturam, definiuit viam bene merendi, vel male ad finem vsque vitæ duraturum, In angelis verò duntaxat vsque ad lapsum. Hominum viam non nisi morte, Angelorum verò lapsu volens terminari. Atque istud est quod Ioannes Damascenus docet, & D. Prosper, Scire oportet quod hominibus mors, hoc angelis est lapsus: Post lapsum siquidem nullus est eis pœnitentiæ locus, sicut nec post mortem hominibus.

Duplici de causa nõ miseretur dæmonis.

Lib. 2. ortho. fid. cap. 4.

Respon. ad artic. sibi fals. impos. cap. 6.

De scientia dæmonum. CAP. IIII.

Tamet-

TAmetsi diuinæ præsentiæ Dæmones exciderint, vbi velut in prima origine omniũ temporalium causę conspici possunt, non tamen ob id prorsus veritatis omnis cognitione destitutos esse liquet, vel ex ipso nomine, nam à prudentia & peritia inflante dæmones appellantur, teste D. August. & Lactantio. Hac arbitror ratione Plato à Plutarcho dictus fuit Dæmonius, & ab Homero ob magnitudinem scientiæ, Reges dæmonij. Nec boni dæmones sunt credendi, nec Eudæmones sunt constituendi, vt Porphyrius & alij sunt opinati, sed nomine dæmonum maligni spiritus semper sunt intelligendi, quibus etiam ab arte fallendi hoc nomen est, vt ipso nomine admoneamur nostræ conditionis, ne astu nobis imponat. Timeo, inquit Apostolus, ne fortè sicut serpens Euam seduxit astutia sua. Et alibi, Ne circumueniamur, inquit, à Sathana, non enim latet nos, quàm sit callidus, versipellis & insidiator astutus. Cognoscunt autem multa quatuor potissimum modis, teste D. Agustino, & Isidoro. Primò, acrimonia ingenij vtpote corporis aggrauantis hebetudine minus obtusi. Secundò, celeritatis motus ob naturæ eiusdem instantaneam quasi mobilitatem. Tertiò, longa rerum experientia plura hominibus terreni sensus tarditate pressis cognoscunt. Quartò, quia à sanctis angelis quod ipsi ab omnipotenti Deo discunt, etiam iussu eius sibi reuelantibus. Porrò, naturalis eorum cognitio latissima est, nam naturalia, teste diuo Dionysio, beato August. & Gregorio, in eis integra permanserunt, nec vnquam mala voluntas dat pœnas, vt perimatur naturæ dignitas. Nec improbabile est, quod hæc ipsorum, omnium rerum corporalium naturas complectatur scientia, licet multa quæ ipsos fugiant offendantur, laborant siquidem graui ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia noxiarum, quod se Deo submittere & seruire illi debeant, prout docet beatus August. Subinde etiam falluntur in æstimatione rerum præsertim futurarum, secundum D. Thomam Aquinatem, cum ex ingenio suo causis rerum aliquo modo perspectis futura præsagiunt, quæ non eueniunt occultioribus alijs causis secundum diuinam dispositionem impedientibus, velut cum ex condensatione nubium, pluuiam colligunt futuram. Potest tamen interdum futura prænunciare ex causis certo cognitis, quod & hominibus est commune. Veluti si in mõtibus resolui niues conspexerint, magnaque vbertate aquam defluere, poterint ijs hominibus, qui magna locorum intercapedine à montibus dissident: longè ante magnam aquarum inundationem prænunciare futuram.

Dæmones vnde dicantur.
Lib. 9. de Ciuit. Dei, cap. 20.
Lib. 2.
Lib. De liberorum institutione.
Lib. 2. de gen. ad literam, cap. 17. & de diuinatione cap. 3. lib. 1. de sum. bo. ca. 1. & lib. 8. etimolog. cap. 8. & 9.
Naturalia in dæmonibus mansere integra.
De gen. ad literam cap. 23. lib. 8. lib. 34. moral. cap. 17.
Enchirid. ca. 24. & 25.
1. part. quæst. 57. art. 3.
Quomodo præsagiant futura dæmones.

futuram. Præterea propriæ naturæ dignitatem & nobilitatem ignorant, teste sanctissimo patre Dionysio Areopagita, Mens, inquit, auersa, id est, dæmon non scit, nec vult esse quod appetit, nempe beata, vult esse, sed non id nouit, in quo consistat vera beatitudo, quia dotes sibi diuinitus concessas obstruxit, teste beato Augustino, oculos sibi clausit, mentemque suam spontanea malitia auertit à consideratione dignitatis suæ, & dum Deo subdi recusauit, quasi infra semetipsum deiectus fuit, vt sicut de homine legitur, cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Sicut namque homo in primo statu nouerat virtutes herbarum, & earum rerum omnium, quibus vtebatur, vnde & nomina imposuit, at vbi à Deo præuaricando recessit, non tantum ignorantia diuinarum rerum punitus fuit, sed etiã humanarum, hinc magna rerum ignorantia laboramus: Quã quoque dæmones recepisse pro pœna arbitrandum est, quod non vniuersa, norint, quæ naturali virtute potuissent angeli sancti nouisse. Hic iam inuestigatione opus est, an dæmones aliqualem habuerint Christi notitiam. & quod nulla ipsis fuerit, innuere videtur Apostolus inquiens, Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, id est, crucifigi permisissent. quod etiam ipsis innotuerit, non semel sacra videntur probare testimonia. Bipharìam hic nodus occurrit soluendus, quia primo Deitatis prærogatiuis Christum extollebant, quando miraculorum signis choruscare videbant: quando autem pati aliquid humanum, nempe penuriam panis, famem, aliaque incommoda aduertebant, ceu purum hominem in ambiguo hærentes, negligendum conijciebant. Vel vt beatus habet Gregorius, filium Dei incarnatum nouerant, sed redemptionis nostræ ordinem nesciebant, sciebant quod pro nostra redemptione incarnatus filius Dei fuerat, sed quod redemptor noster Leuiathan moriendo transfigeret, ignorabant. Scripturas etiam omnes aut plerasque callebant, quanquam intellectũ earum minus comprehenderent, secundum D. Augustinum & Damasc. Per prophetas prædicta, inquiunt, ignorare non possunt. hoc ipsum probatur ex sancto Matthæo, vbi scripturis antea repulsus, Dominum adoriri conatur. Istud dixerim ne simplices in admirationem rapiantur, si quando Anabaptistæ aliiue hæretici literarum etiam elementarium aliquãdo ignari, repente scripturas crepare, memoriaque repetere & proferre promptè (prout experientia docuit) ferantur.

Lib. de diui. nominibus, cap. 4. & 9.

Lib. 9. ciuit. Dei. cap. 22. & lib. 20. cap. 1.

Ignorantia hominibus & dæmonibus vnde.

1. Cor. 2.

Matth. 8.
Marci 5.
Luc. 8.

Dæmones an Christum cognouerint.

Lib. 33. Moralium, cap. 7.

Lib. de diuinat. dæmonũ cap. 6. & 7.

Lib. 2. ortho. fid. cap. 4.

Cap. 4.

Hæretici scripturas quomodo allegẽt.

De præ-

De præscientia dæmonum, siue de futurorum scientia.

CAPVT V.

OPortet hic triplex futurorum genus cognoscere, secundum D. Bonauẽturam, sanctæ Ro. Ecclesiæ Cardinalem. Quędam namque futura habent causam determinatam ac infallibilem, qualia sunt quæ attenduntur circa motum corporum superiorum, in quibus est determinatio & impedimenti omnis remotio, hæc, inquam, euidenti certitudine prænunciari valent non solum à Deo, sed etiam creatura, sicut ortus & occasus, coniunctiones luminarium, tempus Eclipsis, & similium. Quædam habent causam determinatam, sed tamen fallibilem, ideò determinatam, quia intentio naturæ mouet determinatè ad vnum. Ideo fallibilem, quia multis impedimentis est obnoxium, sicut ager satus, si terram habuerit bene cultam & fertilem, dispositio superiorum corporum afferet vberes maturæ messis fructus, & hæc verisimiliter hominibus, non solum Deo & angelis existunt cognita. Alia habent causam indeterminatam & fallibilem, vt sunt ea quæ dependunt à voluntate nostra, quæ indeterminata est, quòd ad oppositum declinabilis, fallibilis etiam, quia multa impedimenta etiam volenti perficere possent occurrere, quæ certitudinaliter cognosci nequeunt, ab aliqua creatura, in seipsa, sed solum à Deo, vel per reuelationem diuinam. Ratio autem huius neminem fugere debet, aut potest, considerantem creaturæ cognitionem ex re, quæ cum incerta sit in se, & in sua causa, creatura nequit eam infallibiliter præscire. Diuina autem cognitio non pendet à re aliqua, imò quæ nouit, modo suæ veritatis cognouit, quæ est euidentissima & certissima, qua innotescunt contingentia vt necessaria, & vt infallibili ratione cognouit, ita prænunciare potest & reuelare. Quocirca hæc præcognitio futurorum quæ Dei est, vel à Deo, dicitur diuinatio, quæ est actio diuina. Cùm autem dæmones honorari affectent, vt Deus, maximè ostentant hanc in se habere; Affirmare dæmones ergo futurorum contingentium habere euidentem certitudinem, hoc est eis quod Dei solius est asscribere, futura ergo contingentia, quæ præsente carent causa nosse nequeunt, sed nec sancti angeli quidem, nisi Deus illis patefecerit: teste Augustino. Dixi ea contingentia, quæ præsentem causam non habent, nam possunt angeli sicut & Medici, prænunciare

Triplex genus futurorũ

Sicut dæmones cognitione coniecturali multa præsciunt, ita Astrologi ex motibus cœli; quæ tamẽ impediri possunt propter defectum causarũ inferiorũ hominumq́; cognitio tanto magis ad certitudinem accedit, quãto ad vnum effectum plures causæ concurrentes cognoscuntur.

Diuinatio vnde, & quid.

Lib. 2. quæst. ad Simplicianũ quæst. 2.

nunciare quædam, ex causis, quæ in humano corpore iam in-
1. Parte quæst. 57. art. 4. tuentur: Verum hoc non est tam futura nosse, quàm præsen-
tia in causis quodammodo aspicere. Cogitationes autem cor-
dium nostrorum prorsus ignorant, secundum D Thomam,
1. Cor. 2. sed Dominus Deus solus scrutatur corda & renes. Et Salomon,
Tu solus nosti corda filiorum hominum. & apud beatum
Paulum, Quæ sunt hominis nemo nouit nisi spiritus hominis,
qui in ipso est. Cognoscunt tamen dæmones scientia conie-
cturali, ex signis quibusdam externis, siue intrinsecis corpo-
ris motibus, aut etiam ex ipsa phantasia, quænam in homi-
nis animo lateat cogitatio, vel de libidine, aut de vindicta ac
alijs peccatorum generibus: quemadmodum viri sagaces,
interdum rectè colligunt, quid homo secum animo voluat,
velut si quippiam de aliquo referat, & commemorando certum
ex omnibus quempiam aspiciat. Dæmones longè hominum
astutiam anteuertunt. Possent etiam naturæ industria multa
nosse, nisi à Deo impedirentur, veluti glorioso Apostolorum
collegio adesse potuerunt, sicut & sanctorum virorum collo-
quio, nisi à Deo arcerentur, hoc modò ignorant an gloriosa
virgo Maria fuit Ioseph commixta nec ne, & an esset Christus
filius Ioseph, an non esset, non quia non posset id scire virtute
naturæ, sed quia non permitteretur accedere. Hinc patres
orthodoxi, Ignatius, Hieronymus, Ambrosius, scribunt Ma-
riam Ioseph fuisse desponsatam, vt diabolo cælestis ille par-
tus celaretur: Si enim ex virgine natus fuisset, quæ nullum ha-
buisset viri consortium, mox Messiam eum esse oportere
conclusissent. Etsi plurimum certiores sint dæmones, huma-
namque cognitionem multis parasangis superent, non ideo
tamen magni sunt faciendi, sicut nullus maturo iudicio præ-
ditus, Medicos, Iurisconsultos, Nautas, Agricolas, teste diuo
Augustino, pessimis & corruptissimis moribus, viro probo
anteponendos putat, quia Medici de paroxismis acutè disse-
rere, Iurisconsulti susceptas causas tueri, ac finem litis præ-
dicere, Naucleri quia moderari nauem, Agricolæ quod longi
temporis experientia, faciem cæli iudicare norint. Hic iam
lima fortioris ac diligentioris indaginis, nec non statera iudi-
cij clarioris discutiendum est, quare Deus sinat eos aliqua præ-
scire: & tres assignari possunt causæ. Quarum prima est, vt
homines malarum rerum cupidi, occulto Dei iudicio tradan-
tur illudendi, & pro meritis affectionum suarum decipiendi,
dæmonum namque consortium non solum tum euitare debe-
Deut. 13. mus, quando falsa nobis ab eorum professoribus obtruduntur,
verum-

Dæmones cogitationes cordium ignorant, quin etiam quatenus eas cognoscant.

Dæmones non raro diuinitus arcentur.

Christus quare ex desponsata incarnatus.

De diuinati. dæmonum, cap. 4.

Dæmones triplici causa siniuntur aliqua præscire.

verumetiã si dixerint nobis & ita euenerint, nihilominus sunt fugiendi, nec Samuel vita functus propterea Sauli regi vera prænunciauit, quasi hac ratione minus talia sint execranda, cum pestifera dæmonum societate sint peracta, & proinde Christiano penitus fugienda, secundum D. Augustinum. Secundò, permittuntur interdum vera præsagire, ad commonendos fideles, ne tale quid magno curiositatis affectu operari desiderent. Tertiò, permissu Dei exercent, manifestantque iustorum patientiam, neque enim exigua patientia cuncta quæ habuit sanctus Iobus amisit. Sed quid opus erat præsaga ipsorum mente? ac eos nonnunquam vera prænunciare, & ita occasionem in errorem ducendi habere? Respondet D. Clemens sancti Petri Apostoli discipulus: Si eis nunquam fuisset indultum veri aliquid proferre, omnino nec aliquid prænunciare voluissent: non prædicentes autem, nec quod essent dæmones agnoscerentur, quod si ignorarentur esse dæmones in hoc mundo, agonis nostri & certaminis nos causa latuisset.

1. Reg. 28. Act. 16. Lib. 2. doct. Christia. cap. 23. & lib. 2. de mirab. S. Scrip. cap. 11. Lib. 3. de trinitate, cap. 7. Lib. 4. Recognitionum ad Iaco. fratrem Domini.

De potestate dæmonum.

CAPVT VI.

VT multa rerum cognitione præditi sunt dæmones, ita non vulgaris eorum est potestas, adeò vt Propheta Iob testimonium perhibeat, non esse super terram potestatem, quæ ei valeat comparari: quam insinuare volens Apostolus, principes, & potestates, & mundi rectores tenebrarum harum vocauit. Quoniam autem in hoc argumento subinde potestatis mentio est futura, aduertendum est cum primis duplicem eam esse, internam siue naturalem, qua homo sanus, cui pedes non desunt, ambulare posse dicitur. altera dicitur externa quæ iterum bimembri partitione diuiditur, vna secundum quam is posse dicatur, qui nullo obsistente retrahatur, altera secundum quam posse dicatur, cui materia non desit, dæmones naturalem quidem habēt potentiã permulta agendi, sed tamen ea non semper conualescunt, quia impediuntur angelis cohibentibus, vel quia materia effectui necessaria carēt. Deprehenditur igitur triplex in dæmonibus potentia, naturalis siue interna, alia ex materiæ præsentia, tertia ex impedimentorum remotione. Quo ad primam potentiam, haud ignorandum est, ordine naturæ corpoream creaturam angelis subiectam esse; Ita enim Deus à principio spiritualem & corporalem instituit

Cap. 41. Dæmones quare principes & potestates vocati. Triplex dæmonibus potentia.

instituit naturam, vt hæc siue bona siue mala esset, ab ijs regeretur & gubernaretur. Quemadmodum, inquit beatus Augustinus, corpora crassiora & inferiora, per subtilia & superiora ordine quodam reguntur, ita omnia corpora per spiritum vitæ: & spiritum irrationalem per rationalem regit Deus. & alibi cum Ioanne Damasceno, Vnaquæque res visibilis habet potestatẽ angelicam in hoc mundo sibi præpositam, sicut aliquot scripturarum passibus sacra pagina testatur, nam in ipso huius capitis frontispicio, dicti sunt mundi rectores. nec non principes potestatis aëris huius. & apud beatum Ioannem dicuntur tenere ventos, & accepisse potestatem nocendi arboribus. Et postea ibidem legitur, potestatem super ignem habere. Hæc eo producuntur ne aliquem admiratio inuadat, cum legit etiam dæmonibus regimen attributũ, & corpoream hanc & inferiorem naturam quę illis ordine naturę subdita est potestatem gubernandi relictam. Possunt autem dæmones secundum D. Thomã, tribus modis stupenda efficere. ex interna virtute quãdo non impediuntur, nec debita materia deest. Primò, per phantasmata rerum, illudendo humanis sensibus, aut falsas rerum species producendo, vel in oculo aut phantasia operando, vt appareant esse, quæ nequaquam sunt, vt est gallum, trabem protrahere, cum stramen trahat, aut festucam. Huius rei paradigmata complura recenset D. Augustinus. Et in sacris literis Nabugodonosor id efficientibus sanctis angelis, bos sibi esse videbatur, & currebat quadrupes in deserto, & relicta Regalis palatij pompa, fœno septem annis vescebatur. Secundò, cum occultè sublato vno corpore, aliud repentè substernitur, vt videatur prius in posterius mirabili metamorphosi transmutatum Hoc modo memoriæ proditum est, Ipigeniam filiam Regis Agamemnonis, quæ cum esset immolanda, subitò dæmonum industria securibus ereptam, altumque in locum subuectam, ceruamque protinus in eius locum substitutam, tanto astu tantaque celeritate, vt in ceruam transubstantiata putaretur. Eodem teste vbi supra. Simile quid commemorat historia sancti Petri Apostoli, de Simone Mago, qui cum interfici videretur, brutum animal eius loco dæmonum præstigijs cædebatur, vt postliminio resurrexisse crederetur. Et apud Eusebium Cæsariensem, cum in Cæsaræa iuxta puteum hostia solennis mactaretur, Dæmonum subtilitate & vafricie, hostia obtutibus hominum elapsa in cælum sublata credebatur. Cuius illusionis certior effectus sanctus Asterius, Deum rogauit vt hominum oculos aperiret, quo impetrato conspe-

Lib. 3. de Trinit. ca. 4.

Libr. 83. quæst. quæst. 79

Lib. 2. orthod. fid. cap. 4.

Ephes. 2.

Apocal. 7. & 14.

1. Parte quæst. 114. art. 4.

Tribus modis dæmones stupenda efficiunt.

18. Libr. de ciuit. Dei, cap. 18.

Lib. 7. eccle. hist. cap. 13.

conſpexerunt hoſtiam vicinis aquis deferri. Tertiò, norunt dæmones actiua applicare paſſiuis, vt inde per vim naturalem applicatorum, quæ homines mirentur progrediantur, quemadmodum homines etiam huiuſmodi applicatione permulta faciunt, ſicut ſulphure in ignem iniecto grauiſſimus fœtor enaſcitur, & maſſa farinæ in fornacem immiſſa arte piſtoris panis efficitur: Pari modo dæmones plurimas rerum naturas habent exploratas, nouerunt etiam res quaſdam coniungere, & ſubtili calliditate. miras rerum miſturas cõponere, vt noua quædam & mira, ex mutua illarum rerum actione progrediantur, velut ſerpentes & vermes, & eius farinæ alia. Poſſunt etiam niſi impediantur rebus nobis cognitis nouas figuras & colores nouos imprimere, ſicut piſtores maſſam panis, in quã volunt transferunt formam, & vitriarij vitra pro ſuo arbitratu protrahunt aut contrahunt. Hoc aſtu Iacob fecit oues, virgis ouium oculis obiectis, modò varium. modò album, etiam nigrum ædere fœtum. Huc pertinent tonitrua, fulgetra, ignes atque venti procelloſi, in filios Iob virtute dæmonum excitati. ſic veneno aliòve contagioſo humore aliundè contracto, corpus B. Iob infecit. Nec ab hoc ſcopo aliena illa eſt operatio, qua gigantes exorti commemorantur, incredibilis quaſi molis ac quãtitatis: Cognouerunt ſiquidẽ ea adhibere, quibus ineſſet vis ad id efficiendũ, & ſemen in vtero materno diſponendum. *Tonitrua & Fulmina.* *Gigantes vnde.*

Dæmones veri nominis miracula facere neſciunt.

CAPVT VII.

Licet admirabilia ſint, cauſas rerum ignorantibus, quæ dæmonum induſtria fiunt, non tamen inter miracula cenſeri debent, cum non niſi per cauſas naturales operentur: Miraculum autem vt opponitur ei, quod paſſim naturale nuncupatur, illud dici debet, quod ſupernaturali & admirabili præter vſitatum rerum curſum fit poteſtate; Quæ igitur non ſuperant facultatem naturæ creatæ, miracula dici non debent, ſicut nec illa, quæ fiunt quidem virtute ſupernaturali, ſed modo vſitato: Quanquam enim æqualis potentiæ ſit, animare carnem in embrione vt naſcantur morituri, & cadaueribus reſtituere animas vt reſuſcitentur mortui, prius tamen illud, nemo miratur, quia vſitatum eſt, & naturale reputatur: Alterum verò miraculum dicitur, cum tamen vtrumque non niſi ſupernaturali fiat virtute. Produxerunt etiam Magi Pharaonis, auxilio dæmonum, viuos & animatos ſerpentes, ſed *Miraculum quid.* *Dæmones faciunt res veras, ranas, ſerpentes, ignem ſuper familiã Iob, &c.*

vi feminis adhibiti, vnde nec creatores rerum dici debent, dum procurant natiuitates, aut quælibet rerum incrementa, sed hęc omnia per causas faciunt naturales, quarum ipsi creatores non sunt; Si quis enim ligna admoueat igni, occasionem quidem præbet, sed non est propriè author cineris, & agricola qui semina spargit, debitoque temperamento terram colit, non est creator segetis; ita dæmones licet mira celeritate causas rerum contrahant, non sunt tamen authores dicendi, sed naturæ ministri, teste beatissimo patre Augustino, Opera, inquit, quæ faciunt, etsi miracula videantur, quia fiunt tempore imperceptibili, non tamen sunt vera miracula, quòd fiant vi naturæ, sic namque norunt causas disponere, vt ilico sequantur effectus. Ægyptij non sunt magis ranarum factores, quam cæteri homines segetum creatores, qui tamen semina ad vberem messem, terræ sinubus occulere non ignorant. Videntur, inquam, facere aliqua, non quod sint aliquibus vtilia, cum dæmones vel minimam nobis inuideant commoditatem: teste beato Clemente sancti Petri Apostoli discipulo, qui tali discerniculo distinguit veri nominis miracula, & dæmonum præstigia: quod illa in profectum fiant fidelium, vt liquidissime constat ex decursu sacræ scripturæ; ista verò nulli conducunt, vt sunt latrare fictiles canes, excelsos saltitare montes, celerrimo volatu aërem secare homines, & id genus aliorum.

Dæmones quomodo mira operentur.

Lib. 3. de ciuitat. cap. 6. & 8. de diuina. cap. 5. & lib. 2. de ge. ad literã, cap. 17. nec nõ lib. 10. simil. cap. 8.

Lib. 3. Recognitionum ad Iacob. fratrẽ Domini.

Differentia inter miracula, & dæmonum præstigia.

Hæretici, membra diaboli, an facere queant miracula.

CAPVT VIII.

ISTos coruscare posse prodigiorum signis, ac miraculorũ virtutibus, nonnullis argumẽtis probari posse videtur, legimus namq; Dominũ dixisse Pseudoprophetas tanta prodigia & signa facturos, vt in errorem ducãtur si fieri possit, etiam electi. Et Apostolus docet, Antichristum cum operatione signorum venturum. Præterea prælibatum est sanctos Angelos iussu Dei nonnulla futura dæmonibus patefacere, vt ea prænunciare queant: si Prophetia, diuina concessione possit eis competere, quare nõ & miraculorum operatio? Postremò, homines minus frugi, imò membra diaboli, interdum miracula faciunt, iuxta illud, Domine nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? quibus dicetur, nescio vos. His non obstantibus oppositam partem tanquam veriorem amplector, nempe quod nunquam proprij nominis miracula fiant,

2. Ad Thess. 2.

la fiant,

la fiant, ad inuocationem dæmonum, aut falsorum dicto-rum pro erroneæ doctrinæ confirmatione; Siquidem impossibile est Deum mentiri, & singulari suæ virtutis operatione abuti ad confirmationem erroris. Cum quo tamen nihilominus illud consistit, fieri posse, vt Deus per hominem non solum malum, sed etiam hæreticæ prauitati obnoxium, miracula perpetret, non ad hæresim confirmandam, & in argumentum veritatis eius, sed ad articuli fidei alicuius confirmationem, quem prædicet, quemadmodum si Caluinista aliquis in Turcia Christi nomen prædicaret, arbitrandum non est absurdum, posse per eum vera miracula diuina fieri virtute, agnoscit etenim doctrinam Dominus suam, in quocunque tandem illa reperiatur, Vel etiam in argumentum veritatis huius, quod Sacramēta ab hæreticis facta & administrata vera sint sacramēta, nec Baptismus est iterata vice, semel ritè administratus, repetendus, vt docet D. Thomas: Nullus, inquit, contra fidem, vera facit miracula, quia Deus non est testis falsitatis; Falsa igitur doctrina veris nequit stabiliri miraculis, intimorata ac etiam peruersa hominum vita, miracula non excludit, ipsorumque operationem admittit. Profectò D. Ioannes vice magnorum prodigiorum refert, quod Antichristus ignem descendere cælitus fecerit, & imago bestiæ organis vocis loquuta sit. Verum hæc vera censenda non sunt miracula, possunt enim arte naturę fieri, sicut dæmones incendium domorum sancti Iob excitarunt, norunt enim nubes cogere, fulgetra & fulmina ita moderari, ac expressum è nubibus ignem certam in regionem detorquere; Non igitur magni roboris est argumentum præmissum, possunt multa prædicere reuelantibus angelis, ergo ad multa operandū nō sunt inualidi: Quia cum dæmonibus futura reuelant sancti angeli, quid nisi vera reuelant? & cum ex reuelatione quid sit euenturum prænunciāt, nihil nisi veritatē manifestant.

Caluinista quomodo miracula facere posset.

22. Quæst. 178. art. 2. & lectione 2. in cap. 2. epistolæ ad Thessalonicē. & August. 20 de ciuitate Dei, ca 19. Apocal. 13.

Deus an vnquam in veris miraculis opera dæmonum sit vsus.

CAPVT IX.

BEatus Augustinus elucidans illa Psalmi verba, Misit in eos iram indignationis, & immissiones per angelos malos, edocet primogenita Ægypti, tam hominum quàm iumentorū vnius noctis spatio interfecta esse per malos angelos, de cæteris signis ambigendo. Huic assentitur V. Pater Nicolaus Lyranus, scribens angelum percussorem fuisse angelum

Psalm. 77. In cap. 12. Exod. In idem caput 12.

malum, Extaticus pater Dionysius existimat, prioribus aduersando. sanctum fuisse angelum, & argumentum soluere nititur docens, illas immissiones per angelos malos non fuisse interfectiones primogenitorum, sed illusiones & terrores à dæmonibus iniectos; At Augustinus magis sacræ scripturæ accedere videtur. Hoc interim contestatissimum est, illa signa in Ægypto facta, de mutatione virgę in serpentem, &c. plane diuina esse, nec valere cum his magorum præstigia, & quæ naturali vi efficiuntur, vllo pacto conferri. Quoniam quod attinet ad dracones, fecerunt magi quidem etiam dracones, sed vnicus Moysi draco cæteros deuorauit, cuius apprehensa cauda, repente pristinam virgæ naturam, formamque recepit, quod non arbitror dæmones facere potuisse. Deinde magi paululum fortassè aliquot guttas ex aliqua parte Ægypti allatas verterūt in sanguinem, sed integrum fluuium & potissimum Nilum, & vniuersas totius Ægypti aquas, siue reclusæ essent, siue in aperto, verbo vno ac momento in sanguinem conuertere, vt pisces in ijs continuo interirent, non nisi diuinæ potuit esse virtutis. Sic aliquot ranas coaxare fecerunt, at Ægyptum immensa ranarū vi contegere nequiuerunt. Itaque si dæmones naturæ vi multa facere miranda putemus, ea tamen cum eis, quæ diuina potentia fiunt, non sunt conferenda.

Magi Pharaonis quomodo fecerint signa, &c.

Exponitur sententia, dabunt signa & prodigia, &c.

CAPVT X.

OCcurrendum est hic tacitę quæstioni quæ ex penultimo capite iam præmisso oriri potuisset, quandoquidem eo loci demonstratum reliquimus, ab hæreticis, ad veri confirmationem, vera fieri posse miracula, quæ si contingerēt nónne mox fama increbresceret, rumorque longè lateque spargeretur, En ille insigni miraculo concionum veritatem irrefragabilem comprobat; cur igitur hæreticus tanquam membrum arefactum præsciditur, & non magis ambabus vlnis doctrina eius suscipiatur? huic respondere prorsus est necessarium, propter titubantem in semita veritatis progressum multorum, quibus nullum est discerniculum quo vera à falsis miraculis distinguant: Si igitur hæreticus ædito ad veri confirmationem post velit abuti miraculo, ad falsitatis simulachrum erigendum, quemadmodum verus propheta munere concesso abuti potest, non in ædificationem, sed destructionem. Si surrexerit in medio tui propheta, & prædixerit signum atque portentum, atque

Deut. 13.

atque euenerit quod loquutus est, & dixerit tibi, eamus & sequamur Deos alienos, &c. Christus Seruator nos præmonitos voluit, quando pseudoprophetas, signa & prodigia daturos prænuntiauit. Possent quidem viri eruditione celebres, deprehendere signa quæ ab ijs æduntur, non superare naturalem dæmonum virtutem, aut si superent, omnem naturæ creatæ energiam, quod pro veri dogmatis confirmatione facta sint, indocti iudicare nequeunt, ac simplices Christiani nil discriminis inter vera & fallacia prodigia constituere præualent; Ideoque sufficere putauit Dominus, quando non credendum esse mandauit. Id proinde debet omnibus esse euidentissimum, Quicquid miraculorum ab hæreticis fiat, non est propterea auita religione neglecta, exoticum dogma suspiciendum, vnde Apostolus dicere non dubitauit: Si angelus de cælo aliud euāgelizauerit vobis, præter id quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Nulla igitur ratione dogma Christianæ veritati contrarium, est recipiendum, sed tanquam figmentum sathanicum exibilandum. Hinc beatus Augustinus: Scripturas, inquit tacita authoritate firmatas commendatasq; respuitis, mira non facitis, quæ si faceretis, etiam ipsa in vobis caueremus per instruentem nos Dominum, & dicentem, Exurgent multi pseudochristi, & pseudoprophetæ, & facient signa & prodigia multa, vt fallant si fieri potest etiam electos: Ecce prædixi vobis. Et alibi perspicuè docet ex miraculis, si quæ ab hæreticis fierent non debere colligi, eos idcirco vera docere, Tametsi Dominus infirmis consulat, istis tamen prodigiosa signa ab illis fieri permittit. Insuper docet non ob id, nostram Ecclesiam Catholicam & veram esse, quod in ea miracula fiant, illustrior est enim Ecclesia, quàm vt per ea demōstrari debeat; sed illa potius miracula tanquam vera sunt approbanda, quia in Ecclesia Catholica fiunt: memorabile est quod de Christo subnectitur, quemadmodum ille non satis habuerit seipsum discipulorum manibus contrectandum, oculisq; videndum offerre, vt cognoscerent veraciter eum à mortuis resuscitatum, sed continuò reuocarit eos ad firmiora certioraque prophetarum testimonia.

Lib. 12. cōtra Faustum, cap. 5. & lib. 18. ciuit. Dei, cap. 18.

De vnitate ecclesiæ, cap. 16.

Miracula vnde probanda.

Christus quibus probet se resurrexisse.

Dæmones an plus suis præstent cultoribus, quàm angeli suis.

CAPVT XI.

DÆmones quæ suis sequacibus præstant, admiranda videntur, & magna, sed reuera parua, vilia, nulliusque

Libr. 83. quæst. quæst. 79. si cum illis quæ sancti angeli suis præstent, comparentur, secundum Augustinum. Hoc siquidem agunt sancti angeli pijs supernarum immissionum suggestionibus apud suos, vt viam iustitiæ capessant, & iustitiæ operibus vacent, quibus non stultis hominibus sunt admirationi, sed Deo grati sunt. Quis virtutis sectatores ac iustitiæ amantes, non anteponat leuissimis præstigiatoribus? Quis Deo charos eiusque iudicio admirandos, non præferat dæmonum seruis, quos mundi huius amatores colunt ac suspiciunt? Vtrum obsecro præstantius maiorique admiratione dignum ac honore prosequendum, in sublimi Theologiæ doctrina versari, scrutari quid agendum, quídve fugiendum sit, in quo anchora salutis sit constituenda, quid fides, religio Christiana recipiat, quid tanquam erroneum, & impium respuat: an verò multis spectantibus aëra volatu celerrimo secare, aut si placet funambulum agere: nónne illud multis parasangis antecellit? & tamen vt obcæcatæ sunt hominum mentes, illud flocci pendunt, istud vbi plurimum est vanitatis, & videre ardenter expetunt, & auidissimè postpositis quibusuis epulis spectant, authoresque huiusmodi magnis extollunt præconijs. Quod præposterum iudicium etiam Christianorum (proh dolor) plerumque mentes occupat. Ad eundem modum nec illa quæ dæmonum ope adiuti efficiunt homines infelicissimi, quanquam fatuos habeant iudices applaudentes, cum virtutum operibus, quæ Deo adiuuante & approbante sanctis angelis incitantibus fiunt, comparari nullo pacto posse videntur, quibus sanctorum operibus qui minus delectantur, quàm ludicris magorum spectaculis, vt pueri sensu pueris ætate similes nuces atque quisquilias, salutaribus vereq; expetendis anteponunt.

De Magicis artibus.

CAPVT XII.

SVnt Magicæ artes, quæ docent pacta & societates cum dæmone inire, vt vel inuocetur, vel ei etiam sacrificetur, & tanquam Deo supplicetur, ad præteritorum, aut futurorum cognitionem, vel ad mira quædam efficienda, aut ad nocumenta inferenda, non vllo veneni haustu, sed vehementia

Lib. 6. Pharsal. carminis perficienda, teste Lucano, Mens hausti, inquit, nulla sanie polluta veneni, incãtata perit. Primarius huius iniquitatis author creditur Zoroastres rex Bactrianorũ, quẽ Cham filium Noë multi existimãt, hũc Ninus rex Assyriorũ postea interfecit,

terfecit, eiusque libros artibus maleficiorum refertos, igne cremari fecit. Hanc Democritus postea ampliauit, ac varias eius species cõstituit, quarum prima est Lecanomãtia quæ fieri consueuit ex peluibus, Axinomantia ex securibus & dolabris, Catoptromantia quæ speculis peragitur. Capnomantia ex fumo aræ, Necromantia in mortuis: Hydromantia aquis perficitur. Varro quatuor tantum species tractandas constituit: At Hugo de sancto Victore, quintuplicem artis Magicæ diuisionem posuit, Diuinationem nempe Mathematicam, Sortilegium, Maleficium, & Præstigium. Quorum singulis, aliqualem subijciemus Deo opitulante, elucidationem.

Variæ species artis Magicæ.

Lib. 6. didascalicæ erudit. cap. 15.

De Diuinatione.

CAPVT XIII.

QVò autem ista vniuersis manifestius innotescant, ac quasi in tabula proposita clarius elucescant, haud inutile fore duximus, si corpus istius diuinationis in mẽbra quasi concisum offeramus legentibus, vt singula membra penitius perlustrantibus, certius aliquid de toto corpore constare queat. Cum primis igitur non ignorandum est, istam Diuinationem quintuplici partitione subdiuidendam, nam vna dicitur Necromantia, alia Geomãtia, tertia Hydromantia, deinde Aërimantia, vltima appellatur Pyromantia, de quibus per singula.

Diuinatio est quintuplex.

De Necromantia.

CAPVT XIIII.

NEcomantici siue Netyomantici censentur, quorum incantationibus videntur mortui suscitari, vt ab ijs aliqua manifestentur occulta: quod vetat D. Clemens D. Petri discipulus, νεκρος enim Græcè mortuus, μαντεια nũcupatur diuinatio, quæ fit euocatis ad sua corpora animabus, vel potius dæmonibus: nec enim credibile est ad hominum maleficorum voluntatẽ, animas ad sua corpora euocari posse: nam vel charitati præditi hinc decesserũt, & contestatissimũ est eos non posse amplius dæmonum capistro subiugari: aut charitatis prærogatiuis destituti in infernum demersi, vbi nulla est redemptio. Sed dæmon magorum carminibus ad corpus euocatus, per os cadaueris præsagire creditur, teste beato Augustino lib. 2. Doct. Christianæ. Hoc modo Samuel vir sanctus non fuit verè resuscitatus, sed diabolus eius imaginem assumpsit ac cadaueris

Lib. 1. Recognit. ad Iac. fratrem Domini.

Cap. 23. Lib. 2. ad Simplicianũ, cap. 3. & in quæst. noui

& vet. test. quaest. 27. Samuel an resuscitatus. cadaueris exuuijs laruatus, abdita pandere potuit: Quod varijs probari valet argumentis, aut enim coactus, aut spontaneus apparuit. non coactus, quia non est simile vero, tam sanctum arte diaboli ad aliquod huius miserię exercitium potuisse cogi. Non spontaneus, quia iam consentiendo diabolico imperio, meriti spiritualis expers factus, iustitiæ excideret, cuius tamen perpetuam post obitum confirmationem perceperat: Nec iam sinu Abrahæ fotus, Sauli damnando dixisset, cras eris mecum, sed diabolus aliquibus signis eruditus, hoc futurum prænunciauit. Comminiscitur etiam iustos suæ potestati parere, quatenus hoc prætextu honorem ab imperitis, quem quærit, adipiscatur, Omnia hæc, inquit, tibi dabo, si cadens adoraueris me, quod Samuël sanctus Sauli licet impio non permisisset. Hoc quoque modo se in lucis angelum transfigurauit, quando gloriosi Prophetæ corpus sibi mancipatum vendicauit. Matth. 4.

De Geomantia. CAP. XV.

Diuinatio ex terra Geomantia nuncupatur, quæ omnino ex intentione facientis dependet. Collaudatur namque homo à D. Augustino, qui ab ædibus per glebam terræ sanctæ Hierosolymis allatæ, dæmonia pepulerat. Libr. 22. ciuit. Dei, ca. 8.

De Hydromantia.

CAPVT XVI.

AD verbum ὑδρομαντία, est aquæ diuinatio, nam in ampulla vitrea, vel in peluim infusa monstrabat dæmones in fundo repentes, sonitumque exilem emittentes, ne plenè possint percipi, aut mendaciorum deprehendi, sed quicquid eueniat hoc putentur prænũciasse. Inspectabant & in fontibus plerique, indeque imaginibus oblatis videre sibi futura videbantur. Sic Pausanias, apud Ægienses Achaiæ scribit templum esse Cereris, ac fontè proximum, in quem ægri post peracta sacra despectantes, morbi valetudinisque exitum contemplabantur. Iamblichus Colophoni subterraneum fuisse locum commemorat, in quo fons scaturiebat, de quo sacerdos statis temporum spacijs, sacris operatus gustabat, teste Ludouico Viue, reddebaturque inuisibilis, & consulentibus oracula promebat. Idem scribit, in Branchide fatidicam mulierem solitam in axe sedere, aut manu virgulam tenere, ab aliqua dearum datam, aut pedem lumbúmve in aquam tingere, vel ex aqua haustulum sorbere, hisque modis diuino afflatu impleri. Hoc diuinandi Libr. 7. de ciuit. Dei, cap. 35.

diuinandi genere fonte inspecto vsus est Numa, qui hydromantiam facere compulsus est, vt in aqua deorum imagines videret, vel potius, ludificationes dæmonum à quibus audiret quid in sacris constituere atque obseruare deberet.

De Aërimantia.

CAPVT XVII.

HÆc diuinationis species, aëris ministerio completur. Cui adiũgi debent inanes quædam obseruationes: cuiusmodi sunt, quarum meminit D. Augustinus, vt si æquis passibus amicis gradientibus, lapis, canis aut puer medius intercesserit, tanquam amicitiæ diremptor. Atque illud, inquit, quod lapidem calcant, tanquam amicitiæ diremptorem, minus molestum est, quàm quod innocentem puerum colapho percutiunt, si pariter ambulantibus intercurrerit. Sed bellum est, quod aliquando pueri vindicantur à canibus: Nam plerumque tam superstitiosi sunt quidam, vt etiam canem qui medius interuenerit, ferire audeant, sed non impunè, Namque à vano remedio, citò interdum ille percussorem suum ad verum iudicium mittit. Et mox adiungit, etiam illa, limen calcare cum ante domum transit, redire ad lectum, si quis dum se calceat, sternutauerit, redire domum si quis procedens offenderit: cum vestis à soricibus roditur, plus timere suspicionem futuri mali, quàm præsens damnum dolere. Vnde consultus Cato, à quodam qui sibi à soricibus erosas caligas diceret, lepide respondit, non esse illud monstrum, sed verè monstrum esse habendum, si sorices à caligis roderentur.

Lib. 2. doct. Christianæ, cap. 20. &c.

Catonis lepidum elogiũ.

De Pyromantia.

CAPVT XVIII.

PYromantia fit in igni. hinc beatus Augustinus, legimus diabolum potuisse ignem mittere de cælo, ad consumenda sancti Iobi pecora, quod diabolo nemo fortè tribueret, nisi sacræ scripturæ authoritate legeret eum perturbationem aëris inducere posse, procellosas tempestates excitare, & ignem cælitus mittere. Licet enim corporalis natura non obediat ad nutum, angelis siue bonis, siue malis, ad formarum susceptionem, sed soli Deo creatori, tamen ad motum localem natura corporalis spirituali naturæ obsequitur. Cuius indicium in homine apparet, nam ad solum imperium voluntatis, quæ subiectiuè residet in anima, mouentur membra vt opus à voluntate

Super Psalm. 77.

Iob. 1.

Dæmones tẽpestates, tonitrua, &c. suscitant.

Similitudine probat.

luntate dispositum, prosequantur. Quæcunque igitur solo motu locali contingere possunt, hæc naturali virtute nedum boni, sed & mali, nisi prohibeantur, perficere prævalent. Interdum etenim occultis prohibentur modis, cum id iustum atque vtile iudicatur, & ignorantibus hominibus aliud diuinitus præcipitur, ad confundendos malos cum oportet, vti legimus de Sceuæ filijs, vel ad commonendos bonos, quatenus maiora integræ fidei sumant incrementa: secundum beatum Augustinum. Turbines autem ventorum, procellosæ tempestates & aliæ huiusmodi aëris perturbationes solo vaporum resolutorum ex terra & aqua motu fieri queunt, quibus procurandis naturalis dæmonis virtus sufficit. Verum his aduersari videtur Concilium Braccarense inquiens, Si quis credit quod aliquantas immundas creaturas diabolus fecerit, & tonitrua & tempestates & siccitates ipse diabolus sua authoritate faciat, sicut Priscillianus dixit, anathema sit. Respondendum est, quod Concilium proscribat Priscillianum hæreticum, duo constituentem principia, cum Manichæis & Gnosticis, secundum beatum Augustinum. Hoc igitur modo prælibata diabolus operari nequit, vt docet Concilium, nequit etenim virtute propria sibique ingenita, nouas producere formas teste D. Bonauentura: Nihilominus virtute aliena potest biphariam. Primò, virtute naturalium rerum, quas ad inuicem coniungit, vt agricolæ exemplo res manifestior euadet, qui segetes mediante semine iacto, terraque germinante, ac aqua irrigante fructificare facit, vel sicut materia teste D. Augustino plena est rationibus seminalibus, sicut fructus & grana tritici, plena sunt tali vi, vt similia producant. Angeli autem cognoscendo proportionem rerum naturalium, applicant actiua passiuis, sicque formæ naturalis introductio sequitur, taliaque potest diabolus efficere citius quàm cursu fierent naturali, vti monstratum est articulo superiori, de potestate dæmonum.

Actorũ 19. Lib. 3. de trinit. cap. 7. & lib. 83. quæst. 79. Procellosas tempestates dæmones quomodo faciant. Obiectio. Responsio. Hæresi 6. 46. & 70. ad quod vult deum. Lib. 2. dist. 7. articul. 2. quæst. 2. Lib. 3. de trinit. cap. 4.

De Mathematicis.

CAPVT XIX.

Horum complures fallendi reperiuntur mæandri: Quidam enim Augurio seducunt, alij Aruspicio humanæ infirmitati imponunt, Genethliaci quoque non raro suos vana spe lactare, vt ex dicendis discere licebit, consueuerunt.

De Augurio

De Augurio & Aruſpicio.

CAPVT XX.

AVgures appellantur qui per aues diuinant. Augurium eſt ipſa diuinatio,quaſi auigerium.& Auguratus,ipſum Auguris officium nuncupatur. hic diuinandi in auibus modus, triphariam eſt obſeruari ſolitus, interdum ſiquidem ipſarum guſtatu, cum nimirum pullis è cauea depromtis, eſca præparabatur, aliquid portendebatur, nonnunquam ex volatu ipſarumque motu attendebatur, ſicque Augurium etiam erat ad oculum relatum, auſpicium quaſi auiſpicium. Aliquando ex cantu futura prædicebant, ratione aurium, vnde Augurium hoc intuitu, erat garria ſiue garritus auium. *Augurium triplex.*

Haruſpices autem dicuntur, qui harugis, id eſt hoſtijs inſpe-ctis præſaga mente diuinabant, hoc eſt quaſi Deo pleni futura prænunciabant: qui dicuntur etiam Horuſpices quaſi hora-rum inſpectores, temporum in rebus gerendis obſeruantes. Vel haruſpices ſunt hararum inſpectores, qui nempe ex extis & fibris ſacrificiorum, multa prædicebant. His haud multum dirimendi ſunt Harioli, qui diuina mente, quæ futura ſunt, fantur, quaſi farioli, qui etiam diuini & Phythonici appel-lantur. Vnde apud ſanctum Lucam, Puella quæ erat obſeſſa à ſpiritu maligno, futura prænunciante, ſcribitur habuiſſe ſpi-ritum phythonem. Et alibi, quæ Samuelem ad ſuperos euo-cauit, phythoniſſa fuiſſe legitur. Hi omnes dum abdita pan-dere, ſatagunt, quæ cauſarum naturalium adminiculo inue-ſtigari nequeunt, aut futuros prænunciare euentus, qui ex ho-minum arbitrio, alijſve cauſis pendent incertis, iura diuinita-tiş inuadũt, ac quod ſibi proprium, nec alteri communicat, ſibi vendicant. Hinc Propheta tales alloquitur, Annunciate quæ ventura ſunt in futuro, & dicemus quia dij eſtis. Et quan-quam naturæ ſubtilitate, rerumque obſeruatione, multa dæ-monibus ſint manifeſta quæ homines fugiunt, quorum-que notitiam non aſſequuntur: Verbi gratia, Si res aliqua furto ſublata ſit, quis eam abſtulerit, aut quo loco ſit repo-ſita, & eius farinæ reliqua: Nihilominus etiam talia non ſine ſuperſtitionis culpa, aut grandi peccato, à dæmoni-bus, vel hominibus arte magica imbutis, requiruntur. Quo-niam nunquam niſi fallendi intentione conſilia ſua homini-bus communicant, quatenus videlicet à vero Deo abducant, & in ſe tandem diuinum honorem transferant. Quiſquis igitur à dæmo-

Haruſpices. *Harioli qui.* *Phytonici.* Actor. 16. 1. Paral. 10. Eſaiæ 41. *Conſulere Phythones, valde malũ.*

à dæmonibus ita affectis, obtinere quippiam molitur, eo id modo facere intelligitur, quo tantum ille, quæ expetuntur, præstare decreuit: vnde consulendo dæmones, ab optimo maximo Deo desciscunt, & in verba capitalis hostis eius iurare conuincuntur, quemadmodum docent verba Heliæ ad Ochosiam, Misisti, inquit, ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israël, à quo posses interrogare sermonem.

4. Reg. 1.

De Genethliacis. CAP. XXI.

NEc Genethliaci, qui ex die natali fortunam hominis, & ex genesi successum eius futurum, pænunciant, ab hac pernitiosæ superstitionis temeritate segregandi sunt, qui licet per inuentas regulas, motus Astrorum cæliquè dispositionem deprehendere valeant, tamen quòd illinc mores hominum, vitæquè seriem, aut quæ hominibus euentura sint, conantur certo prædicere, toto quod dicitur cælo aberrant, & diuendunt miserabilem imperitis seruitutem, qua Marti, Veneri, aut alicui astrorum mancipentur, eisquè vitæ suæ seriem ferant acceptam: atqui hæc dæmonum est fallacia, hocquè vafro astu satagunt, vt hominibus ipsis persuadeant peccandi necessitatem astris adscribendam, quò liberius concupiscentiæ motibus, ac carnis illecebris obsequantur: & delinquendo peccata sua non agnoscant, sed in Deum astrorum creatorem omnem culpam conijciant. Imò eo tendit, vt nullus credatur, aut colatur Deus, & humanæ libertatis arbitrium subuertatur secundum beatum Augustinum, Basilium, Ambrosium & Gregorium Nazianzenum: Qui profectò vnanimi consensu docent, istos Mathematicos vitia hominum Deo tribuere, qui ab astris illa effici comminiscuntur: Idemquè esse, si rem spectemus, siue affirmes Deum ad furta, libidines, & iram procliuem reddere, siue hæc astrorum affectionibus attribuas; Quicquid enim creatura facit, hoc indubie facit ipse creator: Deus autem neminem tentat, & cum peccati authorem esse, nemo nisi impius affirmauerit. Horum vanitatem refellit D. Augustinus, paradigmate duorum geminorum sumpto, & qui sub eodem climate aut gradu nati, diuersissimos tamen vitę transactę sortiuntur exitus, vnus namque ad regnum proficit, alter in perpetuæ miseriæ seruitute contabescit. Præterea ex eo quoque, eos vanitatis coarguit, quòd astra non minus in conceptu dominentur, & agant, quam in ipsa natiuitate: Si etenim in natum & iam fusum agant, quare non cum concipi-

Lib. 5. ciuit. Dei, cap. 1. & Epistola, 119. cap. 7. quæ est ad Ianuarium. homil. 6. operis sex dierum. Ambros. lib. 4. cap. 4. Ibidem Greg. hom. de Epiphan.

concipitur, & conceptus in matricis ergastulo fouetur. Imprætentiarum aliquot istis quæstiunculæ sunt proponendæ, Sciscitandum igitur primitus occurrit: Vtrum immediatè astra in homines agant, an mediatè? & dubio procul mediatè respondebunt, occulta nimirum vi per aëra transfusa. Deinde, an non varientur affectiones siderum, per variam aëris qualitatem, & inficias ire res ipsa recusat. Deinde vtrum aëris affectiones ita habeant perspectas, vt scire vel probabiliter possint, non impeditas iri astrorum affectiones. Vltimò, an ignorent innumerabiles esse in media aëris regione spiritus, qui aërem agitent ac immutent, quo fit vt tam crebrò Mathematici & Astrologi hallucinentur, etiam in aëris temperie & qualitate prædicenda. Cùm igitur astrorum inimica sit aëris, aut si amica sit, aduersa fieri ex mediorum affectione posset: nec satis eis constet, de mediorum dispositione: quid certitudinis eorum prædictiones habere posse existimamus. Nam nec ipsi dæmones, & angeli sancti cognitum id semper habent, quid ex ea quæ per ipsos fit aëris agitatione & commotione futurum sit, sed quemadmodum Apothecarius & Pharmacopola seruo imperat, vt varias contundat herbarum species, ac misceat, quę sæpenumero ignotar, an toxicum vel saluriferum medicamentum ex illa commistione sit futurum: ita non raro Dominus, angelorum vtitur ministerio ad quippiam perficiendum, & illi interim ministerij sui rationem ignorant. Si hæc ars esset, quæ posset saltē vt plurimum verum prædicere, & ex contuitu siderū futuros cuiusq; mores prænunciare, non deberet inter seruiles reponi artes, sed cum Medicina & Iurisprudentia honorari, & suos in ciuitatibus professores nancisci: sed nondum eò cæcitatis exorbitauit humanum genus, vt in vlla Republica pateretur eam publicos habere Doctores, sed occultos muscitatores. Horum vesaniam acutissimè duodecim libris refutat Picus Mirandula, Iudocus Clichthouæus, in caput septimum lib. 2. Ioannis Damasceni, Ludouicus Viues super lib. nec non Gregorius Nissenus insigni suo de Fato libello. His adijcienda est sententia, quam ita habet Aulus Gellius: Phauorinus, inquit, deterrere volens & depellere adolescentes à Genethliacis istis, & quibusdam alijs id genus, qui prodigiosis artibus futura omnia dicturos se pollicentur, nullo pacto adeundos esse, consulendosque, huiusmodi argumentis concludebat: aut aduersa, inquit, euentura dicunt, aut prospera, Si dicunt prospera, & fallunt, miser fies, frustra expectando: Si aduersa dicunt, & mentiuntur, miser fies frustra timendo: si vera respondent,

Quæstio Mathematicis proponenda.

Vanitas Mathematicorū refellitur.

Istorum ars professores nunquam habuit ordinarios.

De ciuit. Dei, cap. 1. &c

Lib. 14. noctium Atticarum, cap. 1.

eaque sunt non prospera, iam inde ex animo miser fies, antequam è fato fias: Si fœlicia promittant, eaque euentura sunt, tum planè duo erunt incommoda, & expectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudij fructum spes tibi iam deflorauerit; Nullo igitur pacto vtendum est istiusmodi hominibus, res futuras præsagientibus. Hæc ibi.

Ecclipsim norunt prædicere, non hominum sicut nec canum mores.

Neque verò negamus ex astrorum aspectionibus, prædici aut obseruari quicquam posse, nam propter determinatas quas habent causas, Astrologi ecclipsim, Medici sanitatem, nec non (quod D. Basilius etiam admittit) futuram nautæ tempestatem, tempus seminandi Agricolæ ex astris perspectum habere possunt. Ad hæc & huius generis alia, nobis astra deseruiunt: sed hominum euentus vel mores, non magis quàm canum, lapidum, aut fruticum prædicere quisquam potest.

De Sortilegis, & Sortibus.

CAPVT XXII.

Lib. 8. cap. 9. Iuo part. 11. cap. 22. & Grat. 26. quæst. 5. cap. Sortileg. Quotlibet. 12. articul. 36.

VT rei veritatem in hoc doctrinæ capite attingere valeamus, profuerit considerasse Sortilegos esse secundum Isidorum, qui sub nomine fictæ religionis per quasdam Sanctorum sortes (quas vocant) diuinationis scientiam profitentur, aut quacunque scripturarum inspectione, futura promittunt: Vt sunt, sortibus peruestigare, quis furto rem aliquam abstulerit, aut occulta quæ naturalem industriam effugiunt, comprehenderit. Haud tamen ignorandum est, triplicem esse sortem, secundum D. Thomam, nempe diuisoriam, consultoriam, & diuinatoriam. Prima, ambiguitas ex vario rei propositæ euentu determinatur, sicut festucis propositis aliquis asciscit sibi breuiorem vel longiorem, vel proiectione taxillorum, aliquis plura aut pauciora sortitur puncta, & similibus quibus inter homines ambiguitas deciditur; Si igitur dispositio sortium à Deo, naturæ vel euentu fortuito tantum expectetur, nullum est hic peccatum, vt si homines mittant sortes, ad determinandum, quis quid accipiat, atque hoc vnanimi consensu fortunæ relinquatur. Causa nihilominus motiua posset inducere peccatum, potissimum si propter inordinatum cupiditatis propriæ appetitum, aliúdve vitium alia methodo nequeant disiungi. Bipharíam autem euentus ab alia causa, quā à fortuna expectatur. Priori modò à causa corporali, vtpote à dispositione stellarum, quarum actus ad hoc cum se non extendat, superstitiosus est & illicitus, quod occultum dæmonum

Triplex sors. Rem perditam requirere inspectione astrolabij, vel indicio astrorum, graue est peccatum. Ext. de sortilegiis, cap. Ex tuarum. Thom. 22. quæst. 96. art. 4. & Alex. de Halis. 2. part. su quæst. 52. art. 6.

dæmonum pactum includat. Altero modò expectatur euentus & sortium dispositio à causa spirituali, & hoc iterum bipartita ratione, vna est à dæmonibus, quod est lethale crimen, quia includit familiaritatem & dæmonum pactum: Altera immediatè à Deo, vel sanctis angelis expectatur, quod secundum, si debita fiat reuerentia non est illicitum. Hinc Sapiens dicit, sortes mittuntur in sinum: sed à Domino temperantur, id est, mittuntur in occulto loco, vt inde sine prouisione humana & fortuitò recipiantur: & à Domino temperantur, quia diuina prouidentia prouenit, quod ista sors talem sortiatur, & super talem cadat. Potest tamen hic quadrupliciter peccatum incidere. Primò, si absque vlla necessitudine ad sortes recurratur, quia videtur ad Dei tentationem pertinere, si humana industria queat rei decidendæ prouideri. Secundò, si aliquis etiam in necessitate, absque debita reuerentia sortibus vtatur. vnde Beda, Si qui necessitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus, Apostolorum exemplo esse consulendum, videant hoc ipsos Apostolos, non nisi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fusis egisse. Tertiò, peccatum inducunt, si diuina oracula ad terrena conuertantur negotia, teste D. Augustino: his qui in paginis euangelicis sortes tegunt, etsi optandum sit, vt hoc potius faciant, quàm ad dæmonia consulenda concurrant, tamen mihi displicet ista consuetudo, ad negotia sæcularia, & ad vitæ huius vanitatem diuina velle conuertere oracula. Vltimò, si in electionibus ecclesiasticis quæ ex Spiritus sancti inspiratione fieri debent, aliqui sortibus innitantur. Vnde D. Hieron. & V. Beda, Matthias ante Pentecosten ordinandus sorte quæritur, quia scilicet nondum erat plenitudo Spiritus sancti in Ecclesiam effusa. Septem diaconi postea non sorte, sed electione discipulorum sunt ordinati. Si tamen aliqua electionem dignitatis ecclesiasticę excludat necessitas, licitum est debita reuerentia diuinum implorare auxilium per sortes, teste beato August. Si inter Dei ministros, inquit, sit disceptatio, qui eorum persequutionis maneant tempore, ne fuga omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur ecclesia, si disceptatio aliter nequeat terminari, quantum mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant sorte legendi sunt: hoc modo vsi leguntur sortibus in sacris eloquijs Iosue, qui iudicio sortium Achor puniuit, & Saul Ionatham deprehendit, nec non exiuit Zacharias sorte, vt pure suffitum thuris imponeret. Porrò temporales dignitates ad terrena disponenda ordinatæ, in electionibus vti sortibus haud est illicitum.

Diuisiones sortium.

Prouer. 16.

Sortibus vti quomodo peccatum?

In 1. cap. Act.

Epistola 119. cap. 20. ad Ianua.

In 1. ca. Ionæ. & 1. cap. Actuum Apostolorum.

Matthias sortibus electus.

Epistola 108. quæ est ad Honoratum.

Cap. 7.

1. Reg. 14.

Lucæ 1.

De maleficijs.

Capvt XXIII.

Maleficia sunt, quibus incantationes dæmoniacæ & ligaturæ superstitiosæ, aliaque eius farinæ commenta, nepharda Dæmonum cooperatione, & instinctu ad improbandos adhibentur effectus. Ex horum vesania, tanquam ex equo Troiano, monstrosum Hectoris Boëthij prodijt exemplum, secundum Hieronymum Cardanum, qui commemorat Duffum Regem graui languore detentum, noctu, perpetua vigilia in sudorē sine modo resolui, interdiu verò corpus lenta tabe cōsumi. Cum Medicorum ars nil inueniret ad sistendum sudorem, & restaurandam valetudinem accommodum, obortus est sub id tempus incerto authore popularis susurrus, Regem maleficarum mulierum arte tabescere, easque apud Forres, Morauiæ ciuitatem agere. Harum fama illico vt Regis auribus insonuit, veredarios misit, qui in maleficarum ædes fortibus vi reclusis irrumpentes, inueniunt maleficam vnam, cereum simulachrum ad Regis Duffi imaginem, dæmoniaca arte (vt credere par est) confectum, ligneo affixum veru, ante ignem torrentem: Alteram carminibus recitatis, liquorem quendam fundentem sensim super statuam inuenerunt: & in carcerem conіectæ fatebantur, dum simulachrum igni appositum torreretur, Duffum Regem in sudorem solui, carminibus autem recitatis perpetua teneri vigilia, & ad liquescentem ceram macie confici. Duffus est protinus restitutus, simul atque extemplo eas vulcano, vt commeritas luerent pœnas, curarunt consecrari. Refertur ibidem Casali vrbe Salassiæ Italicę regionis contigisse, circa annum Domini 1536. Coniurarunt viri & fœminæ circiter quadraginta, inter quos tortor erat, vt cum pestis antea sæuijsset, tunc verò iam mitesceret, vnguentum conficerent, quo vngentes portarum vectes, qui eas tractarent, interficerentur, puluerem quoque inficiebant, quem super vestes clam spargentes, exitium illis afferret. Latuit aliquamdiu res, sublatique sunt multi. Tandem exquisitissimis tormentis necati sunt; fassi sunt etiam decreuisse in pompa celebri diui cuiusdam, subsellijs peruncтis vniuersos ciues inficere, paratasque ad hunc vsum supra viginti ollas. Tentarunt & idem Geneuæ post, dederuntque pœnas. Alios etiam constat Mediolani inunxisse vestes, sed diu torti cum nihil confessi essent, nec quisquam obijsset, dimissi sunt. Hoc modo & vaccæ interdum inficiuntur, & lacte priuantur, nec non interimere præ-

Lib. 15. de rerum varietate, cap. 80.

Mirabile maleficarum exemplum.

re præsumunt, quod licet ex conditione naturali post conceptum restringatur fœtum, & ex infirmitate, aut alicuius herbæ comestione, ita etiam aliquando ex maleficio restriugitur: nam in angulo domus vrceum parieti apponunt, & cultrum aliúdve instrumentum parieti infixum, tanquam papillam mulgere, inuocatione dæmonum incipiunt, vt grandiorum vberum vicini pecoris fieri queant participes. tunc diabolus præsto lac pecudis optati prompto obsequio recipit, atque ad locum vbi malefica residet, vt quasi ex illo instrumento parieti affixo effluere videatur, reponit. Sic vel simili modo reperimus eas ex aqua butyrum collegisse, non quod dæmones nouas rerum species condere valeant, nec ex aqua formatum processit butyrum, sed virtute dæmonum, non aquam in lac mutando, vel lac in naturam butyri mirabili metamorphosi vno instanti transformando, sed butyrum alibi præparatum huc aduexerunt, vel ex lacte naturali, hoc est, ex naturali recipiendo vacca, cito coagulando in naturam butyri produxerunt: quia quòd mulieres arte interuallo temporis efficitur butyrum, hoc ipsi breuissimi temporis spatio temperare cognouerunt. Huc referendum est quod aliqui vinum aliáve necessaria aliundè aduchi data pecunia procurant, quibus mancipijs frequenter promtissimo ministerio flasconem vino exteris locis depromtam afferendo obsequuntur. Nec ista commemorando, iniquitatis informationem facere videmur, sed obcæcatam maleficarum mentem pandere ac pungere probamur: prælibata siquidem nullam operationis virtutem sortiuntur, nisi anima & corpus fidei abnegatione & apostasiæ commissione, quæ cultui dæmonum sunt annexa, in toto vel in parte eis consecrentur. Hic tamen penitius considerandum occurrit, an huiusmodi superstitiosæ actiones dæmonibus an maleficis sint imputandę? & dicendum quod sicut immediata actione dæmones principaliter operantur infirmitates ac similia, ita ipsis sunt adscribenda, nihilominus quia in contemtum Dei, offensamque creatoris, simul & animarum perditionem, hæc per maleficas subinde machinantur, persuasum habentes Deum, ita magis exasperari, itaque iratum permittere maiorem sæuiendi potestatem: innumera namque maleficia perpetrantur, quæ hominibus dæmones inferre nequirent, si per se duntaxat homines lacessere affectarent, quæ tamen, iusto ac occulto Dei iudicio sinuntur ob earum perfidiam, & Catholicæ fidei abnegationem. Scopæ ergo si aquis immersæ, & sursum in aera discussis aquis leuatæ, sint, non causant pluuiam, nec vale-

Boues incantatæ, quomodo à maleficis?

Dæmones quomodo cooperentur maleficis?

Quare & quomodo dæmones vtantur maleficis?

rent mulieres, quod ludicrè fieri queat, superstitionis argui at vbi ex pacto cum dæmonibus inito maleficæ faciunt, licet dæmones sint qui pluuiam causent, ipsæ tamen grauissimè peccant, quòd abdicata Catholicæ veritatis fide, spretoque Deo opt. maximo, dæmonibus seruiant, eorumque obsequijs se mancipatas confundant.

De ligaturis & characteribus.

CAPVT XXIIII.

VAria offenduntur apud varios portentorum figmenta, quomodo candela seuo humano incensa, thesauros terræ sinubus demonstret absconditos: quomodo ligaturæ, certa verborum etiam apostolicorum forma compositæ, valetudini pristinæ restituant, paroxismos propellant, quomodo, inquam, monstrosæ characterum figuræ (quarum multas formas producit Hieron. Cardanus lib. 16. de varietate rerum) ad effectus valeant naturales, puta ad hominis sanationem vel bruti adhibendas, quæ corpori vel fronti affiguntur, aut cibis immiscentur. Item si quis verba sacra vim effectus alicuius producēdi ideo habere putet, quòd tali tempore, tali modo, vel loco scriptæ sint, siue quòd certo tempore aut loco proferantur, vt pote ad aures equi vel bruti languentis, aut etiam hominis vehementissimum dentium dolorem sustinentis: In his etenim & similibus, si non expressa certè occulta quædam dæmonum censetur inuocatio, quæ adhuc magis deprehenditur, si verbis sacris adiungantur peregrina aliqua vocabula, quæ absolutè quid significent, ceu ad quid pertineant, deprehendi non potest. Hoc enim, inquit Thomas Caietanus, est opus dæmonum quasi manifestum, aut falsitatē aliquam si habeant admixtam, vel ad vnum aliquem adhibentur effectum. Demum si adiungantur verba aprocrypha, seu incerta, secundum beatum Aug. Et quanquam interdum adhibeantur, quæ naturali proprietate valere videntur, tamen propter superstitiosas obseruationes incertas, omnia nobis suspecta esse debent, & Christiano homini prorsus interdicta, quia inducunt ad implorandum dæmonum ministerium: non enim prælibatæ notarum formulæ ingenitam aut naturalem habent operandi virtutem, sed duntaxat diabolica pactione, sic namque dæmones cum sibi familiaribus fœdus percusserunt, vt talia recognoscerent signa, & ad talia se præsentes obsequioso ministerio exhiberent:

Cap. 90. & 91.

Lib. 2. de doct. Christian. cap. 20. & 23. hæres. 16. ad Quoduultdeum.

rent: simulantque se illis quodammodo cogi, vt miseris persuadeant aliquid energiæ in illis existere, itaque faciant homines à fide & vero Dei cultu desciscere, secundum beatum August. & D. Thomam, ac beatum Bonauenturam sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinalem: Non moueant, inquiunt, nos sancta Dei nomina, aut alliciat quę passim chartis aut ligaturis imponuntur, quia secundum eundem August. palam seducere nequeunt, addunt mellis aliquantum, vt per id quod dulce est, lateat quod amarum est, & bibatur ad pernitiem. Et postea, Cum caput tibi dolet, inquit, laudamus si Euangelium capiti apposueris, & non ad ligaturas cucurreris, non quia Euangelium ad hoc factum est, sed quia prælatum est ligaturis Euangelium; satius ergo est sanitatem à Deo expetere, si sciat profuturam dabit, si non dederit, certo certius congnoscas illam non tibi profuturam, Quàm multi innocentes in lecto ægrotant, & si sani essent, ad scelera committenda deficerent, &c. Hoc modo signaculo crucis abusi sunt, teste beato Ioanne Chrysostomo & Cyrillo, vt pietatis prætextu iniquitatē committerent: Vis cuncta tibi prosperè succedant, & ex animi voto, ducito vxorem tali die, & signum crucis fronti imprimas. Potest etiam vsurpari, vt figurarum picturæ rationem subeant, easque magis spectet quàm ipsum Christum. Quod superstitiosum esse nemo dubitare post, neque enim signa illa & figuræ per se valent, nec quicquam ex opere operato efficere possunt, sed adhibenda sunt, vt Christum in quo ancora nostræ salutis est constituenda, ad mentem reuocent. Ac sicut superstitionis est plenum, considerare materiam, ex qua crucis signum demonstratur, ita vanissimum est temporis in fabrefactione habere rationem. Prætere a diuinum illud elogium, In principio erat verbum, collo alligatum, si magis externum literarum corticem contemplemur, quàm intrinsecum genuini sensus nucleum, & in his omnem vim sitam esse, non in rebus significatis, Deo scilicet incarnato existimemus, superstitionis morbo grauissimè laboramus: Idem autem cum pia mente legimus spectato literarum sensu, non formulis literarum, atque ex fide & rebus ipsis, non ex ipsa pronuntiatione & illorum verborum sono, aut expresso charactere, suppetias & opem expectamus: id profectò & contra procellosas tempestates, aliaque pericula laudabiliter & religiosè facimus. Et cum quispiam Euangelium aut crucis signum collo suspensum habere desiderat, vt illi de rebus veniat in mentem significatis frequentius: dignum est Christiano propositum. Ex his

Lib. 5. ciuit. Dei, cap. 7. lib. 2. de gen. ad literā, cap. 17. 22. quæst. 96. lib. 2. Sentētiarum dist. 7. quæst. vlt. tract. 7. in Ioan.

Homil. 21. ad popul. Antiochenum. lib. 6. cont. Iulianum.

colligi poteſt, perinde eſſe ſiue dicamus orationem Dominicam, ſiue Symbolum Apoſtolorum, ſiue Pſalmum Miſerere, aut piam quamuis orationem, quandoquidem non à certis verbis, ſed à rebus pendeamus. Nec certarum vocum, ſed ſenſus habenda ſit ratio. Simile iudicium eſto de illis, qui fingunt ſe multa coniectare poſſe ex manuum lineamentis, & certi aliquid ex iſtis libellis, qui paſſim manibus teruntur, prædicere, quales ſunt iſti Errones præſertim & vagi homines (quos triuiali vocula *Heyen* appellitamus) qui circa annum Domini 1417. primum per Germaniam apparere cœperunt, homines nigredine deformes, excocti ſole, immundi veſte, furtis quotidianæ vitæ ſtipendia ſectantes, ſiquidem fœminæ illius gentis viris, furtis neceſſaria procurant. Literas etiam circunferunt Sigiſmundi regis, teſte Sebaſtiano Munſtero, & aliquorum principum, licitos per omnes vrbes & prouincias tranſitus. Ferunt etiam ſe ex iniuncta ſibi pœnitentia mundum peregrinantes circuire, atque ex minore Ægypto primum emigraſſe, ſed ſplendidè mentiuntur, Nam probatum eſt iſtud genus hominum, poſt certa temporum interualla, ad eadem diuertere loca, ne facilè breui temporum tractu redeuntes agnoſcantur ac repellantur. Anus eorum Chiromantiæ & diuinationi intendunt, atque interim quo quærentibus dant reſponſa, quot pueros aut maritos ſint habituri, miro aſtu crumenas quærentium rimantur, & euacuant. diſperream niſi mihi puero duas vxores pollicitæ ſint, quarum poſterior prioris miſeriam & egeſtatem numeroſa ſobole magnaque rerum adfluentia (qui hactenus Dei gratia non cognoui fœminam) locupletaret. Commemorat etiam ſe Heydelbergæ ab eis literas extorſiſſe, ab imperatore Sigiſmundo ſibi conceſſas, in quibus mentio fiebat, quomodo maiores & progenitores eorum, in minori Ægypto olim ad aliquot annos abiecto Chriſtianiſmo, ad gentilitatis voraginem lapſi eſſent, & reſipiſcentibus pœnitentia iniuncta, quod aliquot annorum curriculis, ex ſingulis eorum familijs per orbem proficiſcendo vagarentur, diluerent exilio perfidiæ ſuæ crimen, ſed iam dudum tempus peregrinationis euanuit expletum, & tamen colluuies illa non ceſſat circumuagari, mentiri, furari, augurari, nec interceptum eſt, aut interclusum eſt ipſis iter, quo minus (vt obganniunt) Ægyptum repetere queant, ſed eſt populus quidam Germaniæ, ex ocioſa fece collectus, nulli non Europæ nationi oneroſus, vniuerſorumque ferè Europæ: ideomatum non ignarus,

Inſpectores manuum

Errones Heyen appellati quales?

Lib. 3. geographiæ ſuæ.

rus, qui iam in his, iam illis locis, fortiter mentiendo & furando, corradere studet, quibus miseram huius mortalitatis transigat vitam.

De fœdere cum dæmonibus inito.

CAPVT XXVI.

PActorum cum dæmonibus initorum vnum est solenne, alterum priuatum, vt docet liber, Malleus maleficarum, intitulatus. Solenne fit, quando maleficæ statuto die congregantur, & dæmones assumta hominis imagine apparent: nouitiæ ab istis commendatæ temporalium prosperitatem vitæque longitudinem promittentes, si abdicata Christi Iesu Seruatoris omnium fide, tremenda Eucharistiæ mysteria, gloriosam virginem Mariam, & reliqua salutis nostræ beneficia exibilare, & proculcare velint. Vel die quadam dominica ante consecrationem aquæ lustralis, Ecclesiam ingredientes, abnegant Christum Iesum in æternum benedictum, eiusque fidem, baptisma, ac vniuersam Ecclesiam contemtui habent, præferentes sub sathana infœliciter militando plutonica capessere regna, quam Christi suaui iugo subdi, & æternæ beatitudinis præmia promereri. Ad quæ cum nouitiam deprehenderint spontanea promtitudine paratam, dextris mutuo datis fœdus percutiunt. Quibus sancitis ista non sufficere manifestant, nisi animam & corpus illis dedicet, aliosque eo vesaniæ vtriusque sexus protrahat, atque vnguento ossibus ac membris infantum confecto, omnia peragere eos posse sua adsistentia, pollicentur. Infantibus istæ maleficæ maximè insidiantur, vt, vel interimant, vel morbos immittant, quos tumuli penetralibus clam ereptos in caldario coquunt, quousque euulsis ossibus, tota caro ferè, efficitur potabilis. De solidiori materia vnguentum suis execramentis accommodum conficiunt, liquidiori verò humore vtrem implent, ex quo qui biberit, cum aliquibus incantatricum cæremonijs, præsagam mentem obtinere ipsis creduntur. Priuatum pactum fit bifariam, explicitè aut implicitè, Expressa vel explicata cum dæmonibus societas est, cum quispiam maleficam adoritur & consulit, vt cognoscere queat, quis vestem vel simile quid abstulit. Alia est implicita, cum dæmones expressè quidem non consuluntur aut inuocantur, sed tamen expectatur futuri aut occulti cognitio, nos ex diuina institutione, non miraculo

Parte 2. quæst. 1 ca. 2. Pactum solenne.

Dæmon aliquando fingit se annulo vel statuæ alligatum vt funibus peccatorē ligatum ad inferna perducat. teste Aug. lib. 21. Ciuit. Dei, cap. 6. Nam perditus homo ei à quo omnia expectat bona, diuinum impēdit honorem, consecrando annulū certis verbis, characteribus, vnctionibus, & fumigationibus: quibus execramētis, cōfœderatus, responsa dare ingrediendo perditis non ignoratur. Consulere maleficam.

Dei, non naturæ vi, sed ab aliqua secreta & occulta virtute, quæ non alia est quàm ipsorum dæmonum, tametsi non id exprimatur. Atque ista omnia curiosa, noxia, vana & superstitiosa, docuerunt dæmones, teste beato Augustino, per quosdam quos sibi velut addictos adsciuerunt, qui signa mutuo consensu constituta recognosceret. Sicut enim Beta Latinis olus significat, & Græcis literam ex institutione hominum denotat, ita varijs vtuntur voculis, vt liquidò constat ex maledicto libro Iocus Salomonis nuncupato, in quo mira legũtur impietatis plenissima ad diabolicum commercium exercendum, licet horrenda signorum characteribus & vocabulorum monstris inserantur.

Lib.2. Doct. Christ. cap. 23. & lib.21. de ciuit. Dei, cap.6.

De Incubis & Succubis.

CAPVT XXVI.

Consecrantur maleficæ dæmonibus quatuor ritibus, seu potius quatuor horrẽdis expauescendæ crudelitatis execramentis, nempe sacrilega Catholicæ fidei abnegatione corpus & animam illis deuouendo, infantes immolando, & carnalibus spurcitijs cũ incubis & succubis diabolica commercia peragendo. Asserere nãque homines per dæmones incubos & succubos, procreari, adeò censetur Catholicũ vt eius oppositum nedum dictis sanctorum, sed & traditioni sacræ scripturæ reperiatur contrarium. Et licet beatus Augustinus quodam in loco cùm aliquibus Scholasticis ambiguam videatur relinquere sententiam: Vtrum, inquit, potuerit Venus ex concubitu Anchisis Æneam parere, in medio relinquimus, nam penè talis quæstio in scripturis oritur, qua quæritur, Vtrum præuaricatores angeli cum filiabus hominum concubuerint, vnde natis gigantibus, id est, nimium grandibus & fortibus viris tunc terra repleta est. Sed alio loco certius quid determinat. Creberrima fama est, multique se expertos aiunt, vel ab eis qui experti erant, de quorum fide dubitandum non est, se audisse confirmant, Siluanos & Faunos quos vulgus incubos vocat, improbos extitisse mulieribus, ac earum appetisse, ac peregisse concubitum. Et quosdam dæmones quos Dusios Galli nuncupant, assiduè hanc immunditiam & tentare & efficere pluries, talesque asseuerant, vt hoc negare impudentiæ videatur. hæc ille. Et beatus Isidorus, Pilosi de quibus legitur apud Prophetam, Græcè paniti, Latinè incubi appellantur ab incumbendo, hoc est, stuprando. His suffragatur V. Beda in historia gentis Anglorum, & diuus Thomas. Pro hoc argumento producit Hieronymus Cardanus exemplum. Desumptum ex lib. 8. sub finem,

Maleficæ quatuor modis addicuntur dæmonibus.

Libr.3. ciuit. Dei, cap.2.

Lib.16.ca.23

Lib 8.ca.vlt.

Esaiæ 13. & 34.

Iosephus li.1. Antiquitatum, cap. 3.

finem, Hectoris Boëtij de Chronicis Scotorũ. In Marrea regione fuit puella nobilis formosaque, cõiugium auersata, tandem prægnans deprehensa. Parentes cum stupratorem quærerent, fassa est puella, nocte dieque secum formosissimum cubare adolescentem, quem vnde prodiret, non sciret. Illi tametsi parum fidei responso adhiberent, tertio die, indice ancilla cognoscẽtes illum adesse, cum tædis ac facibus subitò ingrediuntur reseratis foribus, horrendumq; monstrum, & supra humanam fidem terribile, in complexibus filię conspicantur. Accurrerunt ocyus vicini ad fœdum spectaculum: atque inter illos sacerdos probatæ vitæ, nec sacræ paginę ignarus, Euangelium beati Ioannis cum recitaret eoq; peruenisset, Et verbum caro factum est: dæmon asportãs cubiculi tectum, incensa supellectile, horribili stridore euanuit. Fœmina post triduum peperit monstrum, vndequaq; aspectu fœdum, & quale nunquam in Scotia visum est, quod obstetrices ne in dedecus familiæ seruatum esset, extructa pira exusserunt. Haud tamen dissimulandum est tripliees esse, quæ istis spurcitijs commaculentur: quædam namq; spontanea iniquitate dæmonibus incubis se subijciunt, quales existunt maleficæ. Aliæ sunt, quæ à maleficis cum incubis, contra animi sententiam, voluntatemq;, inuoluuntur. Tertiæ sunt virgines quędam, omnino contra voluntatem ab incubis dæmonibus arreptæ, quos à maleficis procurari non est rationi absonum: quia dæmones ad instantiã maleficarum, sicut subinde alias immittunt infirmitates, ita & incubos istis personis procurant, vt vel sic eas ad suæ perfidiæ vesaniam allicere valeant. Extant hodie nonnullæ gentes, quæ originem suam habere gloriantur à dæmonibus, qui coierint cum fœminis virili forma, aut cum viris, fœminea: quod turpius esse mihi videtur, quàm referre nobilitatis suæ initia in piratas, aut latrones, aut sicarios insignes, quod multi faciunt. Verùm Ægyptij dæmonicum spiritum misceri posse fœminæ fatentur, viro negant: Græci tamen multos viros à dijs adamatos tradunt, vt Hiacynthum, & Phorbantem, & Hippolytum Sicyonium ab Apolline, Cyparissum à Siluano. Vide Lactãtium Firmian. lib. 2. capite decimoquinto. Et Clementem Alexandrinum, oratione aduersus Gentes. Causa autem quare dæmones se incubos vel succubos faciãt, non est delectatio, quia spiritus carnẽ & ossa non habẽt, sed vt per luxuriæ vitium, vtriusque hominis naturã lędant, corporis videlicet & animę, vt sic ad omnia vitia homines proniores existant. Nec dubium, quin & sub certis constellationibus semina vigorare sciunt, sub quibus etiam homines concepti, semper malitijs existunt

1. Parte quæst. 15. & in scripto. 2. dist. 8.

Lib. 16. de rerum varietat. cap. 93.

Mirabile exemplum.

Tripliciter incubi sunt hominibus molesti.

Ludouicus Viues in cõm. lib. 15. cap. 23 de Ciui. Dei.

Quare sint incubi.

existunt deprauati. Et incubus per coitum, Deo permittēte immittere potest semen, non tanquam à se decisum, sed per semen alicuius hominis ad hoc acceptum; vtpote quod idem dæmon qui est succubus ad virum, fiat, teste D. Thoma, Incubus ad mulierem, sicut etiā aliarum semina rerū assumunt, ad aliquarū rerum generationē. Et solus dæmonibus attribuendus est motus localis, nō autem ipsa generatio, cuius principiū non est virtus dæmonum, aut corporū ab eis assumtorū, sed virtus illius cuius semen fuit: vnde & genitus, non dæmonū, sed hominis alicuius filius est credēdus. Non tamen semē nocturna pollutione emissum transfundere satagunt, quia virtutē in semine generatiuam attendunt, quę per actū carnalē amplius vigoratur: semē autem quod nocturna pollutione emittitur, ex superfluo prodit humore, nec cū tāta vi generatiua discinditur. Ad istud autem faciendum, assumunt corpus aëreū, quod tamen aliquo modo est terrestre, nam aër in se nō est figurabilis, nisi secūdum figurationē corporis alterius, cui includitur, vnde etiā nō suis, sed alienis terminis, vt vna pars aëris alteri cōtinuetur, limitatur. ideo simpliciter vt tale, corpus aëreum non est assumtibile. Cùm autem aër maximè sit transmutabilis, partes aëris diuisi statim continuantur, nec gladio corpus assumtum lædi potest, sed protinus consolidatur: oportet tamen, vt aër iste aliquo modo sit inspissatus & aliquid terrestre habeat, seruata aëris veritate. Hāc condensationem efficere dæmones præualent, per vapores grossos ex tellure eleuatos, & per motum eorū localem eos cōgregando, & figurando: in quibus manent tanquam motores tantum, sunt enim in suis sic assumtis corporibus, sicut nauta in naui quam mouet. Iam inquirendum restat, quomodo loquantur & comedāt. Respondendū est eos pulmone carere & lingua, quam tamen artificiatam ostendere possunt iuxta corporis conditionem sicut dentes & labia: & quando mentis conceptum exprimere volunt, tunc non per voces, sed per sonos qui aliquam habent similitudinem vocū, aërem nō respiratum, nec attractum, vt in hominibus, sed inclusum in corpore assumto percutiūt, & ad aërem extrinsecum, articulatim emittunt vsque ad aures audientis. Ratio autem comestionis quatuor includit, diuisionem cibi in ore, traiectionem in corpus, virtutem corporis digerere valentis, & quartò cōuertere necessarium corporalis pabuli nutrimentum, & superfluum eijcere. Angeli quæcunq; in assumtis corporibus comedendo faciunt, tertium & quartum nequeunt: at loco virtutis digestiuæ & eiectiuæ, est eis alia virtus, qua cibus subito in præiacentem naturā dissoluitur. In Christo etiam

fuit vera

1. parte quæst. 51. art. 3.

Dæmones corpus aëreū quomodo assumant? Non assumūt de terra corpora, quia nō subito disparerent: non de igni, quia tacta, contiguaq; comburerent, sed de aëre qui licet in sua rarita te nō retineat figuram, vel colorē, quādo tamen condēsatur, figurari potest, & coloribus obduci, vt liquet in nubibus.

Dæmones, voces quomodo emittant?

Angeli quomodo corporalis pabuli nutrimenta sumant?

fuit vera comestio, quia habuit virtutem nutritiuam & conuersiuam, non autem conuertendo in suum opus, quia illæ virtutes fuerant glorificatæ, sicut & corpus: vnde etiam resoluebatur cibus subitò, sicut gutta aquæ in ignem proiecta. Sicut ergo similitudines habuerunt membrorum, ita & operationum.

De præstigijs. CAP. XXVII.

MVlta hac fraude fieri visuntur, quæ non reuera fiunt, sed acies oculorum perstringuntur, aut res aliter quàm prima facie videantur, offeruntur: quemadmodum sunt, brachium cultello sine discrimine nociuæ læsionis transfossum ostendere, vel se hominibus efficere inuisibilem, cuius experimenta, articulo quarto docet pestilentissimus liber, Iocus Salomonis appellatus. Hoc modo Giges, teste Cicerone, cernens terræ hiatum procellosis imbribus factum, ingrediendo reperit equum æneum qui ostiolo in latere posito, introitum admittebat: in cuius intimis penetralibus callidus explorator offendit cadauer hominis, annulum aureum in digito habentis, quem detrahens, reuertitur fidelis opilio ad ouiculas sibi concreditas, quas ad interiora deserti modo consueto dirigendo, annulo digito imposito, omnia clarissimo intuitu perlustrabat, ipse inuisibilis per annulum effectus: eoque profecit, vt reginam postea suis præstigijs dementaret, & stupraret, seque in solio regali constituto, Regem Lydiæ maritum eius crudeli ferro regnum inuadendo peremit. *Lib. 3. officiorum.*

Inscriptam quoque his verbis chartã, gibel Got gabet, præstigiatores rostro auis imponere solent, & stylo peracuto illi caput rectà in medio perforare, exilitq; nihilominus pullus & viuit. Causa huius est, quod pulli caput, cerebrũque bipartito osse sit diuisum, os verò in medio duplicatum stylus penetrat qua facile potest, & ob id illæso cerebro viuit. Existimat autem vulgus harum rerum imperitus, vim eam verbis inesse: sed si vis inest verbis, cur non si transuersum illi caput perforetur? cur non perforato capite hœdi aut hominis aut canis, idem contingit? *Gallinaceus præstigijs transfossus non moritur quare?* Rursus aliquando lana, linum & supellex publicè in domo proijciũtur, quod licet dæmonibus non sit impossibile, subinde tamẽ maleficarũ prestigijs, & sycophantijs superstitionum fieri, omnibus debet esse in confesso: quod statis temporibus, certisque rebus damnum inferatur. Eiusdem etiam effectus varia possunt assignari causarum principia, scilicet dæmones mortui apparentes, vt in libro de præceptis decalogi dilucidatum *Strepitus domestici vnde.*

datum reliquimus, propria quædam vis cæli ac techna. Ecce auditur ſtrepitus in domo, poteſt eſſe mus, felis, ericius, aut quod tigna ſubſidant: rurſum dæmones aut aliquorum amicorum vmbra, poteſt & eſſe aliquis qui conficta manu ſtrepitum illum efficiat. Vt autem ſemel omnia dicamus, quoties ad effectum aliquem ea adhibentur, quæ vi naturæ prodeſſe non poſſunt, nec diuinæ prouidentiæ expectatur impletio, ſed ab alia occulta quadam virtute, quæ curioſis ſignorum adhibitorum obſeruationibus innititur, adfutura creditur.

Libr. 2. doct. Christiana, cap. 23. Hinc beatus Auguſt. docet occulto fieri iudicio, vt harum rerum cupidi pro meritis ſuarum voluptatum, tradantur decipiendi ſeductoribus ſpiritibus, quibus iſta mundi infima pars, ſecundum pulcerrimum ordinem rerum, diuinæ prouidentiæ lege, ſubiecta eſt. Quibus illuſionibus & deceptionibus euenit, vt iſtis pernitioſis diuinationibus multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant quàm dicantur, multaque obſeruantibus ſecundum obſeruationes ſuas eueniunt, quibus implicati curioſiores fiant, & ſe magis magiſque inſerant multiplicibus pernicioſiſſimi erroris laqueis. & capite ſequenti: Non enim quia valebant animaduerſa ſunt, inquit, ſed animaduertendo atque ſignando, factum eſt vt valerent, & ideo diuerſis diuerſa proueniunt, ſecundum cogitationes & præſumtiones ſuas. Illi enim ſpiritus qui decipere volunt, talia procurant, qualibus homines per ſuſpiciones irretitos viderint, quandoque etiam per phantaſmata & rerum ſpectra, humanis ſenſibus ſiue interioribus, ſiue exterioribus ſic illudunt, vt appareat

Lib. 18. Ciuitat. Dei, cap. 18. quod non eſt. Exemplorum paradigmata ex D. Auguſt. requirere non fuerit indignum. De quibus & ſimilibus quid ſentiendum ſit, perpulcrè exponit Concilium Anciranum, aliud quod-

Canone vlt. dam exemplum proferens, propoſito inſtituto accommodum. Illud etiam, inquit, non eſt omittendum, quod quædam ſceleratæ mulieres retro poſt ſathanam conuerſæ, dæmonum illuſionibus & lemurum phantaſmatibus ſeductæ, credunt &

De Diana, & incantatricibus nocturno tempore vagantibus. profitentur ſe nocturnis horis, cum Diana Paganorum Dea, vel cum Herodiade, & innumera mulierum multitudine, equitare ſuper quaſdam beſtias, & multa terrarum ſpatia, intempeſtæ noctis ſilentio pertranſire: eiuſque iuſſis velut diuæ obedire, & certis noctibus ad eius ſeruitium euocari. Sed vtinam hæ ſolæ in ſua perijſſent perfidia, & non multos ſecum in infidelitatis baratrum præcipitaſſent. Nam innumera multitudo hac falſa opinione decepta, hæc vera eſſe credit & credendo à recta fide deſciſcit. Ideo ſacerdotes, per eccleſias ſibi commiſſas populo prædica-

prædicare debent, hæc omnino esse falsa, & à maligno spiritu mentibus fidelium talia phantasmata irrogari. Siquidem ipse sathanas, qui se transfigurat in angelum lucis, cum mentem cuiusque mulierculæ ceperit, & hanc sibi per infidelitatem subiugauerit, illico transformat se in diuersarum personarum species atque similitudines, & mentem quam captiuam tenet, in somnis deludens, modò læta, modò tristia, modò cognitas, modò incognitas personas ostendens, per deuia quæque deducit, & cùm solus hoc patiatur spiritus, infidelis mens hæc non in animo, sed in corpore opinatur euenire. Quis enim non in somnis & nocturnis visionibus extra se educitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam viderat vigilando? Quis verò tam stultus & hebes est, qui hæc omnia quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur? cum Ezechiel Propheta visiones Domini in spiritu, non in corpore vidit & audiuit, sicut ipse dicit: statim, inquit, fui in spiritu. & Paulus non audet dicere se raptum in corpore, similiter & Ioannes Euangelista in Apocalypsi. Omnibus itaque publicè annunciandum est, quod qui talia & his similia credit, fidem perdit: & qui fidem rectam in Domino non habet, hic non est eius sed illius in quem credit, id est diaboli: nam de Domino nostro scriptum est, Omnia per ipsum facta sunt. Quisquis ergo credit aliquid posse fieri, aut aliquam creaturam in melius aut deterius mutari, aut transformari in aliam speciem aut similitudinem non ab ipso creatore qui omnia fecit, procul dubio infidelis est, & Pagano deterior. Præmissa proinde non corporali veritate, sed diabolica illusione contingere probantur, quoniam Diana Paganorum Dea, in mundo nullibi obtinet locum, sed nec Herodias, quæ gladio linguæ, Ioannis Baptistæ caput amputauit, æternam exire damnationem credenda est. Horrendum etiam foret spectaculum, Christiana religione imbutum, cum damnatissima meretrice familiare habere commercium. Deinde bestiæ quibus insidere feruntur, non sunt corporales & animatæ, equi, muli, asini, qui possunt subitò tanta terrarum spatia emetiri, tamque silenter, vt cursus strepitus auribus percipi nequeat: quod manifestum euadit, quòd sole nostrum hemisphærium illustrante, prælibatæ bestiæ nullibi appareant, nec vestigia stabulorum relinquant, vbi recondantur & quiescant, donec istæ sagæ ad equitandum euocentur. Vnde liquidò constat, somnium esse, quod sensibus imperitæ plebis ingerunt.

De incan-

De incantatoribus reprimendis.

CAPVT XXVIII.

SIgnum ad nocendum ab incantatoribus & sagis positum dimouere, & ita nocumentum illatum aut inferendum impedire, societatem dæmonum virtute approbat, eorumque efficaciam demonstrat. Nec apud vllos doctores dubium est, quin illicitum sit amouere signum, quando pactum hoc præcessit dæmonum: permanente signo nocebo, desistam sublato; Nemo siquidem ambigit eos pactum dæmonum sequi qui tollere student, quo recuperent sanitatem: nam qui signa tollunt vt nocumento liberentur, existimant ea ad nocendum valere, quod infidelitatis est, ac proiude illicitum. Præterea si liceat signum amouere, licet ergo maleficam deprecari, vt citra nouam incantationem, signa remoueat. Sed cur id non faciunt passim omnes Christiani? quia præcepit Dominus, ne dehonestemus nomen eius, petendo auxilium à maleficis, & superstitiosis obseruatiunculis, imò à diabolis ipsis, quasi non sit Deus in Israël: redundat enim vel maximè in honorem dæmonum, quòd serui Dei cogantur seruos diaboli tanquam sanatores hominum deprecari. Hinc D. Hieronymus de sancto Hilarione ait, Cum quidam iuuenis virginem Dei deperiret, & iocis, tactibus, reliquisque morituræ virginitatis principijs, nil profecisset, magicis artibus eam pulsauit: nam super limen domus puellæ, tormenta quædam verborum, & portentosas figuras in æris Cyprij lamina defodit. Illico insanire virgo, & abiecto capitis amictu, nomen adolescentis inclamare cœpit, magnitudo quippe amoris se in furorem verterat. Perducta ergo à parentibus ad monasterium, sancto seni traditur, cuius præsentia dæmon constrictus, fugam capere debuit. Noluit tamen sanctus antequam purgaret virginem vel adolescentem, signa iubere perquiri, ne aut solutis incantationibus recessisse dæmon videretur, aut ipse sermoni eius accommodasse fidem: asserens fallaces esse dæmones, & ad simulandum esse callidos, & magis reddita sanitate increpuit virginem, cur fecisset talia, & quòd dæmon intrare potuisset. Huic non est absimile, quod habet V. Beda, & resumitur ab Iuone, vbi multa hunc concernentia tractatum allegat. Verum his fortasse aliquis obuiabit, qui adseuerabit sibi optimè consultum, languoremque immissum per ipsius sagæ à morbido pectore consilium, & remedium. Cui breuiter respondendum est, nihil

In vita eiusdem.

Mirabile prodigium incātatæ virginis.

Super 8. cap. Lucæ.

Parte 11. cap. 102.

Obiectio eorum qui votis potiuntur sanitatis, restitutæ per maleficia.

eſt, nihil obſtare, quin diabolus ſibi interdum aduerſarius & ſathanas aduerſetur, & ita miſeros faſcinare poſſit non obedire veritati, ſed potius falſitati, dum arcanis mæandris votis potiri efficit, languoremque quem per alium immiſit, per incantatorem pellat. Hoc, inquam, ingenti aſtu molitur, vt ſibi cultus latriæ expreſsè vel ſaltem tacitè deferatur. Et ſi non permitteretur aliquando boni aliquid operari, ſicut dare congruum pecudibus ſolatium, nec aliquid prorſus vellet operari: quemadmodum ſi non permitteretur interdum vera præſagire, nihil vellet prenunciare, vt prælibatum eſt ex D. Clemente. Sed quibus mederi poterimus præfatis modis intoxicatis? Reſpondet Magiſter, oratione, ieiunio, aquæ luſtralis aſperſione, & etiam crucis conſignatione, quæ omnis generis dæmonia pellere poteſt, ſecundum beatum Auguſt. cuius rei euidentiorem veritatem diſcere promtum eſt, ex beato Epiphanio, de filio Ellel patriarchæ, qui magicis artibus imbutus, quandam ſanctimonialem corrumpere concupiuit, ſed ſignaculo crucis munita, contra inſidias diaboli ſtetit inconcuſſa. Sic apud Gregorium Nazianzenum Cyprianus adhuc magicis nebulis obnubilatus, ſacratiſſimam virginem Iuſtinam, diabolicis operationibus voluit Agladio ſcholaſtico tradere corrumpendam, ſed nihil apud eam ſuis deceptionibus effecerunt. Sic quidam vas cum aqua benedicta (fortè in proximo dependebat) fide plenus arripuit, teſte Petro Cluniacenſi, & ſanctificatum elementum huc illucque confidenter aſpergens, omnia illius habitaculi loca infundit, & ecce velut à facie gladij fugientes, in alterutrum impingentes, primos hi qui ſequuntur violenter impellunt. Nec aliquis admirabitur ſi aquæ conſecratæ aſperſione dæmones interdū cedere recuſent, quia tabe intrinſecus latente vnguenta forinſecus adhibita nihil proficere poſſunt. Tabem autē voco lethale peccatum, quod quādiu in interioribus cuiuſlibet latuerit, nullius exterius ſacramenti perceptio prodeſſe poterit: quod in præcipuis Eccleſiæ Sacramentis, videlicet baptiſmate & corpore Domini, apertè oſtenditur. Si enim malitia interiore manente, ſaluare poſſent, nec Iudas poſt acceptum ſacramentū ſe ſuſpendio peremiſſet: nec Simoni Mago iā baptizato Petrus dixiſſet, Non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto: in felle enim amaritudinis &c. Sic aliquādo contingit vt ęger aqua ſalutari aſpergatur, & tamē propter occultā peccati labem, nō poſſit à dęmoniacis incantationibus liberari. Legimus in epiſtola quadā, cuiuſcunque tandē ſit, quę adſcribitur D. Cyrillo epiſcopo Hieroſolymitano, de quadam ſanctimoniali, quæ defenſa à præſtigijs magorum

Lib. 4. Sententiarum, diſt. 34. §. 1.
Lib. 83. quæſt. 79.
To. 2. lib. 1. hæreſ. 30.
Oratione in vitam Cypriani.
Lib. 1. de miraculis, cap. 7.
Aqua luſtralis aliquando nil prodeſt.
206. Inter Auguſt. Epiſtolas.

I reperitur

reperitur per imaginem D. Hieronymi parieti affixam: Haud secus nos si integra fide, totoque mentis affectu diuinam opem imploraremus, vt præfatæ lachrymis, ieiunijs, orationibus, optatum haud difficulter consequeremur effectum. Qui enim sine Saluatore salutem vult habere, & sine vera sapientia æstimat se prudentem fieri posse, non saluus, sed æger, non prudens, sed stultus in ægritudine assidua laborabit, & in cæcitate noxia stultus, & demens permanebit. Ac proinde omnis inquisitio & omnis curatio, quæ à Diuinis & Magis, vel ab ipsis dæmonijs expetitur, mors potius dicenda est, quàm vita, & qui sectantur talia, nisi se correxerint, æternam damnationem euadere nō poterunt, à qua nos liberare dignetur gratia & misericordia Domini nostri Iesu. Cùm autē hisce non cedunt modis, credendum est ipsum Deum, occulta sacratissimæ ordinationis ratione, hoc cum iustum ac vtile, tam bonis quàm malis iudicat, permittere, hi siquidem confunduntur, & cælitus impediūtur, quando vniuersorum Dominus suis expedire nouit, vti liquido constat ex Moyse, vbi incantatores Cyniphes producere nequiuerunt. & alibi: spiritum nequam quidam abigere frustra tentarunt. Interdum tamen permittit eos operari ad exercendos bonos, quatenus in fide solidētur, & patiētiæ virtute roborentur, quod enim Pilato Dominus dixit, hoc & Iob ac eius sequaces diabolo dicere possunt: Nō haberes in me potestatem vllam, nisi tibi data esset desuper; Non igitur eius voluntas, cuius malitiæ potestas in bonos datur, sed eius voluntas, à quo hæc potestas datur, debet nobis esse charissima.

Quare aliquando non cedant incantationes.

Exod. 8. Actor. 19.

De grauitate præmissorum peccatorum.

CAPVT XXIX.

ARtes magicæ siue diuinationes, quas dæmones per maleficas operantur, admodum grandia sunt peccata, quod infidelitatis apostasiam, & idolatriæ inobedientiam includant, gladium siquidem proprium in seipsos stringunt, quando discrimini æternæ perditionis se mācipare probantur. Peccāt etiam in Christi sponsam Ecclesiam, commertium præcisorum dæmonum non euitando, legem quoque præuaricantur Diuinam, eorum auxilium & consilium implorando, eisq; numinis prerogatiuam, qua cupiunt similes esse altissimo, futurorumque euentum cognoscere, adscribendo. Nam vana Magicarum artium superstitio, ex dæmonum traditione inualuit, & per eos

per eos conficta sunt Auspicia, & Auguria, quæ eorum dicuntur
oracula. Qui autem Diuinis huiusmodi adhibent fidem, similes
sunt dæmonibus, Lucifero, consensu, adhęrentibus. Diuina etiã
lex plusculis locis hanc retundit vesaniam. Dicitur enim per Leuit. 19.
Moysen: Non declinetis ad magos, nec ab ariolis sciscitemini. Deuter. 18.
Et alibi: Nõ inueniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam,
ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia
atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, neque phytotones
consulat, nec diuinos, vt quærat à mortuis veritatem. &
apud Esaiam, Dominus irrita facit signa diuinorum, & ario- Cap. 44.
los in furorem vertit. Grauitas tandem elucet ex multiplicibus,
quibus proscribitur legibus: Diuina videlicet & humana, lex
Diuina bipartita morte, nimirum spirituali & corporali, hanc
nequitiam plectendam censuit: Priori, gladio sunt excommunicationis
feriendi, & à communione fidelium præscindendi, 1. Corint. 5.
quod comprobatur exemplo Luciferi, & primorum parentum
Diuinam similitudinem, & æqualitatem rapientium, nec non
scientiam inflantem affectantium, quorum ille de cælo, hi de
Paradiso deturbati, iustas suæ temeritatis dedêre pœnas. Nec
non corporali, quia huiusmodi lapidibus obrui præcipiuntur,
& Helias loquitur ad Ochosiam: Quia misisti nuncios ad con- Leuit. 20.
sulendum Beelzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in 4. Reg. 1.
Israhel, à quo posses interrogare sermonem, ideo de lectulo
super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. sic
Saul Regni gubernaculis est priuatus. Humana quoque lege 1. Reg. 16.
bipharíam percelluntur: Canonica & Ciuili, Canones namque *4. cap. 28. & *
hoc modo animaduertunt in tales, vt liquidò constat ex Con- *26. quæst. 5.*
cil. Toleta. & Agatensi, & resumitur apud Gratianum, vbi præ- *cap. Si quis.*
dictos presbyteros, diaconos, clericos, consulentes, ab honore *cap. 42. &*
dignitatis suspendunt, ac perpetuæ pœnitentiæ in arcto mo- *apud Gratia-*
nasterio subijciunt. Si autem laicus præmissos consuluerit, ab *num cap. ali-*
ecclesia habeatur extraneus, vnde Concil. Aurelianense 1. cap. *quali. & cap.*
32. & Carthaginense 4. cap. 89. Elibertinum, cap. 62. Anci- *Si quis cleri-*
ranum, cap. 24. Augurijs & incantationibus seruientem, simi- *cus. & 26.*
liter Iudaicis superstitionibus vel ferijs inhærentem, à Con- *quæst. 7. cap.*
uentu Ecclesiæ separandum præcipimus. Demum Iure Ciuili *non obserua-*
condemnantur, quia incantatores iubentur capite plecti, aut *bitis.*
Vulcano tradi, vti fusissimo tractatu, Malleus maleficarum *C. de malefi-*
liber ita inscriptus, parte tertia pluribus quæstionibus pro- *cis et Mathe-*
sequitur, ad quem breuitatis ergô, studiosum lectorem remit- *mat. leg. nul-*
timus. *lus aruspex,*

 & leg. nemo.

DISTINCTIO OCTAVA.

Angeli quomodo corporei.

CAPVT I.

Qvandoquidem hæc clarius euaserunt superiori de incubis & succubis articulo, non est quod iterato labore eadem ingeram: sed propensioris studij fuerit, reliqua sedula mentis perscrutari indagine.

Angeli quomodo appareant.

CAPVT II.

4. Physicorum, cap. 3. Lib. 1. ortho. fid. cap. 16. Lib. 2. dist. 2. duplex locus. Similitudine probat quod docet.

VArios quidem in loco existendi modos, reperire promptum est apud Aristotelem: Verum bipartita iuxta Ioannis Damasceni Theologiam, nobis loci diuisio magis erit oportuna, qua secatur in intellectualem & corporalem. Intellectualis est, vbi incorporea natura adest, & operatur, non corporaliter, sed intellectualiter teste D. Bonauentura, certo quodam limite determinata, habet quippe anima & cælestis spiritus definitum quendā suæ plenitudinis locum, extra quem non exhibet præsentiam aut suam operationem sicut tęda succensa tremulum diffundit lumen per locum, in quo consistit, quæ si auferatur, atque alium in locum transportetur, eundem illuminat, non tamen prius derelictum: haud secus angelus cum existit, aut in cælorum sublimibus, operationis vires exerit, locum habet intellectualem, quod simul alibi nō sit, nec operationem exerceat. Et quando mittitur in terram, legationem impositam obiturus, non simul est, nec operatur in cælo. Quod autem diuersis in locis videatur interdum esse, & operari, hoc fit ob subitum eius motum, ab vno in alium, ob quam celeritatem nobis aliquando imperceptibilem designandam: depingnūtur ālati, licet alarum corporalium remigijs careant.

4. Physicorum. Locus corporalis. Lib. 83 quæst. 20.

Locus autem corporalis secundum Aristotelem, est terminus corporis continentis, ipsi contento contiguus, vt concauum cæli lunæ, est locus elementi ignis, concauum ignis, est locus superficiei conuexæ aëris. August. autem ita describit, locus est spatium quod longitudine, latitudine, & altitudine occupatur, ita

patur, ita vt cuilibet locati parti, pars respondeat loci, hoc modo corpus tantum est in loco, quod certo limitis termino clauditur, & circunscribitur. Nec spiritus sic est in loco nec anima, quæ sic est in corpore tota, vt nihilominus tota existat in singulis corporis partibus. Quod autem oculis corporeis subinde aliquibus in locis visi leguntur, itaque præsentes se exhibuisse hominibus, vt audiri & palpari possent, nō in propria natura, sed in assumto corpore, aut ministerio eorum formato, ad præsentiam illorum designandam, contigisse credendum est. Quando autem hominibus apparent, aliquando referunt personam Dei, aliquando propriam. Ad repræsentādam personam propriam, interdum assumunt corpora, nonnnnquam ea mouent, vel aliquid circa ea operantur, sic tamen vt personas suas præsentare non intendant, verbi causa, quando per serpentem diabolus hominem in paradiso est alloquutus, non serpentem assumsisse putandum est, quia non ad se præsentādum serpente vsus est, sed vt per eum hominem seduceret, eius linguam ad loquutionē agitauit, ac organa vocis disposuit. Non absimili modo asinam Balaam articulatā ædere fecit vocem, quam assumsisse nephas est vel cogitare: Neque enim se præsentare voluit, sed per asinam mirando modo coarguere prophetæ insipientiam. Similis est de homine obsesso ratio, cuius corpus minimè assumere putandus est, neque enim per hominem se præsentare intendit, sed organis corporis abuti contendit; Siquidem spiritum corpus assumere, est se suasque proprietates intelligibiles per corpus velle præsentare, teste beato Augustino, & diuo Gregorio, qui tractat illud, respondens Dominus Iob de turbine, dixit, Expresse docet angelos oculis corporeis visos, assumtis ex aëre formis, alioqui, inquit, non possent nostris apparere obtutibus. Hanc assumtionem excellentius præstant angeli sancti, quàm dæmones, quod & naturali circa corpora agant virtute, & diuina, si quid propriæ desit, perficiant potentia. Quare in sacra pagina passim, sanctos angelos corporibus assumtis, obtutibus se obtulisse humanis legimus. Dico passim, quoniam apud Matthæum scriptum est, diabolum apparuisse Domino, sub humana (vt omnino videtur probabile) forma, cum humano loquendi more vteretur, & Christus Iesus illo ceu socio, duci dignaretur. Inficiari tamen nequimus, quin dæmones subinde corpora assumsisse in sacris eloquijs alijsq; historijs offendamus. Contingit etiam Angelum corpus assumere, non ad se suasque homini proprietates insinuandas, sed ad diuinos effectus significandos, Deumque

Angeli qualiter appareāt.

Diabolus quomodo in serpente loquutus.

Diabolus obsidet corpora quomodo.

Enchirid. cap. 59. 23. moral. cap. 2.

Cap. 4.

Diabolus humana specie tentauit Christum.

ipsum præsensandum, velut in nube lucida populum deduxit quadraginta annorum spacio: neq; enim se homini ingerere angelus voluit, sed Deum itineris ducem manifestauit: Ita cum in monte tonitru ac fulgetra perstreperent, hancq; vocem emitterent: Ego sum Dominus Deus tuus, non ad suas personas id faciebant præsentandas angeli, sed Deum ipsum. Cumq; sic obtutibus hominum se visibiles exhibent vt Diuinam personam assumpto corpore subeāt: Non angeli dicendi sunt, sed Deus apparere, tametsi nō Deus, sed angelus corporis exuuijs sit indutus. Et secundū hanc personarū diuersitatem, quas assumunt, etiam sermo eorum variatur, & alia atque alia vtuntur loquendi formula: In persona namq; Dei, sine personarum distinctione, Angelus in Paradiso protulit, Adā vbi es. Et postea Abrahæ, Egredere de terra tua, & de cognatione tua. Interdū in persona Patris, Vt angelus qui dixit, Ego sum Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti. Aliquādo in filij persona: Vt ille qui in rubo apparuit, inquiens, Videns vidi afflictionē populi mei, vt liberem eum: descēdit etenim filius Dei ad nos de tyrannide diaboli eripiendos, sicut tū descenderat ad liberādos de captiuitate Ægyptiaca Israhelitas. In persona verò Spiritus sancti apparuit in monte Syna, in nube, in columba, & in linguis igneis, quibus creaturis vsus est tanquā organis, vt ipse species extrinsecæ spirituali, cui conferebatur, & mōstrabatur, responderēt effectui; Columba namq; plenitudinē gratiæ in Christo monstrauit. & quemadmodū in lege, oblatione columbæ primogenita significabatur redemta, ita merito suæ passionis Christus populum suæ religioni initiatū, fecit fœcūdum dono diuersarū linguarum. Apostolis ad diuersas gentes dispergendis, necessarium ignis signabat charitatis ardorem, teste beato Augustino. Nequaquā tamen columba verum fuit animal, aut verus ignis, secundum D. Bonauēturam, & Thomā, atq; adeò ipsum August. fuerūt tamē illæ species corporales sensibus perceptibiles, alioquin non fuissent veræ apparitiones, sed præstigiatorū illusiones, atque expleto sui muneris officio, in præiacentem mox materiam sunt resolutæ. Istud docere videtur textus, inquiens, Descendit, Spiritus sanctus corporali specie sicut colūba, vocula sicut similitudinem innuit, teste B. Augustino, Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, cum dicit tāquam, similitudinem nō identitatem insinuat; Proinde columba non fuit vnione hypostatica Spiritui sancto vnita, nec cultu latriæ adorari potuit, vt corpus Christi vnionis ratione, sed angelico ministerio Spiritus sanctus ad notabilē aliquem effectum designandum

Angeli loquunt in persona Patris aliquando, interdum Filij, &c.

De columba & igne quibus Spiritus sanctus apparuit.

Lib. 2. cont. Maximi. cap. 19. & epistola 111 ad Fortunatianum.

In primum dist. 16. 3. part. quæst. 39.

Lib. 2. de trinit. cap. 12. epistola 102. ad Euodium & 2. de Trinit. cap. 6. & 7.

Tract. 4. & 9. in epistolā Ioannis.

gnandum, cuncta expleuit. Quod autem hec omnia angelorum gesta sint operatione, scriptura non semel manifestat, Si enim per angelos dictus est sermo, & ad Galatas Apostolus dicit, legem per angelos esse dispositam, Accepistis legem in dispositione angelorum. Et iterum, dicit Angelum loquutum esse, de flamma rubi. & Deuteronomij vltimo, In Seier ortus est nobis, & cum eo angelorum milia: Item in Genesi dicitur Deus apparuisse Agar, eique dixisse, multiplicās multiplicabo semen tuum, & tamē scribitur angelus fuisse. Et postea, Angelus cælitus vocauit Abrahā, & dixit, Per memetipsum iuraui, dicit Dominus. Et cum vetuisset in filium stringi gladium, appellauit, inquit scriptura, nomen loci illius, Dominus videt. Et alibi, Iacob ait se vidisse Dominum facie ad faciem, & dicitur contra Dominum fortis fuisse, cum tamē apud Oseā prophetā, angelū fuisse scriptū sit: In fortitudine, inquit, sua directus est, cum angelo, & inualuit ad angelum & confortatus est, erat siquidem angelus in persona filij. Similiter in lib. Iudicum scribitur, Angelū Manue apparuisse, qui tamē paulò post subnectit, vidimus Dominum. Ex his & similibus perspicuum cuique esse potest, apparitiones istas ministerio angelorum, sed Dei personā gerentium, esse factas. Taceo quod Esaias viderit Dominū, in solio excelso sedentem, id est imaginem Christum ipsum repræsentātem: Quod Daniel antiquum dierum, quo pater, filiū hominis, quo Christus flumē igneū rapidissimū, quo Spiritu sanctus designabatur, quod hęc in imaginaria visione contigerint. Hic non est dissimulandum, quod angelus personam Dei repręsentans, loquatur quasi Deus esset: Ego sum Deus Abrahā, &c. immediata tamē persona quæ verba formauit, angelus fuit, cuius rationē refert sanctus August, cum verba iudicis præco pronunciat, non scribitur, nec annalibus commendatur, præco hoc protulit, sed Rex hoc sanciuit. Ex proprię personæ authoritate loquitur Angelus Zachariæ, Ego sum Gabriēl qui asto ante Deum. Et alibi, Ego Raphaēl qui asto ante Deum. Solent etiam dum hominibus apparēt ex ipso habitu, & apparēdi specie, indicare quid ministerij peracturi veniant, quemadmodum Iosue liber docet, vbi Angelus suppetias laturus populo Israhelitico vrbem Hiericho expugnaturo, stricto apparuit gladio, seque principem exercitus Domini esse, est professus. Et alibi, Iudæ Machabæo ac sodalibus eius diuinam opem implorātibus visus: est vir eques, candida veste indutus, auream hastam vibrando, tanquam dux exercitus præcedebat, qui haud dubiè angelus Domini bonus fuit, quod euentus belli probauit.

Angelorum ministerio apparitiones factæ. Hebr. 2. Actor. 7. Cap. 16. Cap. 22. Cap. 32. Cap 12. Cap. 13. Cap. 6. Daniel. ca. 3. *De Trinit. ca.* 10. & 11. Lucæ 1. Tobiæ 12. Cap. 5. *Angeli pro ratione legationum diuersimode apparent.* 2. Machab. cap. 11. *Angelus apparuit Iudæ Machabæo.*

Dæmones an animæ illabi queant.

CAPVT III.

PRo clariori huius quæstionis decisione: haud ignorandum est, spiritum animæ illabi, nihil aliud esse, quàm menti fieri intimum, eamq; immediata operatione afficere, eiusque latebras penitius perscrutari, quod illius solius interest, ad quem concernit mentem ac cor hominis creare ac scrutari, dicente sacra scriptura, ipse nouit quid sit in homine, qui scrutatur corda & renes. Et iterum, tu solus nouisti corda, item alibi, Cor Regis in manu Domini, qui tanquam Rex in solio præsidens, cor hominis gubernat atq; virtutibus tanquam pedissequis imperat, quod diabolo non est concessum: Si enim animæ illaberetur. nil ita intimum esset in anima, in quo non syndresim, id est, voluntatem naturalem deprauando, & ad malum inclinando dominaretur. Nec sequitur, Sicut homo est tēplum Dei per gratiam, ita templum diaboli per culpam, sed vbi prius erat gratia, iam regnat culpa, ergo vbi prius inhabitabat Deus, potest sedem suam collocare diabolus: Quia non est par ratio, aliter namque est gratia à Deo, aliter culpa à diabolo, gratia est à Deo præsente, influente, intimè operante, ac medullas affectionis penetrante, teste beato Paulo, Viuus est enim sermo Dei & efficax: Sed culpa est à diabolo cognoscente duntaxat & suggerente, ideoque non oportet diabolum habitare, in intimis cordis peccatoris penetralibus: quantumcunque medullitus peccatum inhæreat. Deinde peccatum nihil constituit, sed à constitutione deficit, & priuat potius, ideo secundum ipsum non dicitur illabi animæ, sed potius corpori. Cogitationum autem humanarum bifariam dæmon sortitur cognitionem, vno modo ex effectu, sicque potest certior esse cogitationum, tantoque magis, quanto effectus huiusmodi, obtutibus humanis sunt expositi. Nec cogitatio duntaxat per actum extrinsecum cognoscitur, sed etiā signis exterioribus, puta faciei aut cordis, quod diuersimode secundum affectionum diuersitatem mouetur, teste diuo Augustino, sicuti Medici pulsu, alijsque complexionum qualitatibus conditionem morborum expiscantur. Hæc tamen cognitio est magis coniecturalis, quàm certitudinis. Altero modo cognoscuntur cogitationes, prout in intellectu subsistunt, & affectiones prout sunt in voluntate; qua ratione solus Deus interiora rimatur & splendore æternæ suæ lucis singula perscrutatur secundum Apostolum, Nemo scit quæ

Margin notes: Ioannis 2. — 3. Reg. 8. — Prouer. 21. — *Obiectio.* — *Solutio.* — Hebr. 4. — *Diabolus quomodo cognoscat cogitationes nostras.* — *Lib. 11. de ge. ad literā cap. 4. lib. 3. de lib arb. ca. vlt. & de agone Christia. cap. 33.* — Greg. 27. moral. ca. 17. — 1. Cor. 2.

ſcit quæ ſunt hominis,niſi ſpiritus hominis qui eſt in illo.Sicut namque Deus voluntati rationalis creaturæ dedit dominium, & arbitrium cui nulla niſi diuina potentia præſidet, & ſicut potentiæ cognitiuæ dedit conſcientiæ ſecretum, cuius intima niſi diuina ſapientia penetrat, ita nulla creatura humana aut angelica, poteſt humanæ conſcientiæ, niſi per ſigna & coniecturas vel hominum denuntiationes aſſequi ſecreta. Prælibato modo indirectè eſt cauſa diabolus omnium peccatorū,quę homini ſuggeſſit,ex cuius peccatis toti humano generi cōſequuta eſt pronitas tranſgrediendi, & delinquendi occaſio, ſicut ligna ſecās combuſtionis poteſt dici occaſio. Directè tamē loquendo diabolus nō eſt cauſa peccati,non enim omnia peccata diabolo inſtigante patrantur, ſed nonnulla ex arbitrij libertate, & carnis corruptione committūtur.Et ſi diaboli fraus deſiſteret,homines nihilominus appetitum ciborum & venereorum inordinatum,niſi freno rationis compeſcerent, haberent. Refrenare autem huiuſmodi abdomen inſatiabile, ac inordinatum appetitum, eſt liberi arbitrij, cui imperare nequit diabolus, licet alliciendo ſuadere queat, quia vitia quæ in nobis inuenit, explorando quibus expleri queant, excitat modos,& inflammat, nec ab hoc vitiorum incentiuo iuſti ſunt immunes, potiſſimum cum mens noſtra cogitando circa vtilia non verſatur, vnde D. Auguſtinus, Aditum illi magna ex parte præcluſit, cuius animus honeſto ſtudio, vtilique aſſiduè tenetur. Nec tamen illi penitus à ſathanicis incurſibus liberi ſunt, verumetiam in ſanctos viros, imò in Paulum ipſum impetum ſubinde fecerunt: Magiſter autem allegat §.E, Gennadium, quo perſpicuum fit eum non latuiſſe librum de Eccleſiaſticis dogmatibus eſſe Gennadij, quod ipſum alibi in hoc libro videre eſt: quare perperam annotāt aliqui in margine,& peius in ipſo contextu: Aliàs Auguſtini, nam etſi liber nullis erroribus obnoxius eſſet, Auguſtino tamen authori adſcribi nō poſſet,cū in eo mentio fiat Neſtorij ac hæreſis eius, quæ iam inualeſcere cœpit, ſimul atq; Auguſtinus ſideribus illatus cum Deo regnaret. Hunc autem Gennadiū ex libro quem de ſcriptoribus compoſuit inter opera D.Hieronymi conſtitutum,ſanæ doctrinæ hominem conſtat non fuiſſe,nam in eo libro beatum Hieronymum contemtui habet,Ruffinum magnis præconijs extollit:Caſſianum Proſpero anteponit, Proſperum etiam proſcribit, & Fauſtum laudibus euehit. Imò in eo ipſo opere, quod ſacris canonibus damnatum eſt,hos vituperat,quos Pontifices magni fecerunt. Non eſt igitur huius authoris magna authoritas, quanquam à

Diabolus non eſt directa omnium peccatorum cauſa.

Lib. 4. cont. 2. epiſt. Pelag. cap. 10. & 11.

Liber de Eccleſiaſt. dog. non eſt Aug.

nonnullis Doctoribus in aliquibus recipiatur. Beda quoque legit, Cur Sathanas impleuit cor tuum? Quæ isti duo Doctores ex libris Dydimi vsurparunt, quos de diuinitate Spiritus sancti Græcè inscripsit, & D. Hieronymus Latinos fecit, à quo magis quàm ab ipso eorum authore robur acceperunt. Nam Dydimus Origenis erroribus inuolutus spem futuræ salutis damnatis pollicetur, atque ob fœdos quosdam errores à synodis œcumenicis anathematizatus est. Attamen sicut Origenes in ijs libris, quos D. Hieronymus è Græco in Latinum conuertit, pernitiosam non continet doctrinam, ita nec Dydimus à puero oculis captus, in hisce tribus de Spiritu sancto libellis sub finem tertij libri, obijcit quod interdum sathanas intrare dicitur in cor hominis, & illud implere, quia medietatem pretij de agro diuendito sibi reseruanti, à Petro Apostolo dictum est, Anania cur impleuit sathanas cor tuum, & de Iuda loquitur Saluator ipse, quod intrauerat in eum sathanas. At respondet hisce ibidem verbis, sathanas quippe mentem alicuius & præcipuè cor implere dicitur, non ingrediendo, (quod solius est trinitatis) sed quasi callidus quidam & nequam fraudulentus, animam humanam malitiæ affectu trahit per cogitationes & incentiua vitiorum, quibus plenus est: obseruabat namque quibusdam motibus, & operationum signis, ad quæ potissimum Iudæ cor esset procliuum, & deprehendens illud patere insidijs auaritiæ, reperta cupiditatis ianua, misit in mentem eius, atque pessima impleuit non secundum substantiam, sed operationem, voluntate, qua desideratam obtineret pecuniam, & per occasionem lucri, proditor existeret Magistri: Qui est gloriosus & superexaltatus in sæcula.

Dydimus à natiuitate organis visus priuatus.

Origenes proscribitur.

Diabolus quomodo corda dicitur implere.

Dæmones an ingrediantur corpora.

CAPVT IIII.

DÆmones humana intrare corpora, eaque obsidere dicuntur, propter effectum malitiæ suæ, quem in ijs operantur, vel forinsecus machinantur. Nam sicut sanctus Bonauentura hac distinctione tradit, quemadmodum aer, ventus, cibus, aliaque multa per certas corporis partes, in corpus immittuntur, ita possunt & dæmones per poros & alias partes humana corpora ingredi, atque in illis qualescunque sint, siue corporei siue incorporei, operari. Atqui

nunquam fit, de ſubſtantia hominis dæmon, nec ſic cum quiſquam ſubſtantialiter ingredi corpora exiſtimet. Deinde poſſunt dæmones hominum imaginationem immutare, ac turbare, vt mentis compotes non ſint, ſicut ij quibus læſum eſt cerebrum. Pro huius argumenti confirmatione, adduci poteſt exemplum, Malleo maleficarum, parte ſecunda productum, vbi legitur ſacerdos fuiſſe obſeſſus, cuius dæmon exorciſmis conſtrictus, ſeptem annos ſacerdotem inhabitaſſe confeſſus eſt, cum autem exorciſta ſciſcitaretur, vbi nam locorum tanto tempore dilituiſſet, cum ſolum tribus menſibus miſerum diuexaſſet, reſpondit in corpore & maximè in capite. Requiſitus autem vbi manſiſſet tempore myſteriorum celebratorum, intulit ſub lingua me occului, tum exorciſta: maledicte ac funeſte, quare præſumſiſti os polluere, quod creator tuus occupabat? at ille, Nunquid ſub ponte ſe nequam abſcondere poteſt, donec vir ſanctus deſuper pertranſeat, dummodo greſſus non fixerit. Siue veritatem hæc habent ſiue non, turbare tamen homines non deſinunt ingrediendo, & impreſſiones in potentias interiores organis corporalibus affixas faciendo, & ſicut per illas impreſſiones immutantur organa, ita immutantur operationes potentiarum: ſiquidem educere poſſunt ſpecies reſeruatas, in vna potentia affixa organo, ſicut ex memoria quæ reſidet in occipite, educit ſpeciem equi, localiter mouendo illud phantaſma, vſque ad mediam capitis partem, vbi eſt cellula virtutis imaginatiuæ, & demum conſequenter vſque ad ſenſum communem, cuius reſidentia eſt in ſyncipite, & anteriori capitis parte. Omniaque ſic ſubita mutatione perturbare poſſunt, vt formæ tales neceſſario ſequantur, ac ſi exteriori viſui obijcerentur, quod abſque capitis dolore haud difficulter fieri poteſt, quia organa non diuiduntur, nec immutantur, quo ad ipſorum obiectum, ſed tantummodo ſpecies mouentur. Deinde qualitas actiua vnde paſſio ſequatur, non alteratur, cum & ipſe dæmon in ſe omni corporali careat qualitate, quo fit, vt ſine dolore talia operari queat. Item tertio, quia vt prælibatum eſt, tantummodo facit tranſmutationes per motum localem ab vno organo, ad aliud, & non per alios motus, ex quibus alterationes læſiuæ interdum cauſantur. Illud autem quomodo duo ſpiritus diffinitiuè nequeant vno conſtitui loco, difficultatem parit, quoniam ſi anima in corpore, ac aliqua eius exiſtat parte, quomodo ſimiliter ibi & dæmones? Reſpondendum occurrit, quod intimum

Quæſt. 1. cap. 10.

Mirabile obſeſſi exemplum.

Dæmoniacus recipit ſacrã Eucharistiã.

Obiectio.

Solutio.

intimum & centrum cordis, in quo vitam, influendo omnibus membris communicat, residentia animæ adsignatur, cuius exemplum datur in aranea omni ex parte telæ (licet alij aliter sentiant, agente, & nauclero nauim per gubernaculum quo
De spiritu & anima ca. 13. placet dirigente, quia secundum beatum Augustinum, est anima tota in toto, & tota in qualibet eius parte; quare si anima
Anima tota in corpore & singulis eius partibus. sit in capite, adhuc diabolus ibi operari præualet, quia alia est eius operatio, quam animæ, quæ vitam influit, & corpus informat, quia existit in corpore vt forma in materia, non sicut in loco. Possunt ergo dæmones & angeli sancti, humores com-
Genes. 3. mouere ac species in memoria repositas excitare, nec non sen-
Num. 22. sus exteriores immutare, quod Sodomitis introeuntes ad Loth fecerũt, & Syris qui venerãt Helyzei ergô capiendi, quod & Christus Iudæ eiusque complicibus capere nitentibus inflixit. Insuper illudunt dæmones occultando res, vt videri non possint, nulla circa sensus facta mutatione, & nouas
Quatuor species obsessionis. in aëre species creando. Et omnia obsessionis genera ad quatuor species reducere non fuerit inutile. Prima ac præcipua est, cum imaginationem peruertit ac vsum rationis tollit, vt cum phrenesim aut rabiem inducit, quemadmodum illis in Euangelio accidisse legimus, qui in sepulchris agebant, & furore quasi perciti, sæuiebant in prætereuntes & seipsos, vt nec cathenis vincti contineri possent. Alia species obsessionis est quæ integro vsu rationis permanente, sensus exteriores vitiat ac corrumpit, & surditatem aut cæcitatem adducit.
Matth. 12. Tertia, cum humana corpora violenter impellit in ignem, aut
Lucæ 11. aquam, vt interitus, nisi mox subueniatur, accedat. Huc per-
Marci 9. tinent illi qui aliquando nocturno abripiuntur tempore de lectis, & sellis suis, & longè ab ijs semoti offenduntur, item illi qui graui somno dormientes, profundeque stertentes, altissimos muros (quod fieri naturali infirmitatis humanæ industria nequibat) ascendunt: Aliud tamen est consueta officia in
Lucæ 13. somnis, vt sunt argumentari, disceptare, legere, & id generis aliorum repetere. Vltima obsessionis species est, cum dæmon sublato rationis vsu, sensibus integris, nec impeditis circa corpus totum, exercet malitiam, velut si incuruet totum, vt obtutus ad cælum dirigere non valeat, quod mulieri cuidam accidisse Euangelica testatur historia. Eiusdem speciei quoque est diuexare hominem in aliqua corporis parte, nempe pede, vel manu, quod subinde dæmonis operatione aliqui sustinere
Cap. 1. de exorcismis. coguntur. Antequam tamen diabolus humana ingrediatur corpora, subinde & quasi semper, teste Sacerdotali Romano,
apparet

apparet eis in specie alicuius hominis, qui mala morte est defunctus, aut repræsentat aliquem suum consanguineum, aut apparet illi in effigie alicuius animalis terribilis vel horribilis, Et sibi videtur quod subitò disparens euanescat, sed ingressu repentino hominem inuadit, potissimum nocte in concubijs existente, & in locis opacis ac obscuris. Aliqui etiam ingrediuntur per os, aut aures in modum venti; Aliquibus etiam dormientibus dæmones tale somnium induxerunt, quod videlicet eis videbatur, quod dæmon post eos currebat, qui expergefacti, reperti sunt dum talibus signis dæmoniacorum, videlicet quod diabolus erat in eis, vt postmodum clarè apparuit. Aliquando quoque ingrediuntur, percutiendo collum, aut alia membra ipsorum. *Modi ingressus dæmonũ.*

De causis obsessionis.

CAPVT V.

BIphariam dæmon hominem inhabitare creditur, sicut duplici in statu reperitur. Priori modo quolibet peccato lethifero seruituti diaboli addicitur ac imperio eius subijcitur. Altero hominem ingrediendo, corporaliter lacessere nititur, quod magis rationem pœnæ subit, quam culpæ. Corporales siquidem afflictiones non perpetuam adsciscunt culpam, sed aliquando peccantibus, interdum innoxijs illatæ reperiuntur, Quocirca & gratia præditos, eáve carentes, secundum altitudinem incomprehensibilium iudiciorum Dei, occupare substantialiter possunt. Cuius prima causa adsignari potest, desperationis barathrum, vt liquido constat de Stagirio apud D. Iohannem Chrysostomum. *Lib.1.de prouidentia.* Secunda, permittit Deus hominem obsideri propter peccata, quadripartita sectione: Prima, ob peccata leuia aliena, cuius in medium producit exemplum, liber dialogorum apud beatum Gregorium, de Eleutherio abbate viro humillimo, qui cum prope monasterium virginum pernoctaret, ignoranti, puerum dæmone diuexatum apposuerunt. *Lib.3.cap.33.* Cum iam immoderatè lætus existeret, quod puer lucida plenæ sanitatis interualla sua præsentia adeptus esset, fratribus dixit; diabolus miserabiliter lacessiuit istas cum puero virgines, quoniam vbi ad nos venit, diabolus eum torquere amplius non præsumit, & ecce repentè dæmonio arreptus collidebatur, quo viso senex se protinus orationi & lamentis dedit, quem cum fratres diu lugentem consolari voluissent, inquit, Nemo vestrum comedet hodie nisi puer iste à dæmonio fuerit liberatus; tunc vnanimi prece Deo supplicare cœ- *Mirabile pueri obsessi exemplum.*

care cœperunt, donec pusioni serenitatis integritas affuisisset? De proprio venialis leuiorisque culpæ delicto, consulere licet Cassianum, qui scribit Moysen duriusculis verbis, sanctum Macharium suggillasse, ac protinus dæmone correptum fuisse.

Lib. 1. dialo-
go. cap. 4.

Huic absimile non est. quod apud Gregorium reperitur, si modo sit eius, vbi quædam sanctimonialis obsessa legitur, quod sui oblita lactucam, super quam diabolus quieuerat, absque crucis signaculo diglutijsset. Graui peccato etiam alieno permittitur, nam simul atque Fortunatus profligasset dæmonem à quodam, oberrando peruenit ad ædes cuiusdam, vbi hospitio receptus, specie masculina honori sancti Fortunati profligatoris detraxit, in quo paterfamiliàs multum consentiendo sibi complacuit, quare diabolus puerumfamiliàs inuasit, ac prunis iniecit. Quarta ex graui proprij facinoris reatu: hæc à Deo fieri sinuntur, nam Saul Deo inobediens, possessus est à diabolo. Ex quibus perspicuum cuique esse potest, quod etiam iusti, sicut cæteris tribulationibus, ita & hac affligantur. Teste D. Ioanne Chrysostomo. Nihilominus tamen neminem substantialiter de communi cursu inuadit, nisi propter propria, aut aliena peccata, secundum beatum Augustinum. Dæmones, inquit, nisi quos fallendo deceperunt, possidere non possunt. Et alibi: Potestas inimica neminem vincit, aut subiugat, nisi societate peccati. Hinc arbitror ipsum in officina cordis sui duas fabricasse ianuas, quibus diabolo in hominem patet aditus: Vnam, Cupiditatem acquirendi res temporales: Alteram, Timorem eas amittendi. Tertiò, permittitur ad exercitationem, vt discere promtum est, ex Dialogo Seueri Sulpitij beati Martini discipuli, de quodam sancto patre quimestri obsesso. Primi duo modi sunt ad vindictam Domini Dei, secundum diuum Hieronymum, & allegatur apud Gratianum. Tertius modus est, ad salutem animæ, sicut legitur de aliquibus sanctis, qui à dæmonibus fuerunt vexati vsque ad finem vitæ eorum.

1. Reg. 15.
Homil. 41. super Acta Apostolorum.
Lib. 4. de Ciuit. Dei, cap. 32. & lib. 10. cap. 22.
De agone Christiano, cap. 33.
Super 2. cap. Iohelis, 23. quæst. 5. cap. Non solum.

De signis, quibus cognoscitur obsessus.

CAPVT VI.

Cap. 3. de dæmoniacis.
Libr. 12. de gen. ad literam, cap. 14.
Cap. 9. & Matthæi 9.

Memoriæ prodi[illegible]um est, eos dæmoniacos, esse censendos, teste Sacerdotali Romano, qui per 30. dies esum carnis hœdinæ cōtinuare nequeūt. Aliqui dæmoniaci habent oculos terribiles, & sibi alijsque mala inferre satagunt, teste B. Aug. sicut legimus apud Marcum & Lucam, diabolo hominem colli-

collisisse, & membra ac corpus destruxisse miserabiliter, imò interficerent, nisi alij sedulam ad impediendum nauarent operam. aliqui fingunt se esse fatuos,& deprehenduntur si nolint recitare pio mentis affectu, Psalmum Miserere mei Deus. vel, Qui habitat, aut Euangelium sancti Ioannis, In principio erat verbum, & similia sancta. Euidentissimum quoq; signum est teste beato Augustino, si linguis loquantur quas nunquam didicerunt, aut musicaliter cantant, cuius præcepta nunquam calluerunt,vel literaliter edicunt,quod nunquam sciuerunt,ceu dicere sciuissent; Quoniam occupat organa sensus talis hominis, natura corporali ad motū localem spirituali obtemperanti. Voces autē significatiuæ formantur per motum linguæ, labiorū,& arteriarū,ideoq; quia diabolus ista localiter mouere potest, hominis lingua diuersa format verba, quæ non procedunt vtpote articulata, nisi ab aliquo intellectu, nec procedunt ab intellectu hominis tale idioma ignorantis; clarum est ergo, ea procedere ob intellectu dæmonis, linguam hominis ita mouentis. Aliquibus etiam dæmoniaci sunt muti, & stupidi. Aliud quoque signum est quod eis superueniant terrores subiti, & cito recedunt. Potissimum autem cognoscitur quis esse dæmoniacus, si quando leguntur Exorcismi conturbatur. & hoc signum est præsentis diaboli, sicut postea clarius elucidatum relinquetur.

Lib. 11. de gen. ad literam, cap. 28.

Conditiones Exorcistæ necessariæ.

CAPVT VII.

QVum Exorcista ritè ordinatus, potestate sibi cælitus tradita,voluerit adiurando expellere dæmones:humili exomologesi omnium peccatorum, se Deo debet recōciliare, tum præceptum obtineat superioris Episcopi, aut Pastoris. Nam sacerdos parochialis vel quilibet sacerdos diaconus, subdiaconus,Exorcista.cōmissione superioris in Ecclesia,si valetudo permittat aut domi,si necessitas postulet,adiurare potest, & celebrato si cōgruè fieri possit,missarū officio,stolæ partē collo infirmi imponat, ac reliquias sanctorum cordi vel orificio stomachi: saltem superpellitio & stola indutus,exorcismum constāti animo ordiatur,& vbi peruenerit ad comminationē,replicet illam,vsq; decies,semper pœnā augendo. Et si profectum in ipsa aduertat,vsq; ad liberationem cōtinuet. Et si etiam magis Exorcismus esset timori diabolo,repete illū,quia vnus dæmon magis hoc,quàm illo affligitur & effugatur modo. Nec diffidas misericordiæ Dei,nec fide vacilles,sed operi instes duab' tribus, quatuor,

Qui possint exorcizare.

quatuor. & sex horis cõtinuis, donec victoria potiaris, nam obstinati dæmones Exorcistam defatigatum, ab opere incepto cessare inardescunt, eumq; plus prima vice quàm secunda timent, quia reputant se victores, quando Exorcista labore victus desijt perficere, quod fœlici auspicio cœpit. Etsi primò dic res non habuerit optatũ successum, iterata vice, secundo, tertio die, donec liberetur, repetatur. Adsolet etiam in corona multorum præsentium, atque diuinam opem implorantium, fidelis Exorcista alijs imperare dæmonibus, qui venerint dæmoni obsidenti opem laturi, in hunc modum, secundum Sacerdotale Romanum: Præcipio vobis dæmones, qui venistis in succursum & adiutorium istius, vel istorum dæmonum, hanc Dei creaturam N. vexantis vel vexantium, ex parte sanctissimę Trinitatis, Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † sancti, & sub pœna excommunicationis maioris & minoris latæ sententiæ, & sub pœna destrusionis in infernum, & sub pœna immissionis in stagnum ignis & sulphuris, per manus inimicorum vestrorum, & sub pœna tradendi vos in potestatem inimicorum vestrorum, ac condemnandi vos in stagnum ignis & sulphuris, per centum annos, quatenus nullum adiutorium vel fauorem detis illis dæmonibus, qui vexant corpus istius creaturæ Dei N. sed discedatis statim, & eatis ad loca vobis deputata. Ecce † crucem Domini, fugite partes aduersæ, vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid. Hæc ibi.

Cap. 9. de Exorcismis.

De dispositione coniurandi.

CAPVT VIII.

Vbi sacerdos sanctę vitæ, cõfessus ac contritus fuerit, hortetur infirmum, vt adiutorium à diuina maiestate conferendum expectet, à se autem nihil nisi modicum laboris, qui etiã descendit à patre luminum, facibus etiã auaritię non sit inflammatus, quia talibus inhiando tẽporalibus, amitteret gratiam Sancti spiritus, nihilominus si paupertate prematur, oblatam eleemosynã recipere non reformidet. Ipsa quoque die sacris operetur, & dæmoniacum admoneat firma fide & bona spe, si animæ expediat saluti, obtutus mentis ad Deum dirigere, ac ab ipso liberationis beneficiũ expectare. Habeat etiam Crucifixum in manibus suis, & reliquias sanctorũ serico panno collo alligatas, sacerdos quoque cruces subinde infigat illis potissimum in locis, vbi aduertit dæmoniacum magis commoueri aut pungi. Hæc signa solent accidere, quando sacerdos

ponit

ponit manum super caput, quia sentiūt sub manu rem frigidissimam tanquam glaciem. Aliquibus descendit ventus per humeros & renes, qui est frigidissimus. Aliquibus caput in immēsum aggrauatur. Aliquibus cerebrum constringitur & perforatur, sicut si gladio percuteretur. Aliquibus inflammatur caput & facies, aliquando tota persona, ac si esset vapor ignis. Aliquibus febris immensa cum dolore capitis euenit, & totum corpus extenuatur & frangitur. Sed omnia ista accidentia parum durant, quia coniuratio tollit dæmonis vigorem. Aliquibus constringitur guttur, adeò quod videntur strangulari. Aliquibus ad orificium stomachi mouetur quædam res, ad modum pilæ, ac si essent vermes, aut formicæ, aut ranæ. Quibusdam accidit vomitus magnus stomachi. Aliquibus maxima tortura in visceribus, nonnullis vehementer venter inflatur. Quibusdam constringitur cor, ac si intolerabiliter ferretur. Ostenditur etiam dæmon in aliqua corporis parte, palpitando sicut piscis, aut formicarum in modum, aliquando pertransit à capite vsque ad digitos pedum, sicut ventus & econtra: sicut docet Sacerdotale Romanum. Vltra ista signa, plura alia practicando videbis, quod diuersi dæmones diuersa ædant signa. *Cap. 5. & 8. de dæmoniacis.*

De malitia dæmonum contra Exorcistam.

CAPVT IX.

Aliqui dæmones adeò verba sancta habent odio vt antequam coniurentur, discedant. Alij expectant coniurationem, sed postea eam nō possunt sustinere. Aliqui autem sunt adeò maligni, quod faciant fatigari Exorcistam per magnum temporis spacium, vt appareat infirmo, quod non sit dæmoniacus, & faciant Exorcistam ludere operam: aliqui simul atque sunt manifestati, abscondunt se, & relinquunt corpus ab omni fastidio liberum, taliter quod infirmus arbitretur se pristino vigori restitutum. Sed Exorcista fidelis cessare non debet, nisi argumenta plenæ liberationis emerserint. Aliqui dęmones omnia ponunt impedimenta quæ possunt infirmo, vt non sustineat coniurationem, circa se fieri. Quidam conantur persuadere, quod sint infirmitates naturales. Aliqui in processu coniurationum, faciunt infirmū magno grauari somno, ostenduntq; illi aliquam crucifixi vel aliorum sanctorum visionem, subtrahendo se vt stent secreti, & ostendunt infirmum liberatum. Aliqui ostendunt maleficium factum super ipsum & authores maleficij, nec non modum ad illud dissipandum. Sed sit cautus

Dæmoniaci suscipiunt eucharistiam.

Exorcista ac prouidus, ne aliquam committat superstitionem. Nulla te inuadat admiratio, si diabolus in susceptione Sacramenti Eucharistię per dæmoniacũ, non conturbetur, quia simul atque ingressus est, paulatim despicit, nec sancta timet, quin potius loquitur mysteria sanctæ fidei ac diuinam non trepidat confiteri maiestatem: Et supponit personam vexatam, eique in corde eloquitur, & eam re minima perturbari facit. Maius tibi dico, quod aliqui dæmones, post longam vexationem alicui personæ factam, si non expellantur, per os eius, quasi semper eloquuntur, eique nocere non desinunt.

De modo exitus dæmonum. CAP. X

SI fuerint diaboli qui eloquantur, coniura eos, quod dimittant corpus illud liberum & expeditum, sicut erat quando fuit baptizatum: Et fac eum dare signum discessus, per extinctionem candelæ. Si verò sint diaboli qui non loquantur, sicut inuenitur in maleficiatis, exeunt aliquando per os in modum flammæ ignis, aliquando in modum venti congelati. Et in exitu videbis inflari guttur. Egrediuntur etiam per aures simili modo discedentes à stomacho, seu à corde. Aliqui exeũt per secessum in similitudinem pilæ, quæ semper gyratur donec exeat. Aliqui in similitudinem ranæ, quæ serpit, donec fuerit egressa. Aliqui in similitudinem venti frigidissimi.

Dæmones quibus abigantur. CAPVT XI.

Ezech. 28. Esaiæ 14.

DE cælorũ sublimitatibus ad ista inferiora detrusum diabolum refert sanctus Propheta inquiens, Eieci te de mõte sancto meo. Et alibi, Quomodo cecidisti lucifer, &c. deturbatus autem nec dominari ibi permissus, hominibus tentandis venit in aërem istum caliginosum & mundum, vnde vox in cœlo dicentium, Væ terræ & mari, quia descẽdit ad vos diabolus habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet. Porrò hic existens, tria sibi hic in mundo vindicauit, primò diuinum honorem, quem simul atque in cælo obtinere non potuit, saltem in terra ambiendo acquireret per cultum Idololatriæ, sed Christus hunc sua passione deiecit, & laudabilis Apostolorũ chorus eum profligauit, sicut legitur, nũc princeps huius mundi eijcietur foras. Secũdò vindicauit cor humanum quasi serpens antrum, & latro speluncam, teste sacro eloquio. Clamat siquidem Angelus Cecidit, cecidit Babylon ciuitas illa magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spi-

Apocal. 12. *Diabolus tria in mundo vindicauit.* Ioan. 12.

nis spiritus immundi, Babylon est anima peccatrix quæ dupliciter cecidit à fide & operibus, vnde habitatio fit dæmonum, sed hic quoque per Christum eijcitur, dum immisso charitatis igne procedentem inde compũctionis lacrymosæ fumum, immundus spiritus ferre non sustinens relinquit. In cuius typo, Angelus docuit Tobiam, Cordis particulam si super carbones ponas, fumus eius, &c. Tertiò inuasit domum humani corporis sæua tyrannide, de quo quali expellatur modo, sedula mentis consideratione impræsentiarum scrutandum est; Videtur namque naturali modo expelli, quia ludente Dauide cithara, Saul lucida recepit interualla, & recedebat ab eo spiritus: Sic apud Tobiam legitur, quod iecoris assati fumus pepulerit dæmonem, necnon attactu sudarij Paulini, maligni spiritus commemorantur egressi. Respondetur, Quanquam non tam multa requirantur ad pellendum diabolum, quàm ad peccatum lethiferum, cum ibi sufficiat contraria potestas, Peccatum autem non aufertur, absque gratiæ infusione cor hominis emundantis: tamen diabolus nequit naturali abigi industria, non enim sudarium tantam adeptum fuit virtutem, sed indicabat duntaxat quanti pretij apud Deum esset ipse, cuius sudarium tantũ operari videbatur. Nec magis pellebat dæmonem quàm iecinoris particula, cum eo loci habeatur, quod preces sancti Tobiæ magnæ fuerint efficaciæ, & quod angelus religauerit diabolũ non iocinoris particula in deserto Ægypti loco. Cithara quoq; nihil effecit, sed passio Christi qui expansis in cruce manibus, tanquam in cithara neruis, totũ potuit: vel etiã preces sancti Dauidis, qui in cithara diuinas modulabatur laudes. Nullo igitur modo naturaliter, sed immediatè pellũtur à Deo, sicuti legimus dæmones subinde in scriptura expulsos, Christi præcipientis imperio. Secundò expelluntur operationibus sanctorum, quia efficaci virtute expelli eos quotidiana docet experientia apud Geelenses sanctæ Dignæ à Deo optimo maximo concessa. Tertiò profligantur orationis energia, hoc genus dæmoniorum, inquit Christus, non eijcitur nisi in oratione & ieiunio. Cuius exemplum videre est apud D. Gregoriũ, de sancto Eleutherio, nuper etiam adductum. Huic adstipulatur Origenes, hoc genus, inquit, non eijcitur nisi in ieiunijs & orationibus & si aliquando oportuerit nos circa curationem tale quid patientium permanere, non adiuremus, neque interrogemus, neque loquamur, quasi audienti spiritui immundo, sed permanentes in orationibus & ieiunijs impetremus patienti salutem, adeò vt abigamus ieiunijs & orationibus nostris spiritus malignos.

[Margin notes: Tobiæ 6. — 1. Reg. 16. — Cap. 8. — Act. 19. — *Diuersis modis expelluntur dæmones* — Marci 1. — Matth. 17. — 3. Dialog. cap. 33. — Tract. 4. in 17. cap Matt. — *Salomon si fecerit exorcismos tempore quo Deo adhærebat, dæmones virtute diuina repellebãtur.*]

Si tempore idololatriæ arte magica eiecti sunt. *Lib. 10. Ciuit. Dei, cap. 22. & li. de vita beata. disputa. 2. diei.* *Super 12. ca. Matthæi.* *De præscriptionibus hæreticorum, & de corona militis.* *Triplices exorcistæ tempore Christi.* Lucæ 9. Act. 19. Matth. 10. Lucæ 10. *Lib. 8. antiquitat. ca. 11.* *Triplex in Ecclesia exorcismus.* *Tract. 35. super Matth.* *Tract. 7. in Ioannem.* *22. quæst. 96. art. 4.*

Aliquem tamē coniurationum & Exorcismorum vsum fuisse, expressis declarat verbis beatus Augustinus, Vera, inquit, pietate homines Dei, aëream potestatem inimicam contrariamque pietati exorcizando eijciunt: Et alibi, Qui præsunt manum obsesso imponere & exorcizare dicuntur, & per diuina dæmonem adiurando expellere. Idem docent sanctus Hieronymus & Tertullianus. Hic obiter notandum est, tempestate Christi triplices fuisse Exorcistas. Primi erant Iudæi, qui verbis Salomonis, profligabant dæmonia, teste Iosepho. & hos Scribæ & Pharisæi dicebant, in nomine omnipotentis Dei eijcere dæmonia. Alij considerantes nomen Christi efficacius verbis Salomonis, quamuis non sequerentur Christum, tamen ad pellenda dæmonia vtebantur Christi nomenclatura. Tertij erant Apostoli, qui hanc à Domino Iesu semper benedicto, acceperūt potestatem. Totidem esse in Ecclesia Dei Exorcismos, omnibus debet etiam esse in confesso, quorum vnus dicitur Solennitatis, quem ante baptisma obseruat sancta Mater Ecclesia. Secundus dicitur benedictionis, atque hi duo celebres sunt in Ecclesia; Solenniter namque exorcizantur, aqua lustralis, candela, palmæ, & id genus aliorum. Tertius dicitur Salomonis, quia ab eo putatur compositus, verbis quibusdam sacris, certisque characteribus. Verum hanc exorcizandi formulam ab ipso Salomone profectam non approbat Origenes, super illa verba, Adiuro te per Deum verum. Quæret aliquis, inquit, si conueniat dæmones adiurare, & qui respicit ad multos, qui talia facere ausi sunt, dicet non sine ratione hoc fieri, qui autem aspicit Iesum imperantem dæmonibus, & etiam potestatem dantem discipulis suis, super omnia dæmonia, & vt infirmitates sanarent, dicet quoniam non est secundum potestatem datam à Saluatore, adiurare dæmonia: Iudaicum est enim hoc, & si à nostris tale aliquid aliquando fiat, simile fit ei quod à Salomone scriptis adiurationibus solēt dæmones adiurari, sed illi qui vtuntur illis adiurationibus aliquoties nec idoneis libris vtuntur. quidā & Hebræis acceptis adiurant dæmonia. Ex qua sententia liquet illum Exorcismum Origeni displicuisse, sicut fortassis displicerent qui passim varijs schematibus & formulis verborum sententiarumque diuersitate circunferuntur, quibus sacra Dei nomina subinde quidem interferuntur, suspecti tamen meritò sunt censendi, propter superstitiosa & inaudita nomina, signaque illis admixta, secundum diuum August. & Thomam. Propterea D. Athanasius Epistola ad Marcellum, docet quibus potius sit vtendum, quam talibus exorcismis sæpenumero

penumero inanibus. Ego certè audiui, inquit, à sapientibus sacris scripturis recitandis, olim in Israhel expelli solere dæmones, vnde quauis pœna dignos censebat, qui his omissis aliundè verba elegantia aucuparentur, in iisque se Exorcistas demonstrarent. Quin potius operam ludunt & se dæmonibus ridiculos exhibent, quales in Actis Apostolorum filios Iudæorum fuisse legimus, qui eodem modo dæmones adiurare conati sunt, quos cum dæmones aduertunt, ludibrio habent. Contra Sanctorum voces exhorrent, & ferre nequeunt: Est enim in verbis sacrarum scripturarum Dominus, quem cum ferre haud possent, vociferabantur, Ne nos ante tempus torqueas. Vidi ego plus minus duodecim Exorcismos, tam verborum diuersitate quàm sententiarum contrarietate, superstitionumque multiplicitate distinctas, quo fit, vt nulli eorum approbationis calculum addere velim: In solatium tamen infirmorum & vtilitatem Christianorum, vnum Exorcismum hic annectam, secundum formam & tenorem verborum, quem Sacerdotale Romanum (reliquos missos breuitatis gratia faciendo) in Ecclesia Catholica docet obseruandum.

CAPVT XII.

Incipit Exorcismus beati Ambrosij archiepiscopi, mirabilis efficaciæ, super dæmoniacos, cuius practica propriè spectat ad sacerdotes: Tu igitur quicunque fueris, nulla leuitate ductus, sed sola necessitatis vel charitatis causa, hanc rem disponas assumere arduam. Et oportet quod præmisso trium dierum ieiunio, tertio mane diligenter cum contritione confessus, missam de Spiritu sancto deuotissimè celebres, faciendo in ipsa Missa commemorationem de infrascriptis orationibus. Oratio.

DEus qui per vnigenitum tuum, exclusa dominatione diaboli, populum tibi fidelem aptasti, expelle quæsumus à famulo tuo N. cunctas diabolicæ illusionis insidias, & eum illibatum ob omni eius impugnatione conserua. Per eundem Dominum. *Secreta.*

MVnus Domine humilitatis nostræ pro petitione famuli famuli tui N. oblatum, petimus, vt gratanter assumas, & ab eius oppressione, hostis maligni insidias omnemque potestatem benignus excludas. Per Dominum.

Post communionem.

CÆlestis panis quem sumsimus Domine, & nobis indulgentiam tribuat, & famulum tuum N. ab antiqui hostis irrisione defendat. Per Dominum nostrum.

Completa Missa sacerdos non exuat se, sed sit paratus missalibus indumentis, candelam benedictam accensam in manu tenens, stet in medio ante altare, facie versa ad populum, habens obsessum ante pedes ligatum, si necesse fuerit, & humili corde, deuotoque aspectu se & astantes muniat signo crucis, alta voce dicendo:

In nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † sancti. Amen. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. *Oremus.* *Oratio.*

OMnipotens Domine, verbum Dei Patris, Christe Iesu, Deus, & Domine vniuersæ creaturæ, qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, qui inter cætera mirabilium tuorum opera, dignatus es dicere, dæmones effugate, cuius virtute victus tanquam fulgur de cælo sathanas cecidit, tuum nomen cum pauore & tremore supplex deprecor, vt mihi indignissimo veniam peccatorum, confidentiam & possibilitatem donare digneris, vt hunc crudelem draconem, brachij tui munitus potentia, fideliter & securus aggrediar. Qui viuis & regnas cum eodem Patre in vnitate. &c.

Hac oratione dicta, aspergat ægrotum aqua benedicta, in modum crucis, dicendo:

In nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † sancti. Amen. *Vers.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. *Oremus.* *Oratio.*

OMnipotens æterne Deus, à cuius facie cęli distillāt, montes sicut cera liquescunt, terra tremit, cui patent abyssi, quem infernus pauescit, quem omnis terrarum motus aspicit, humiliter te supplex deprecor dominator Domine, vt inuocatione nominis tui, ab huius famuli tui N. vexatione anima liberata, ad authorem suæ salutis recurrat, liberatoremq; suum diabolico depulso fœtore, & odore suauissimo Spiritus sancti percepto, sequatur Dominum nostrum, Iesum Christum, Filium tuum: qui viuit & regnat in vnitate, &c. *Oremus.* *Oratio.*

DOmine sanctæ Pater omnipotens, æterne Deus, virtutem tuam totis exoro gemitibus, pro huius famuli tui N. à diabolo oppressa infantia, qui etiam indignis inter pressuras præsidium donas, exurge pro huius infantia bellata, & noli diu retinere vindictam, qui nec ante conspectum parentis permisisti Filium iudicari, auxiliare quæsumus inimici furore vexato, nec sine gratia facias eius animam à diabolo possideri: sed

fideri: fed potius à maligni oppreffionibus liberata tibi referat gratias fempiternas. Per eum qui venturus eft iudicare viuos & mortuos, & fæculum per ignem. Amen. *Oremus. Oratio.*

DEus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apoftolorum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus Pater Domini noftri Iefu Chrifti, inuoco nomen tuum, ac præclaræ maieftatis tuæ clementiam fupplex expofco: vt mihi auxilium præftare digneris, aduerfus hunc nequiffimum fpiritum. Per eundem Dominum noftrum. *Exorcizatio.*

EXorcizo te omnis immūdiffime fpiritus, omnis incurfio aduerfarij, omnis ira, omne phantafma, omnis legio (In fronte) In nomine Domini noftri Iefu † Chrifti eradicare, & explantare, & effugare ab hoc plafmate Dei, ipfe tibi imperat diabole, qui ventis & mari imperauit, & tempeftatibus. Ipfe tibi imperat, qui te de fupernis cælorum, in inferiora terræ demergi præcepit.

Hic petit facerdos nomen fpiritus, & precipit ei hoc modo, dicens:

PRæcipio tib quicunque es fpiritus immunde, in hoc corpore, per merita gloriofę Paffionis, refurrectionis, & afcenfionis Domini noftri Iefu Chrifti, per miffionem Spiritus fancti, & per aduentum eius, vt oftendas & dicas mihi nomen tuum, diem & horam exitus tui, cū figno extinctionis luminis.

Iterum precipio tibi, per merita gloriofę virginis Marię matris Dei, fancti Zenonis, fancti Ambrofij, fancti Geminiani, fancti Petri martyris, & fanctę Catharinę de Senis, & omnium fanctorum & fanctarū Dei, vt oftendas & dicas mihi nomen tuum, & diem, & horam exitus tui cum figno extinctionis luminis.

Iterum præcipio tibi fub pœna excommunicationis maioris & minoris, & authoritate beatorum Apoftolorum Petri & Pauli, & aliorum fucceffforum ipfius beatiffimi Petri Apoftoli, vt oftendas & dicas mihi nomen tuum, & diem & horam exitus tui, cum figno extinctionis luminis.

Et fi refponderit quod plures fint, tunc in plurali profequere coniurationem, & præceptum fupradictum. Si verò non refponderit, vel refponderit fe effe folum: tunc profequere in fingulari, vt prius.

AVdi ergo maledicte fathana, audi & time, victus & proftratus abfcede, † In nomine Domini noftri Iefu † Chrifti. Tu ergo nequiffime fathanas inimicus Dei, aduerfarius generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, iuftitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, feductor hominum, proditor gentium, incitator inuidiæ,

origo auaritiæ, causa discordiæ, excitator dolorum, dæmonum magister, quid stas & resistis, cum scias eum tuas perdere vires? Illum metue qui in Isaac immolatus est, in Ioseph venundatus, in agno occisus, in homine crucifixus, deinde inferni extitit triumphator gloriosus. Recede (in fronte) In nomine Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † sancti. & da locum Spiritui sancto, & per hoc signum † crucis Domini nostri Iesu † Christi. Qui cum eodem Patre in vnitate eiusdem Spiritus sancti viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Vers. Dominus vobiscũ. *Resp.* Et cũ spiritu tuo. *Oremus. Oratio.*

DEus conditor & defensor humani generis, qui hominem ad similitudinem tuam formasti, respice super hunc famulum tuum N. qui dolis inuidi serpentis appetitur, quem vetus aduersarius, hostis antiquus terræ formidinis horrore circumuolat. & sensus mentis humanæ stupore deficit, terrore conturbat, & metu trepidi timoris exagitat. Repelle Domine virtutes diaboli, fallacesque eius insidias amoue procul, impius tentator aufugiat. Sit nominis tui sig † no (In fronte) famulus tuus & anima tutus & corpore. (In pectore) Tu pec † toris huius interna custodias. Tu vis † cera regas, Tu cor † confirmes. In anima, aduersatricis potestatis tentamenta euanescant. Da ad hanc inuocationem nominis tui gloriam, vt qui hucusque terrebat, territus aufugiat, & victus abscedat: tibique possit hic famulus tuus N. & corde firmatus, & mente syncerus, debitum præbere famulatum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiusdem Spiritus sancti Deus, Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Vers. Dominus vobiscũ. *Resp.* Et cũ spiritu tuo. *Oremus. Oratio.*

DOmine sanctæ Pater, omnipotens, æterne Deus, osanna in excelsis, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui illum refugam tyrannum gehennæ ignibus deputasti, quique vnigenitum tuum in hunc mundum misisti, vt illum rugientem contereret: velociter attende, accelera vt eruas hominem ad imaginem & similitudinem tuam creatum, à ruina & dæmonio meridiano. Da Domine terrorem super bestiam quæ exterminat vineam tuam. Da fiduciam Domine seruis tuis contra nequissimum draconem fortissimè stare. Non contemnat Domine sperantes in te, & de tua misericordia præsumentes, nec dicat sicut in Pharaone iam

dixit,

dixit, Deum non noui, & Israël non dimittam? Vrgeat illum Domine dextera tua potens, discedere à famulo tuo N. ne diutius præsumat captiuum tenere hominem, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum viuit & regnat, &c.

Hic interroga de nomine vt supra. & præcipe. Si verò non dicat nomen dæmonis vel dæmoniorum qui opprimunt corpus obsessi, dic in aure obsessi ter hunc versum.

Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.

Tunc siue responderit siue non, fideliter & sine intermissione prosequere coniurationem.

ADiuro te serpens antique, per iudicem viuorum & mortuorum, per factorem mundi, per eum qui habet potestatem mittere te in gehennam, vt ab hoc famulo Dei N. qui ad Ecclesiæ suæ currit præsidia, festinus discedas. Adiuro te non per meam infirmitatem, sed per virtutem Spiritus sancti, vt exeas ab hoc famulo Dei N. quem Dominus Iesus Christus fecit ad imaginē & similitudinem suam: Cede, cede, non mihi, sed ministro Christi. Illius enim te vrgeat potestas, qui te affixus (In fronte) cru † ci, suo subiugauit imperio. Illius bra † chium contremisce, qui de cunctis gemitibus inferni animas iustorum ad lucem perduxit: Sitque tibi terror corpus hominis, sitque tibi terror imago Dei, nec resistas, nec moreris recedere ab homine isto, quia complacuit Deo vt in homine habitaret. Et ne me infirmissimum contemnendum putes, dum me peccatorem cognoscis † Imperat tibi Deus † imperat tibi maiestas Christi † imperat tibi Deus Pater † imperat tibi Filius † imperat tibi Spiritus sanctus † imperat tibi fides Apostolorum Petri & Pauli, & cęterorum Apostolorum † Imperat tibi sanguis Martyrum † Imperat tibi Sacramentum (In fronte) crucis † Imperat tibi mysteriorum virtus † Imperat tibi Iesus Nazarenus † Imperat tibi verbum caro factum †. Exi transgressor, exi seductor plene omni dolo, & fallacia, veritatis inimice, da locum durissime, da locum impijssime, da locum Christo, in quo nihil inuenisti de operibus tuis nephandis, qui te expoliauit, qui regnum tuum destruxit, qui te victum ligauit & vasa tua diripuit, qui te proiecit in tenebras exteriores, vbi tibi cum ministris tuis erit præparatus interitus. Sed quid truculente recogitas? quid temerariè retractas, reus omnipotenti Deo,

cuius statuta transgressus es, reus Iesu Christo Filio eius, quem temerarie ausus es tentare, & crucifigere præsumsisti, reus humano generi, cui tuis persuasionibus mortis fructum propinasti. Adiuro te itaque draco nequissime, in nomine agni immaculati, qui ambulat super aspidem & basiliscum, qui conculcat leonem & draconem, vt discedas ab homine isto, discedas ab ecclesia Dei, Contremisce & fuge, inuocato nomine illius, quem inferni tremunt, cui virtutes cælorum & potestates subiectæ sunt, quem Cherubim & Seraphim indefessis vocibus laudant, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Imperat tibi Iesus Nazarenus, qui te (cum Discipulos eius contemneres) elisum & prostratum exire iussit ex homine. Quo præsente cum te ab homine separasset, nec porcorum gregem præsumebas contingere. Recede ergo nunc adiuratus in nomine † eius (In fronte) ab homine isto, quem ipse plasmauit. Durum est tibi Christo velle resistere, durum est tibi contra stimulum calcitrare, quia tardius exis, tantò maius tibi supplicium crescit, quia non hominem contemnis, sed illum qui est dominator viuorum & mortuorum. Qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

Si adhuc non recesserit spiritus malignus, aut superius non responderit, precipe, vt supra. Item interroga qua causa venit, & quare opprimat eum. Interroga etiam, si sint alij spiritus opprimentes, & quot, & omnes eijciantur. Esto prudens & circunspectus in interrogationibus ne decipiaris. Magis stude cum humilitate mentis quæ ad talia est necessaria, liberare creaturam Dei, quàm loqui cum dæmonibus vel cum aliquo eorum, sicut fecerunt Sancti. Demum factis interrogationibus, si non recesserit, siue responderit, siue non, prosequere confidenter coniurationem sequentem.

ADiuro te omnis immundissime spiritus, omne fantasma, omnis incursio sathanæ, in nomine Ie†su Christi Nazareni, qui post lauacrum Iordanis, in desertum ductus est, & in tuis sedibus vicit, vt quem ille de limo terræ ad honorem gloriæ suæ formauit, tu desinas impugnare, & in homine miserabili, non humanam fragilitatem, sed imaginem omnipotentis Dei contremiscas. Cede † ergo Deo, qui te per Danielem puerum suum perdidit, & draconem prostrauit. Cede Deo † qui te humiliato famulo tuo Iob in seruitutem redegit. Cede † Deo, qui te per fidelissimum seruum suum Dauid, de Rege Saule spiritualibus cantibus pulsum

pulsum fugauit. Cede † Deo, qui te per malitiam tuam in Pharaone & eius exercitu, per Moysen seruum suum in abyssum demersit. Cede † Deo, qui te in Iuda Scarioth proditore damnauit: Ille enim Diuinis te angit verberibus, in cuius conspectu cum tuis legionibus tremens & clamans dixisti, Quid nobis & tibi Iesu Fili Dei? Venisti ante tempus torquere nos. Ille te flammis perpetuis vrget, qui in fine temporum dicturus est impijs? Ite maledicti in ignem æternum, quem præparauit Pater meus diabolo & angelis eius. Tibi enim impie & angelis tuis, vermes erunt, qui nunquam morientur. Tibi & angelis tuis inextinguibile præparatur incendium, quia tu es princeps maledicti homicidij. Tu author incestus, tu sacrilegorum caput, tu artium pessimarum magister, tu hæreticorum doctor, tu totius obscœnitatis inuentor: Exi † ergo impie, Exi † scelerate, Exi † cum omni fallacia tua, quia (In fronte) † hominem templum suum voluit esse Deus: Sed quid diutius moraris hic? Da honorem Deo † Patri omnipotenti, cui omne genu flectitur. Da locum Domino Iesu † Christo, qui pro homine sanguinem suum sacratissimum fudit. Da locum Spiritui † sancto, qui per beatum Apostolum suum Petrum, manifestè te strauit in Simone Mago, qui fallaciam tuam in Ananiam & Saphyram condemnauit, qui te in Herode Rege honorem Deo non dante percussit, qui te in Elyma Mago per Apostolum suum Paulum, cæcitatis caligine perdidit, & per eundem de phytonissa verbo imperans, exire præcepit. Discede ergo nunc, † discede seductor, † tibi heremus sedes est, tibi habitatio serpens est, humiliare & prosternere. Iam non est differendi tempus: Ecce enim dominator Dominus proximabit citò, & ignis ardebit ante ipsum, & præcedet & inflammabit in circuitu inimicos suos. Si enim homines fallis, Deum non poteris irridere. Ille te eijcit, cuius oculis nihil occultum est. Ille te expellit, cuius virtuti vniuersa subiecta sunt. Ille te excludit, qui tibi & angelis tuis præparauit æternam gehennam. De cuius ore exiet gladius bis acutus. Qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

Si his dictis adhuc fatigatur oppressus, tunc prosequere hos versus.

Domine exaudi orationem meam. *Responsor.* Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. *Responsor.* Et cum spiritu tuo. *Oremus.* *Oratio.*

Omnipo-

OMnipotens sempiterne Deus, pater Domini nostri Iesu Christi te suppliciter deprecamur, vt imperes diabolo, qui hunc famulum tuum N. detinet, vt ab eo discedat, & libera eum qui credit in verum liberatorem Dominum nostrũ Iesum Christũ, vt purgatus ab omni labe iniquitatis, maiestati tuæ pura mente deseruiat. Per eundem, &c.

His expletis, si spiritus immundus non recesserit, reincipiendum est, ab illo loco, supra in hoc Exorcismo, vbi sic habetur, Omnipotens sempiterne Deus, à cuius facie. & ordine prædicto prosequendum est, vsque ad finem. Nec propter hoc Exorcista diffidat, quia sæpe probatum est, quod multiplicatis in duobus vel tribus diebus, adepta est victoria, quam vna vice tantum non potuit adipisci. hæc ita ibi.

CAPVT XIII.

Incipit Exorcismus optimus, qui eo loci etiam habetur contra dæmoniacos, & maleficiatos, & incantationes & facturas, & domos à dæmonio vexatas.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, cõtra omnes maleficiorum vanitates, & incursus dæmonum, signum sanctæ crucis † Saluatoris nostri Iesu Christi, tu''e potestatẽ, tolle impetum sathanæ & angelorum eius, & non permittas nocere isti creaturæ Dei N. sed vadant ad loca arida. Memento nostri Domine, sicut iurasti patribus nostris Abraham, Isaac, & Iacob, vt inde exeant & recedant ab hac creatura Dei N. & vadant in loca arida, & sterilia, inaquosa, & inhabitabilia. Vade retro sathana cum angelis tuis apostaticis, per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, &c.

Coniuro vos angeli tartarei, per eum qui vos eiecit de superno cælorum habitaculo, qui fertis malum contra genus humanum: Adiuro vos † per quatuor Euangelistas, & per tremẽdum diem iudicij, & per terribilem iudicem: Et adiuro vos per nomina sacratissima omnipotentis Dei, videlicet Messchias, † Sother, † Emanuel, † Sabaoth, † Adonai, † vnigenitus, † via, † vita, † veritas, † homousion, † principium, † primogenitus, † sapientia, † fons, † origo, † paracletus, † mediator, † agnus, † ouis, † alpha & omega, † caput & finis, † simul vocitatus, † serpens, † aries, † leo, † vermis, † verbum, † splendor, † lux, † imago, † gloria, † sol, † panis, † flos, † vitis, † mons, † ianua, † terra, † lapis angularis, † sponsus, † pastor, † propheta, † sacerdos, † athanatos, † Ischyros, † Pantheon, † eleyson, † aquila, † Tetragrammaton, † Dominus Iesus Christus, † Per nomina ista sacratissima adiuro vos, † & contestor angeli sathanæ, ita præsentes sicut absentes, ita absentes sicut præsentes, vt exeatis &

recedatis cum maleficijs & iniquitatibus vestris ab hac creatura Dei N. & eatis ad deserta loca & arida, vbi non aratur nec seminatur, nec nomen Domini inuocatur, nec nominatur, nequãdo in die iudicij ante tribunal Christi venientes dicatis, nullus nobis contradixit, nullus nos coniurauit. Ego verò ex parte omnipotentis Dei, sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filij, & Spiritus sancti, coniuro vos, & contradico vobis, vt exeatis de corpore & de membris istius creaturæ, vobis etiam contradicit ipse pater Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, &c. Increatus Pater, † increatus † Filius, increatus † Spiritus sanctus, immẽsus † Pater, immensus † Filius, immensus † Spiritus sanctus, ęternus † Pater, æternus † Filius, æternus † Spiritus sanctus.

Ego cõiuro vos dæmones, per Pa†trem, per Fi†lium, & per Spiritum † sanctum, per angelos, † per archangelos, † per thronos, † & dominationes, † principatus, † potestates, † cherubim, † & seraphim, † & virtutes cælorum, † & recuperationem animarum, † & per omnia mirabilia quę fecit Dominus in cælo & in terra, vt nomina vestra manifestetis, & inde exeatis cũ iniquitatibus vestris & maleficijs, per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

Coniuro vos malignos spiritus, per virtutem Dei omnipotentis, & sanctissimum & dulcissimum lac, & sacrosancta vbera virginis Mariæ, quæ lactauerunt Iesum Christum Dominum nostrum filium Dei, vt dicatis mihi quomodo intrastis in corpore, siue in persona huius creaturæ Dei N. & cito inde exeatis, per eum qui vẽturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. *Resp.* Amen.

Coniuro vos per pretiosissimum sanguinem, qui exiuit de latere Christi in cruce pendentis, & adiuro vos per gloriosam virginem Mariam, matrẽ eiusdem Dei & Domini nostri Iesu Christi, & per milia milium angelorum Deo ministrantium, & per collegium Apostolorum. Coniuro etiam vos per quatuor Euãgelistas, Matthæum & Marcum, Lucam, & Ioannem, & per septem cælos, & per viginti quatuor seniores, & per diem tremendi iudicij, & per quatuor animalia quæ assistunt ante thronum Dei, † & per cælum & per terram, † solem, † & lunam, † & stellas, † & eorũ nomina † & per sanctos patriarchas. i. Abraham, Isaac, & Iacob, vt statim exeatis de corpore, siue de membris & persona istius creaturæ Dei N. & de domo eius, audito nomine sanctissimo Dei tetragrãmaton, cito procul fugiatis, & vadatis in loca, vbi nõ noceatis aliquibus fidelibus Christianis, per vir-

per virtutem eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos & sæculum per ignem. Amen.

Adiuro vos dæmones per Patrem †, & Filium, † & Spiritum sanctum, † & omnes ordi † nes angelorum Deo ministrantium, † & per senatum Apostolorum, † & per cẽtum quadraginta quatuor milia martyrum, vt amplius non habeatis licentiam, nec potestatem super hanc creaturam Dei N. vel domum eius, fugite miseri & scelestissimi hinc, & defluere vos faciat Deus, sicut defluit cera à facie ignis, vt amplius non habeatis potestatem; faciendi vllum dolorem, vel timorem, vel damnum, nec vllum malum, super carnem, nec in carne, nec in mẽbris huius creaturæ Dei N. vel in domo eius, per eum, qui vẽturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculũ per ignem. Amẽ.

Ioan. 1. *Initium sancti Euangelij secundum Ioannem, In principio erat verbum, vsq; ad, plenum gratiæ & veritatis, inclusiuè.*

Matth. 2. *Deinde, Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum, Cùm natus esset Iesus in Bethleem Iudæ, vsque ad, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam, inclusiuè, quæ breuitatis ergò transilio.*

Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. *Oremus. Oratio.*

GRatiam tuam quæsumus Domine mentibus nostris infunde, & illud lumen splendidum, cordibus nostris irradia, quod trium Magorum mẽtibus inspirasti per Christum Dominum nostrum. Amen.

Coniuro vos dæmones infernales spiritus malignos, per Patrem, † per Filium, † & per Spiritũ sanctum, † vt non mentiamini, sed dicatis mihi veritatem, quis est ille, qui debet vos hinc expellere de persona huius creaturæ Dei N. vel de domo eius, vt omnes astantes intelligãt & audiãt veritatem, alioquin mittam vos in profundum inferni, in loca pœnarũ magnarũ, de quibus non exibitis, per virtutẽ Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sęculum per ignem. Amen.

Hic repete superiorem coniurationem, cum magna fide & efficacia, & videbis mirabilia.

COniuro vos spiritus immundos, dęmones infernales, qui hanc creaturam affligitis, vt faciatis mandata Dei, & non mittam vos in profundum inferni per Patrem, † & Filium, † & Spiritum sanctum, † vide miser dæmon, qualiter per potentiam altissimi Dei viui, & veri es cõstrictus, & victus, ideo scelerate & nequissime fuge, non est iam differendi tempus, quia Dominus noster Iesus Christus vos coarctat, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen. Pater noster. Aue Maria.

Coniuro

Coniuro vos ſpiritus immundos: In nomine Patris, † & Filij, † & Spiritus ſancti, † & per virtutem † angelorum ſanctorum, & patriarcharum, prophetarum, apoſtolorum, martyrum, confeſſorum, atque ſanctarum virginum, ita præſentes ſicut abſentes, ita abſentes ſicut præſentes, vbicunq; ſitis, vt exeatis & recedatis ab hac creatura Dei N. cum maleficijs & iniquitatibus veſtris, per virtutem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui vẽturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculũ per ignem. Amẽ.

Coniuro vos nequiſſimi ſpiritus, per Deum Patrem † omnipotentem, & per virtutes cælorũ, & per ſacroſancta vbera, & lac beatiſſimæ virginis Mariæ, quæ lactauerũt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium Dei viui, vt exeatis de corpore & membris, vel perſona huius creaturæ Dei N. & de domo eius, per virtutem eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Matthæum, In illo tempore Egreſſus Ieſus ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis, & ecce mulier Chananæa, &c. vſque ad, Sanata eſt filia eius ex illa hora, incluſiuè cap. Matth. 15.

Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. *Oremus.* *Oratio.*

DOmine Ieſu Chriſte clementiſſime Redemtor noſter, qui humano generi innumera beneficia contuliſti, te ſuppliciter deprecamur, per omnia & ſingula dona, & beneficia nobis collata, & maximè per natiuitatem tuam ſanctam, qua ex puriſſima virgine, carne noſtræ mortalitatis aſſumta, huic mundo naſci dignatus es, ad ſalutem, & per annunciationem quam angeli fecerunt paſtoribus, & per gaudium quod ipſi habuerunt, & per circunciſionem tuam ſanctiſſimam, & per honorem, quem tibi fecerunt illi tres Reges & Magi, & per munera quæ tibi obtulerunt, & per præſentationem tui in templo, per conſolationem Simeonis & Annæ, & per ſanctificationem Baptiſmi tui, per ieiunium quadraginta dierum, & per afflictionem ipſorum, per ſanctam prædicationem tuam, per opera miraculorum tuorum magnorum, per liberationem multorũ à dæmone obſeſſorum, per lotionem pedum diſcipulorum, & apoſtolorum tuorum, per cõſecrationem tui ſanctiſſimi corporis & ſanguinis, per famem & ſitim tuam, & per acerbiſſimam mortem tuam, & glorioſam reſurrectionem atque admirabilem aſcenſionem tuam, liberare digneris hanc creaturam tuam N. ab omni poteſtate maligni ſpiritus, Qui viuis & regnas cum Deo Patre, &c. Ergo maledicte diabole recognoſce ſententiam tuam, & non audeas nec debeas moleſtare, vel nocere, nec vllam læſionem facere ſuper hanc creatu-

creaturam Dei N. per virtutē Domini nostri Iesu Christi, & gloriosæ virginis Mariæ. Et sicut ipse Dominus noster Iesus Christus, dignatus est expellere de corpore filiæ Chananeæ dæmonem, illam malè vexantem, & sanare eam: ita sanare & liberare dignetur hanc creaturam suam, N. petentem à te Domino liberari: & per virtutem suam te expellat, vt vadas in loca vbi nulli Christiano nocere possis, quia ipse est qui venturus est iudicare viuos & mortuos, &c.

Coniuro te maledicte sathana, per virtutem Domini nostri Iesu Christi & omnium sanctorum & sanctarum Dei, vt mihi respondeas & dicas, quis est ille qui debeat te hinc expellere, & cede hinc, alioquin mittam te in profundum abyssi, cum sequacibus tuis, vt non noceas alicui creaturæ Dei, creatæ ad imaginem & similitudinem suam: Imperat hoc tibi idem Deus & Dominus Iesus Christus: qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Audi scelerate & maledicte, Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.

Deinde dic ter, *Pater noster & Aue Maria. hic repete suprapositam coniurationem, modo suprascripto. Et si diabolus nomen suum, vel nomina sua reuelaret, scribe illud vel illa in scedula, & posteà fac ignem nouum, & scripta in scedula nomina illorum spirituum, proijce in ignem, dicendo super ignem ista verba:*

Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.

Coniuro te creatura † ignis, per illum qui orbem contremiscere facit, quod istos spiritus comburas, & affligas taliter, quod sentiant pœnas importabiles, & intolerabiles in virtute Domini nostri Iesu Christi, & verbis quæ de illo dicuntur, qui orbem tremere facit, in cuius nomine & virtute, ego præcipio vobis dæmones, vt exeatis ab hac creatura Dei N. vel ab hac domo, vt amplius non molestetis eam. Per eundem Deum & Dominum nostrum Iesum Christum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. *Oremus. Oratio.*

Domine Iesu Christe, qui voluisti pro mundi redemtione, de virgine Maria nasci, in carne tua sanctissima circuncidi, à Iudæis reprobari, à Iuda proditore osculo tradi, vinculis alligari, & sicut agnus innocens ad victimam duci, atque in conspectu Annæ & Cayphæ, Pilati & Herodis, indecēter offerri, à falsis testibus accusari, à discipulo negari, flagellis oppro-

opprobrijsque vexari, & spinis coronari, sputis conspui, colaphis cædi, palmis percuti, arundine verberari, clauorum aculeis perforari, in cruce leuari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, ab hominibus blasphemari, lancea vulnerari, & in cruce mori. Tu Domine per has sacratissimas pœnas, & passiones tuas, quas ego indignissimus recolo, & per sanctam crucem & mortem tuam, liberare digneris hanc creaturam tuam N. à miserabili oppressione sathanæ, & ministrorum eius, & perducere eam digneris ad pristinam sanitatem, fracto vinculo inimici cuiuscunque generis maligni. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus.

Deinde sæpius repete ista verba, quæ sequuntur, donec recedant. Sed si diabolus responderet quod sit anima alicuius defuncti, non ei credas, quia est hæresis, sed insta quod dicat nomen proprium, quod habuit ab initio, quando fuit expulsus de cælo. Pete etiam cuius ordinis erat, & nomen sui superioris, & qua de causa intrauit in illud corpus. & coniura ipsum, quod non discedat sine tua licentia, & quod cogatur dare signum suæ egressionis, dimittendo personam oppressi liberam & expeditam, sicut erat in illa hora, quando fuit baptizata.

Videre licet beatum Thomam, prima parte quæst. 117. art. 4. ad. 2.

Coniurationem sequentem dicat sacerdos cum magna efficacia, & repetat eam, sicut ei videbitur, & quoties eam repetit, pœnam augeat, & accrescat.

PRæcipio ex parte sanctissimæ Trinitatis, Patris, † & Filij, † & Spiritus sancti, † & per merita sacratissimæ Passionis Domini nostri Iesu † Christi, & per merita omnium sanctorum & sanctarum, quæ sunt in Paradiso, quod si datum fuit aliquid per maleficium ad comedendum vel bibendum, huic creaturæ N. Aut si vos maledicti diaboli portastis in corpore suo aut composuistis aliquid in eodem, non habeatis facultatem, vel potestatem, vel virtutem conseruandi, agitandi, vel mouendi, & quod amoueatis ipsam facultatem, potestatem, & virtutem, & quod cogamini dissipare omnem laqueum, nodum, & compositionem, quæ fuissent in prædictis rebus, & quod sitis adstricti & compulsi, ea disiungere, separare, & remouere à visceribus, † & ab intestinis, † & ea per secessum emitti facere deorsum, sine aliqua læsione animę & corporis istius creaturæ Dei, N. Rursum vobis diabolis si præsentialiter estis in hoc corpore præcipio, ex parte sanctissimę Trinitatis, Pa † tris, & Fi † lij, & Spiritus † sancti, quod non habeatis facultatem standi, morandi, & abscondendi vos in aliqua parte corporis huius creaturæ Dei N. nec in quatuor humoribus videlicet sanguine, † cholera, † phlegmate, † & me-

 lancholia,

lancholia, † nec in carne, † nec in ossibus, † nec in medullis, † nec in neruis, † nec in venis, † nec in omnibus iuncturis corporis, † nec in pedibus, † nec in suris, † nec in tibijs, † nec in lateribus, † nec in renibus, † nec subtus renes, † nec supra renes, † nec in dorso, † nec in spatulis, † nec in brachijs, † nec in manibus, † nec in vnguibus, † neque in corde, † neque in hepate, † neq; in splene, † neq; in interioribus, † neque in pulmone, † nec in intestinis superioribus vel inferioribus, † maioribus vel minoribus, † nec in ventre, † nec in stomacho, † nec in pectore, † nec in gutture, † nec in collo, † nec in facie, † nec in mento, † nec in maxillis, † nec in dentibus, † nec in gingiuis, † nec in lingua, † nec subtus linguam, † nec supra lingiam, † nec in palato, † nec in naso, † nec in oculis, † nec in auribus, † nec in cerebro, † nec in panniculis cerebri, † nec in arterijs, † nec in fecibus corporis, † nec in alijs rebus vel locis corporis, † vel extra corpus, neque intrinsecè, † neque superficialiter, † nec in capillis, † nec in pilis, † nec in vestimentis, † nec in genitalibus, † nec in ano, † nec in testiculis, † nec in vmbilico, † neque in eius circunstantijs, † neque in alijs locis, ad quæ ire habeat aut stare, † sed inuiti & vi & virtute Dei compulsi, nunc cogamini vos manifestare, & illis partibus, in quibus estis, aliquam læsionem facere in signum pœnitentiæ vestræ. Item præcipio vobis ex parte sanctissimæ trinitatis, Patris, † & Filij, † & Spiritus sancti, † quod discedatis ab omnibus partibus istius corporis N. creaturæ Dei, vbi estis, à planta pedis vsque ad verticem, & quod fugiatis extra ipsum corpus, fugiendo per illam viam, quæ sit magis libera & expedita, sicut per os stomachi, per pectus, per guttur, per os cum signo manifesto, quod fugiatis extra corpus suum. Item vobis præcipio ex parte sanctissimæ Trinitatis, Patris, † & Filij, † & Spiritus sancti, † quod nō habeatis potestatem accipiendi adiutorium, vel succursum, ab alijs dæmonibus vel diabolis, nec petendi alios dæmones vel diabolos in adiutorium vestrum, nec mittere seu ponere alios dæmones in loco vestro. Et quod cogamini discedere taliter, quod nunquam nec vos, nec alij diaboli habeatis potestatem, authoritatem, vel facultatem nec virtutem redeundi nec præsentialiter, nec potestatiuè, nec virtualiter, sed sitis compulsi & constricti, ad eundum ad loca arida & sterilia, & inaquosa & inhabitabilia, vbi nemini noceatis: Quod si secus feceritis, intendo procedere contra vos maledictos diabolos, & dare & fulminare contra vos omnes excommunicationes, & maledictiones, quas vobis dare

possum,

possum, ex parte sanctissimæ Trinitatis, Patris, † & Filij, † & Spiritus sancti †. Et etiam intendo vos expellere extra corpus istius creaturæ Dei, à plãta pedis, vsq; ad verticem, per virtutem sanctissimæ Trinitatis, Patris, † & Filij, † & Spiritus sancti †, & per virtutem sanctorum angelorum, & per virtutem totius Paradisi, & per virtutem omnium inimicorum vestrorum, quos habetis in cælo & in terra. Et præcipio omnibus magistris, & superioribus vestris ex parte sanctissimæ Trinitatis, Patris, † & Filij, † & Spiritus sancti, † quod nũc præsentialiter huc veniãt, & vos etiam inuiti extrahant, de corpore huius creaturæ Dei. Item ex parte eiusdem sanctissimæ Trinitatis, Patris, † & Filij, † & Spiritus sancti, † eisdem magistris vestris præcipio, quatenus vos detrudant in stagnum ignis, & sulphuris, ad quod ego vos Dei virtute condemno, per spatium annorũ centum, à tempore egressionis vestræ, de corpore huius creaturæ Dei N. incipiendum.

Maledicti, & excommunicati, & blasphemi sitis, in pœna æternali, & nulla requies sit vobis, si statim non eritis obedientes meis mandatis, in virtute Dei, & Domini nostri Iesu Christi, & verbis, quæ dicuntur de illo, qui orbem contremere facit, in cuius nomine & virtute vobis præcipio, vt statim recedatis ab hac creatura Dei N. & domo eius, in virtute verborum istorũ, Messchias, † Sother, † Emanuel, † Sabaoth, † Adonai, † Athanatos, † Ischyros, † Eleyson, † Tetragrammaton, † Dominus Iesus Christus, † Per ista nomina, & per omnia supradicta, à principio coniurationis, vsque nunc vos male † dicimus, vos constrin † gimus, vos pri † uamus, vel expel † limus, vos perpetuo † relegamus, anathema † tizamus, & in stagnum † ignis, & sulphuris ardentis mittimus. Ite, ite, ite maledicti in ignem æternum, ite statim & recedatis hinc, & vadatis ad loca vestra vobis deputata, & statim recedatis hinc, & de cætero huc non accedatis. Imperat vobis Deus † Pater imperat vobis Deus † Filius, imperat vobis Deus † Spiritus sanctus, imperat vobis sancta Trinitas † vnus Deus, imperat vobis Dominus noster Iesus Christus, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

Si accideret quod dæmon ita esset obstinatus, quod propter cõiurationes nollet recedere, duc eum ante altare Sacramenti Eucharistiæ, & ibi tenendo tabernaculum Sacramenti in manibus, coniura eum. Et noli diffidere, quia aliquãdo per tres menses, & aliquãdo per annos, aliqui non possunt liberari. Expedit etiã probare diuersos Exorcismos, dũmodo nõ habeãt aliquã superstitionẽ. Et aliqui dæmones non expellũtur, vt dicitur in Euangelio,

 nisi in

nisi in oratione & ieiunio, ideo non solum oportet coniurare, sed etiam mentaliter orare, dum ergo fuerit coram sacratissimo Sacramento, ita coniurabis:

MAledicti diaboli, quia noluistis obedire pręceptis meis, imò verius Dei omnipotentis, Patris, † & Filij, † & Spiritus sancti. † Nunc contra vos, siue præsentes, siue absentes, siue absentes, siue præsentes, vbicunque sitis, qui hanc creaturam Dei vexare præsumsistis, & præsumitis, coram sanctissimo ac sacratissimo Sacramento corporis Domini nostri Iesu Christi: Ego N. fero sententiam maledictionis, & excommunicationis, & condemnationis vestræ, inquantum authoritas mea se extendit, in stagnum ignis, & sulphuris, ob inobedientiam vestram per annos centum. Maledico & percutio. & eijcio, & excommunico, & condemno vos maledicti diaboli, in virtute sanctissimæ Trinitatis, Patris, † & Filij, † & Spiritus sancti. † *Resp.* Amen.

Repete prædicta verba, Maledico, & percutio, per infrascriptas nominationes, respondentibus circumstantibus: Amen.

THronorum, dominationum, principatuum potestatum, virtutum, Cherubim, Seraphim, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, continentium, Domini nostri Iesu Christi, beatæ semper virginis Mariæ, sancti Cypriani, Honophrij, Zenonis, Geminiani, Vbaldi, Hieronymi, Ioannis Baptistæ, Iulianæ, Iustitiæ, Margaritæ, omnium Sanctorum, ac Sanctarum Dei. Maledico & percutio, vt supra, per authoritatem Sedis Apostolicæ. & prædicta verba, Maledico, &c. repetenda sunt vsque ad finem maledictionis.

PEr Passionem Christi, per columnam ad quam ligatus fuit Christus, per coronā spineā Christi, per purpuram Christi, per sacratissimam crucem Christi, per clauos, quibus affixus fuit Christus in cruce, per spōgiam, in qua acetū & fel data sunt Christo, per lanceam, quæ aperuit latus Christi, per opprobria, quibus affectus fuit Christus, per illa verba quæ dixit Christus in cruce, per conuersionem latronis existentis in cruce, per sepulchrum Christi, per resurrectionem Christi, per apparitionem Christi, per ascensionem Christi in cælum, per missionem Spiritus sancti in discipulos, per institutionem sancti baptismatis in quo saluamur, per sanctū oleum chrismatis, per sanctum oleum exorcismorum, per sanctum oleum infirmorum, per mysterium sanctæ Missę, per sanctam cōfessionem, in qua liberamur de potestate vestra, per sacratissimum ac sanctissimum Sacramētum,

videlicet

videlicet corpus Domini nostri Iesu Christi, per cætera Sacramenta ecclesiæ sanctæ, per omnes Exorcismos ecclesiæ sanctæ, qui ad vsque tempus hoc inuenti sunt, & per illos qui sunt inueniendi, per omnia verba sancta sacræ scripturæ, quæ sunt contra vos, & valent ad expellendum vos, de corporibus hominum, maledicant, & percutiant, & eijciant vos omnes inimici vestri diaboli, & magistri vestri, & maximè princeps vester, sathanas. Maledicti estote & cruciemini in hoc corpore & extra, in aëre, in aqua, in terra, & vbicunque futuri estis, & patiamini pœnas importabiles, & afflictionem nimiam, nisi statim recedatis de corpore istius creaturæ Dei N.

Nota quod facturæ, & res qui inueniuntur in lectis, comburendæ sunt, coniurando ignem, modo supradicto, adiungendo ista verba:

Quod istas facturas & malignos spiritus, per quos cõseruantur, insimul comburas.

Et auferas ab illis creaturis Dei, super quos facta erant, & simul leges Psalmum, Exurgat Deus. Qui Psalmus est tantæ virtutis, quod ex Psalm. 67.
eius continuatione quædam personæ ipsum omni die cum fide dicendo & deuotione, à dæmonio fuerunt liberatæ. Finit Exorcismus.

CAPVT XIIII.

Aduerte quod necesse est, esse importunum, circa aliquos dæmones obstinatos, & perseuerare in coniurationibus, cum magna fide, quæ maximè in patiente requiritur. Et quando corpus liberatum fuerit, legendus est sequens Exorcismus:

EXorcizo te N. in nomine Dei Patris † omnipotentis, & in nomine Iesu † Christi Filij eius, Domini nostri, & in virtute Spiritus sancti †, vt fias vas mundum, sanctum, & purgatum ab omni labe iniquitatis, maleficijs, incantationibus, ligationibus, signaturis & facturis: Quæ omnia maleficia, incantationes, ligaturas, signaturas, facturas in corpore tuo, vel circa corpus tuum facta. In nomine eiusdem Dei Patris † omnipotentis, & in nomine Iesu Christi † Filij eius Domini nostri, & in virtute † Spiritus sancti. Ego N. seruus illius indignus & peccator, authoritate mihi præstita, dissoluo & dissoluta esse decerno, & præcipio tibi maledicte diabole, ac socijs tuis, vt amplius non habeatis potestatem manendi in hoc corpore, à planta pedis vsque ad verticem, sed statim recedere debeatis, cum omnibus maleficijs, & iniquitatibus vestris, per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

Oratio dicenda super infirmum liberatum.

 Domi-

Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. *Oremus.*

OMnipotens sempiterne Deus, qui liberare dignatus es, hunc famulum tuum N. ab omni vexatione sathanæ, & ministrorum eius, emitte in eum septiformem Spiritum sanctum tuum paracletum de cælis. Amen. Spiritum sapientiæ & intellectus. Amen. Spiritum consilij & fortitudinis. Amen. Spiritum scientiæ & pietatis. Amen. Adimple eum spiritu timoris tui, & signa eum signo crucis † Christi, in vitam propitiatus æternam. Amen.

Hic agimus gratias sanctæ Trinitati, pro liberatione infirmi:

Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. *Oremus.*

TE Patrem ingenitum, & te Filium vnigenitũ, te Spiritum sanctum paracletũ, & sanctã, & indiniduam Trinitatem, toto corde, toto ore, confitemur, laudamus, atque benedicimus, tibi gratias agimus, quia virtute tua hodie confusus, turbatus, verberatus, denique expulsus est diabolus, cum socijs suis, de hac creatura tua N. quam per filium tuum vnigenitum redimere dignatus es: Quæso igitur, te Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus, sancta Trinitas, virtus vna, atque indiscreta maiestas, Deus noster omnipotens, vt hanc creaturam tuam N. etiam custodire & defendere digneris, per sanctos angelos tuos, ab omni incursu sathanæ, & ministrorum eius, & infundere super eam, benedictionem tuam sanctam. Per eundem Christum, Dominum nostrum. Amen.

CAPVT XIII.

Idem Sacerdotale Romanum, habet coniurationem contra tempestates, hoc tenore verborum, sed paulò minori characterum ac literarum schemate.

ADiuro vos angeli tartarei, per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & per illam lanceam †, coniuro vos, qua Dominus noster Iesus Christus fuit vulneratus in cruce, & per illos clauos, qui membra Domini perforauerunt, & per illam aquam, & sanguinem, qui de latere Christi effluxit, & per illam spineam coronã, quę in capite Domini nostri Iesu Christi posita fuit, & per sanctam resurrectionẽ eius, & ascẽsionem eius, & per gratiam sancti Spiritus, † cõiuro vos spiritus maligni, vt non habeatis virtutem, neq; potestatem, super campos nostros aliquid malefacere, † coniuro vos maligni spiritus, per Patrem Domini nostri Iesu Christi, & omnes sanctos eius, † Coniuro vos per sanctam Mariam, matrem Domini nostri Iesu Christi, & per sanctum Michaëlem, & sanctum Gabriëlem, & sanctum Raphaëlem, † Coniuro vos & cõtradico vobis per istas coniurationes

rationes, vt non habeatis poteſtatem in nubibus cæli, nobis nocere, neque in arboribus, neque in vineis noſtris, neque in iſta prouincia, vt nō habeatis poteſtatem ſuper populum Chriſtianum, fundere tempeſtatem. † Adiuro vos per S. Petrum, & per S. Paulum, qui ſuis orationibus deiecerūt Simonem Magum, & per S. Andream, & per S. Ioannē, & per S. Bartholomæum, & per quatuor Euangeliſtas, S. Matthæum, S. Marcum, S. Lucam, & S. Ioannem, † vos coniuro per communionem & ſocietatem ſanctorum ciuium Chriſti, & per duodecim milia legiones angelorum, & per vigintiquatuor ſeniores, & omnes virtutes angelorum, & per ſeptem thronos, & per ſeptem candelabra Chriſti, & per ſeptem donationes, & per ſeptiformem gratiam Dei, & per ſingula merita ſingulorum, & per agnum Dei immaculatum Ieſum Chriſtum, cui eſt honor & virtus: & per eos angelos, qui ſtant in Paradiſo, † Coniuro vos, per verum Deum viuum cęli, & Deum angelorum, patriarcharum, prophetarum, & apoſtolorum, & per Deum martyrum, & per Deum confeſſorum, & per Deum virginum, vt non habeatis potentiam, neque virtutem in nubibus cæli, nobis nocere, neque flagellare ſuper campos noſtros, ſed in loca deſerta, vbi non arans arat, nec ſeminās ſeminat. Amen, † Amen, † Amen. *Oratio.*

DEus, qui beatæ Brigidæ virgini, inimicos ſuperare conceſſiſti, præſta nobis famulis tuis, vt intercedentibus eius oratione atque meritis, ab omni ira tempeſtatis liberari valeamus. Per Dominum noſtrum, &c.

INcreatus † Pater, increatus † Filius, increatus † Spiritus ſanctus, † hagios, † hagios. Ecce † crucem Domini, fugite partes aduerſæ, vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid alleluya, † alleluya, † alleluya, † alleluya. † Dixit Dominus ex Baſan, conuertam, conuertam in profundum maris. Domine Ieſu Chriſte, qui cælum & terram fundaſti, & flumen Iordanis benedixiſti, & in eo loco baptizari voluiſti, benedi † cere & ſanctifi † care pro tua pietate digneris, has nubes, quas video ante me poſitas, vt deficiant, & tranſeant in aquam ſanctam, & benedictam, & tempeſtatem faciant in locis deſertis, & non noceant aliquibus perſonis, domeſticis Chriſtianis, neque domeſticis animalibus, neque agris, neque fructibus, virtute Spiritus ſancti, & oratione beatæ Brigidæ virginis, & omnium Sanctorum & Sanctarum † Dei, Amen, † in nomine Chriſti, Amen, † Emanuel † Paracletus, † Sabaoth, † Iſchyros, † Athanatos, † In nomine Patris, † & Filij, † & Spiritus † ſancti. Amen.

De virtute & efficacia Exorcismorum.

CAPVT XVI.

ADiurare est per assumtionem diuini nominis imperare, vel aliquem ad quippiam faciendum vel patiendum obsecrare, secundum beatum Thomam. Deo quidem nequimus adiurando imperare, sed obsecrando per gloriosum nomen suum, vel acerbam passionem, &c possumus impetrare. Diabolum autem non obsecrando, sed imperando seu cogendo vel inuitum, adiurare licet. Verũ hic emergit scrupulus, qui à Prælato ecclesiæ adiurari queat à consortio communitatis alienus, nec Prælati iurisdictioni subiectus? Respondendum occurrit, quod Princeps non habeat potestatem duntaxat compulsiuam, & vindicatiuam in subditos suæque curæ suppositos, verum etiam in extraneos, potissimum si communitati incommodent, aut nocumenta inferant, authoritatis suæ rigorem exercet, haud secus Prælati, communem humani generis hostem, Exorcismorum adiurationibus coërcere præualent, quanquam potestatem directiuam in illum non habeant, sicut nec Princeps in extraneos & hostes. Potest quoque & alia methodo hic dissolui nodus, vt minister Ecclesiæ potestatem habeat delegatam, dicente Domino, Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem potestatem inimici, non, inquam, ordinariam, sed delegatam. Quemadmodum Prophetæ non perpetuo immissionum supernarum afflatu fuêre irradiati, & continuo, sed quãdo cælica illuminationis impressione moti & diuinitus edocti. Nec indifferenter vbiq; locorum crebrescere solita sunt miracula, sed iuxta directionem & sacri pneumatis motionem, certis in locis determinatisque temporum spatijs sancti coruscâre miraculorum prodigijs: Pari modo Exorcismi restaurant omnibus & singulis optatã valetudinis incolumitatẽ, quibus secundum instinctum Spiritus sancti, efficaci virtute fuerint applicati. Nec verbis expellendi energia est, ex opere (quod dicitur) operato, instar Sacramentorum, quasi illis vis quædam indita sit quæ incunctanter cogat egredi dæmonem, sed sicut in orationibus quotidianis Deo oblatis, non infallibiliter præsumimus nos votis potituros, ita ex Dei miserentis clementia confidimus nos per exorcismos optatum effectum adsequuturos. Nõ raro etiam vsu venit, deprauatæ vitæ esse istorum ministros adeóque ipso diabolo ferme peiores, & quantumuis subinde dæmonem

Marginalia: *22. quæst. 90. art. 1.* — *Scrupulus.* — *Soluitur.* — *Alia solutio.* — *Lucæ 10.* — *Exorcismus non agit ex opere operato.*

monem deturbant, hoc magno suo malo efficiunt, imò timendum est diabolum ab obsesso cum adiuratus fuerit, abitum simulare, aut certè malle per huiusmodi feces hominum, quàm per timoratos expelli, vt sic bonos corruptis moribus faciant mancipatos, quos vtinam à nobis alienare satageremus, perinde atque dæmonia perhorrescimus, cum non tanti momenti res sit, à diabolo liberari, atque à peccato: dæmonum namq; obsessio regni cælorum fœlicitatem, vtpote pœna magis quàm culpa non excludit, quin potius saluti nostræ cooperantur vel inuiti. Duplex siquidem lucrum, si eam patienter tulerimus, reportamus: priori humiliores, secundum Ioannem Chrysost. efficimur, Altero pœnas peccatorum hic dantes, puri & incontaminati ad Dei conspectum migramus.

Profectus obsessionis dæmonum.

Homil. 41. in Acta Apostolorum.

DISTINCTIO NONA.

Scripturis, in cælis diuersi demonstrantur ordines.

CAPVT I.

VRbs cælestis prorsus est illustris, & non sicut apud nos videmus, in palatia, domos plateasque distincta, sed quicquid illius est vrbis, cælesti censetur splendore admirandum: Quemadmodum enim infantem magna inuaderet admiratio, si fari posset, quando ex angustijs materni vteri vastissimæ orbis moli effunditur, ita dubio procul ingenti repleretur stupore, qui isto calamitosæ ærumnæ pelago emenso, fœlicissimo cælicolarum cœtui insereretur, vbi contemplari liceret Deum Deorum in Sion, eumque plurimo tremore suppliciter adorare, nec non numerosas militum eius cohortes, angelicas nempe incorporeorum spirituum naturas, quarum discrimina personarum, singularumque, quibus discernuntur diuortia, se ignorare confitetur D. Augustinus. Nobis tamen hisce de rebus scriptura diuina quædam insinuat, præsenti negotio haud parum accommoda. Paulus siquidem Apostolus ad cælorum sublimitates euectus, quadripartita differentia didicit nomina exprimenda, Principatum scilicet, Potestatem, virtutem, & dominationem: Quibus nomenclaturis asserere videtur diuus

Pulcra similitudo.

Enchirid. cap. 58.

Ephes. 1.

L 5 Augusti-

Enchirid. cap. 58. Augustinus, Paulum vniuersam angelorũ societatem esse complexum: Quod sane (citra praeiudicium tanti viri) non videtur vero simile, cum subnectat, Et omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro: Quibus verbis manifestat, in altero illo saeculo alios esse spirituum ordines, supra quos Christus Dominus esset ascensurus. Vnde in Epistola
Cap. 1. ad Colossenses, Virtutes quidẽ praetermittit, sed Thronos annumerat. Quibus scripturarũ passibus quintuplicẽ angelicorũ
Roman. 8. ordinũ colligimus differẽtiam. Alios adijcit idẽ, quos Angelos appellitat peculiariter, atq; à caeteris ordinibus dirimendos demonstrat, cum ait, Neq; Angeli neq; Principatus, neq; virtutes:
2. Thes. 2. In alia quadam eiusdem Epistola, aliud quoddã nomen nempe Archangeli, expressum reperimus: cuius etiam meminit Iudae
Matth. 24. Epistola. Pollicetur quoque Dominus se missurũ angelos suos,
Cap. 6. atque generali nomine vniuersos complectitur. Apud Esaiam
Psal. 104. inuenias nomẽ Seraphim, nec vsquã alibi, nisi me fallat memo-
Genes. 3. ria. sic iuxta Dauidis testimoniũ, facit angelos suos spiritus, &
Ezech. 19. ministros suos, flammã ignis, seu ignẽ vrentẽ, quod coincidere
Psal. 17. & 79. videtur cũ Seraphim. Vocula Cherubim legitur apud Moysen, & apud Prophetam Ezechiëlem, nec non apud Regiũ Psaltem: Qui sedes super Cherubim. Atque his locis praelibato nomine, angeli significari existimantur, sed vtrũ ad omnes indifferenter pertineat, an ad peculiarem aliquem ordinem restringatur, non exprimitur: Quin potius angelo malo etiã attributum inueni-
Ezech. 28. tur, Tu Cherub extentus, &c. Ac in lib. Exod. etiam angelorum
Apoc. 25. & 27. imaginibus Propitiatorium respiciẽtibus, attributũ reperitur: Pari modo alibi illis imaginib⁹ quas in tẽpli parietibus exscul-
3. Reg. 6. pi iusserat Salomon, significãs fortasse hominũ actiones, angelis conspicari & considerari, siquidem Cherubim prospicientem significat. Illud quoq; studiosis perpendiculo examinis propen-
Cherubim. sioris discutiendum est, vtrum Ezechielis primo & in Apocalypsi, per illa quatuor animalia intus & foris, ante & retro oculis plena, quadã periphrasi, Cherubim describantur, qui meritò prospicientes appellantur, quod adeò oculis circũdata referantur. Itaque nouem quidẽ ex sacris eloquijs elicimus, sed euidenter ex ijs cõcludere nequimus, ac efficaciter nouenariũ differentium ordinum numerum, quanquam sex distinctos irrefragabiliter ex Epistolis D. Pauli Apostoli discamus. Verum quid prisci ac sancti Patres, hac de re statuerint, aperiendum restat.

Vniformis sanctorum Patrum sententia est, distinctos esse 9. ordines angelorum.

CAPVT

CAPVT II.

ORthodoxi Patres prelibatis scripturarũ testimonijs edocti, nouem ordines angelorum distinxerũt. Beatus siquidem Dionysius cõmemorat ex professo, nouem esse angelorũ ordines, quos in ternas hierarchias ad superbenedictæ Trinitatis honorem, terq; repetitas distinctiones diuisit. Hierarchia autem est quædã ordinata multitudo sub vnius principis gubernatione constituta: Sicut namque Ciuitas legibus & consuetudinibus regitur, ita à Deo Hierarchiæ dirigũtur, quarũ suprema est eorũ, quos Deus ita gubernat, vt immediate rationes rerum in ipso Deo contempletur, secundũ D. Athanasium: Hec Hierarchia tripartitam sortitur ordinum secundũ beatum Dionysium Areopagitam, diuisionem, quoniam prima hæc

Hierarchia quid.

Lib. de communi essentia Cælest. Hierarchiæ, ca. 6.

Complectitur, { Seraphim, Cherubim, Thronos.

Media Hierarchia est eorum, quibus potissimum in istis inferioribus regimen est demandatum:

Tres similiter complectens ordines { Dominationes, Virtutes, Potestates.

Infima Hierarchia est eorum, quibus Deus delegauit rerum ab alijs dispositarum exequutionem, &

Continet secundum eundem Dionysium { Principatus, Archangelos, Angelos.

Lib. 2. orthodox. fi cap. 3.

VErum hic non congruit inter beatum Dionysium loco præmisso, cui subscribit Ioannes Damascenus, & diuum Gregorium re & nomine Magnum, cuius sententiã profert beatus Bernardus, quia Dionysius cõstituit virtutes medio loco, in secũda Hierarchia, & Principatus primum locum occupant tertię Hierarchiæ: Gregorius verò contra, Principatus collocat in medio loco secũdæ Hierarchiæ, Virtutes autem primo loco in tertia Hierarchia: Quę diuersitas inde manasse videtur, quod Apostolus Paulus non eodem semper ordine recensuerit hæc nomina, nam ad Ephesios, Principatus anteponit, deinde ascendendo, potestates, virtutes, & Dominationes, quem ordinem sequitur cum Damasceno Dionysius. In Epistola autem ad Colossenses, Dominationibus immediatè subijcit Principatus: Siue Throni, inquit, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, qui ordo videtur Gregorio & Bernardo præ oculis

Lib. 40. homil. 34. & 32.
Moral. ca. 18.
Lib. 5. de considerat. ad Eugenium, & homil. 19. super Cant.
Cap. 1.
Cap. 1.
Diuersitas distinguendi Dionysio & Grego. vnde.

præ oculis fuisse. Beatus Ignatius quoque, beati Ioannis Apostoli discipulus, epistola quam scripsit ad Trallianos (quam nominatim D. Hieronymus ipsius esse testatur, licet de aliquot alijs ambigat) nouem Angelorum ordines expressit. D. Ioannes Chrysostomus, Si mentem, ait, extendas ad Angelorum exercitum, & Archangelorum, & supernarum virtutum, Thronorum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, Cherubim & Seraphim, quæ mens, quis sermo enarrare sufficiat? Gregorius etiam Nazianzenus similem prodit nouenarium cum prioribus, demto, quod Hebraica vocabula vertat in notiora, splendores pro Cherubim, accensiones pro Seraphim substituendo. Methiodius in hæresi Origenis, septem posuit ordines. Nec te moueat, quod septem duntaxat recenseat, neque enim ex professo id agit, vt numerum ordinum tradat, sicut nec D. Ambrosius. In ipso etiã Missę canone, ac præfatione, & in cantico, Te Deum laudamus, aliquot ordines enumerantur, sub quibus intelligendi veniunt reliqui. Ex his cuique perspicuum relinquitur, ab exordio nascentis Ecclesiæ receptam fuisse hanc sententiam, super nouenario distinctorum ordinum numero: Neque enim paruæ authoritatis viros, sed vetustissimos clarissimosque patres, eò in medium protulimus, ne quisquam hanc receptissimam sententiam ceu commentitiam subsannet, aut suggillet scholasticos Doctores, idem intrepida mente adseuerantes.

Homil. 4. in Genes.

Lib. 4. de Theologia.

Lib. 1. de fide ad Gratianũ, cap. 1.

De ratione nominum Angelicorum ordinum.

CAPVT III.

Offenduntur in scripturis nouem diuinorum spirituum nomina, quæ neque sunt omnibus communia, neque singulis propria, sed ad hoc imposita, vt diuersos eorum ordines denotarent, quorum quædam sunt Hebræa, vt Seraphim, Cherubim: alia Græca, Angelus, Archangelus: quædam Latina, Dominationes, Virtutes, Potestates, quod fortè ex his demum nationibus, cæteris Plutonica regna inuadentibus, cum angelis glorificentur in cælis. Assumuntur autem ista angelicorum spirituum nomina, à diuinis eorum proprietatibus & charismatum quibus pollent donis, Seraphim siquidem calefcentes vel incensores interpretantur, quia & diuina præ cæteris flagrãt charitate, & alios ad similis ardoris feruorem inflammant & excitant, possunt namque intrinsecus excitare maiori efficacia, quàm concionator viuæ vocis energia,

Nomina ordinum quare ex 3. ideomatibus assumta.

Seraphim.

Angeli & prædicatores u.oneus uau

nequaquam

nequaquam tamen illuminare præualent, ſed ad eius ſuſceptionem inducunt, & bonum præſentando per modum perſuadentium, teſte beato Thoma, Doctore ſeraphico quoque Bonauentura, monent nō mutant voluntatem, vehementius tamen quàm homines aut dæmones talis charitatis & ardoris lumine carentes. Nomenclatura Cherubim, ſcientiæ cognitionisq; copia deſignatur, ac vis diuinæ contemplationis, teſte beatiſſimo Patre Dionyſio, vbi ſupra. Et quemadmodum Seraphim ſexti-pennata leguntur ſecundum Damaſcenum, & D. Ambroſium hanc viſionem exponentem, ita Cherubim multis oculis prædita, quod oculis cognitio rerum & diſcretio fiat. Summos angelos Seraphim nuncupamus eoſque Cherubim anteponimus, qui à ſcientia nomen ſortiuntur, non quod in illa vita charitas cognitione vitæ eiuſdē præſtantior ſit, ſed quia nobis hic nihil charitatē anteuertit, idcirco ſupremos Seraphim, quod nomen à charitate ducitur, appellamus. Throni profectò ſedes Dei exiſtūt. Hic toto cęlo aberrat Caluinus in cōmentarijs ſuis, Thronos, inquit, quidam angelos intelligunt, ſed ego cæleſte & inuiſibile palatiū, ſedemq; immortalitatis ſignificari puto. Quia nimirum patres orthodoxos ſequi indignum iudicabat, in hāc abſurditatem ſe cōiecit, vt præter viſibile cælum ſpiritusq; beatos, aliam inſenſibilem quandam rationis tamen expertem, Dei ſedem cōſtitueret. Sed quis illud vnquam audiuit? Sanctus Paulus aſſerit Thronos in Chriſto creatos, quos non corporeos illos & conſpicuos cælos, ſed rationabiles vtique mentes confitemur. Si enim alibi homines templum & habitaculum Dei appellitet, cur nō & angelos Thronos ac ſedes, in quibus velut ſedeat Deus, appellabimus? ſumtum eſt autem hoc Thronorum nomen ex Daniele Propheta, vbi Troni leguntur poſiti, quibus antiquus dierum inſideat, non corporeæ ſedes, quibus antiquus dierum requieſcat: Ideoque dicimus quoſdam angelos adeò ſublimes ac præſtantes eſſe, vt peculiari vocula, Throni, Dei ſedes comprobentur. Secunda Hierarchia tres item comprehendit choros, Dominationes, Virtutes, & Poteſtates, quæ nomina non illis ratione Dei tributa ſunt, ſed reſpectus ad inferiora hiſce nominibus ſignificatur. Sicut enim reges terreni miniſtros ordinis habent, quorum ſit de rebus ac negotijs regni diſponere, iubendo vel poteſtatem præſtando, aut definiendo inferioribus id agere vt iuſſa regia perficiantur, ita ſecunda illa Hierarchia habet dominationes, quę exactè diſtinguere norunt vniuerſa, & virtutes quæ facultatem ac fortitudinem inferioribus præſtant ad exequendum, ac poteſtates, quarum ſit ordinare,

mutant voluntatem.

1. Parte *quæſt.* 111. *art.* 1. 3. & 4.

In 2. *diſt.* 9.

Sex alæ Seraphim.

Lib. 2 *orth. fid. cap.* 3.

Lib. 1. *de Spiritu Sancto, cap.* 22.

Eſaiæ 6.

Ezech. 1.

Apoc. 4.

Cap. 1. epiſtolæ ad Coloſſ.

Cap. 7.

2. *Hierarchia.*

dinare, quomodo quę definita sunt ac præcepta, possint impleri. Vel isto modo dominationes definiunt, quę & quonã modo debeant, virtutes fortitudinem ad exequendum præbent, potestates præcepta exequutionis demandant. Itaque secunda Hierarchia dispositionem agendorum sibi commissam habet: ad infimam verò Hierarchiam pertinet exequutio: In qua primi existunt principatus, deinde Archangeli, postremò angeli, qui generatim sunt diuinorũ iussorum exequutores. Archangeli ad maiora destinantur nuncianda, Principatus verò primò exequutionem aggrediuntur, vti fusius diuus Thomas Doctor angelicus, prælibato loco prosequitur.

Infima Hierarchia.

Lucæ 2.

Decimus ordo an ex hominibus constituendus.

CAPVT IIII.

ARbitratur diuus Bonauentura, decimum ordinem ex imperfectis hominibus constituendum, qui in vita non peruenerunt ad tantam meritorum excellentiam, vt ad ordines angelorum assumantur, argumento ex libris Regum & dragmate sumto Euangelico. Atqui ex eo non imperfectiores homines, decimum ordinem habituros colligendum est, verum æquè vniuersos electos, in quibus dragma decima perdita & inuenta, intelligitur secundum Rupertum. Sanctus etiam Augustinus docet, non esse duas angelorum & hominum societates, sed vnam: non duas ciuitates, sed vnam, sic namque habet: quibus commune est adhærere Deo, habent cum Deo & inter se societatem sanctam, & sunt vna ciuitas Dei, cuius pars coniungenda cum immortalibus angelis, ex mortalibus hominibus congregatur: cuius hæc est ratio, quod vnum sit & angelorum & hominum summum bonum, idemq; omnium vltimus finis, vna prorsus beatitudo in Dei visione consistens, sicut contra non duę existunt dæmonum & hominum societates damnatorum, sed vna ex his conflata societas, ob vnum miseriæ finem maledicta; Itaq; existimandum non est, in illa immortalitatis sede, quendam hominum ordinem, à cæteris separatum fore, qui decimus sit, siquidem Christus ait, Qui me negabit coram hominibus, negabo & ego eum coram angelis Dei, & qui me confessus fuerit, confitebor & ego coram angelis Dei. Quod si vna societas non esset, bonorum hominum angelorumq; futura, quid ad nos pertineret, quod corã angelis ille nos esset confessurus? Pollicetur idem Dominus noster pijs hominibus, cum angelis sanctis æqualitatẽ. Præterea angeli & homines pariter, in eodem

Lib. 2. dist. 9. quæst. 7.

4. Reg. 22. Lucæ 15.

Lib. 2. super Ge. cap. 15. Lib. 12. ciuit. Dei, cap. 1. & 9.

Matth. 18. & 22. Apocal. cap. 5. & 7.

In eodem loco, in eadem societate Deum collaudant, & in circuitu throni consistūt. Quantū etiam attinet ad premium substantiale, quod protinus in cōuersionis primordio obtinuerunt, iam angeli sunt extra statum merendi, nec maiores graduum aut ordinum ascensiones facere conualescunt, sed homines pręualent per gratiæ incrementa, sacramentorum præsidia, Christique passi beneficia, in hac ærumnosa vita ascendere, maioremque meritorum cumulum comparare. Nobis quoque plura quam angelis contulit secundum Augustinum, quia membra sumus vnigeniti eius, quæ ad angelorum societatem & æqualitatem gratiæ suæ largitate perducit. Imò quidam nos angelis præferunt, quod pro nobis non angelis sit mortuus. Sed hanc sententiam triphariam oportet considerare. Primò, quantum ad reputationem diuinam, sic homo vtiq; angelum multis parasangis antecellit, ratione vnionis hypostaticæ: non enim angelos, sed semen Abrahæ apprehendit. Secundò, quantum ad vtramque naturam in se, sic natura angelica haud dubiè nobilior est, tantoque excellentior quātò subtilitas spiritalis, transcendit crassitiem corporalis debilitatis. Tertiò, per relationem ad vltimum finem, qua æquales sunt angelis Dei: ad quorum ordines omnes & singulos, secundum meritorum exigentiam, vitæque transactæ proportionem, homines assumuntur, secundum Dionysium Areopagitam, Augustinum & Gregorium. Militiæ cœlesti, inquit in Moralibus, electorum quoque numerus iungitur, qui per sublimę mentis desiderium, à terrenæ conuersationis seruitute liberantur. Aliqui namque per Seraphicam charitatem ad supremum chorum sunt sublimandi, alij per sapientiæ donum ad Cherubim, alij per tranquillitatem mentis & inconcussi cordis patientiā, ad Thronos, alij propter validum quem fecere cum mundo, carne, & diabolo conflictum, ad dominationes: alij charismatibus virtutum ac miraculorū prodigijs, ad virtutes: alij deuictis illecebrosarum tentationum cupiditatibus, ad potestates: alij per gubernacula fideli regimine administrata principabuntur, nonnulli per grandiora salutis mysteria Archangelis inserentur, complures ob peracta minori negotio munera, angelorū choris inserentur: nulla siquidem ciuitas, teste beato Augustino, Dei, suorum ciuium numerositate fraudabitur, quin potius vberiori etiam fortasse copia multiplicabitur. Propterea humili deposcimus corde, vt nos vestro fœlicissimo contubernio sanctissimoque cōnsortio adsociare dignemini, qui viuitis & regnatis, ô beati ciues, cum Deo Patre, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Tract. 110. in Ioannem.

Humana natura, angelicā tri[b]us antecellit modis.

Hebr. 1.

Matth. 22.

De di. nominibus, cap. 1. Enchirid. ca. 29. 60. 62. Lib. 22. ciuit. cap. 1. Homil. 34. & 17. moral. cap. 9.

22. De ciuit. Dei, cap. 1.

Homines

Homines quot pro lapsis angelis assumendi.

CAPVT V.

CVriosa inutilis considerationis inuestigatione requiritur. Vtrum homines supernæ ciuitati inserantur, secundum numerum eorum, qui ceciderũt, an iuxta numerum eorum qui inconcussi perstiterunt. An futurus sit, saluãdorum hominum numerus æqualis damnatorum angelorum, aut sanctorum numero: an verò maior vel minor? Soli hæc Deo cognita sunt, & ijs quos tali reuelatione dignatur. Atqui inquis, hoc affirmare, in calce prioris articuli D. Augustinus veritus non est, quando ait: Nulla ciuium suorum numerositate ciuitas illa fraudabitur, ergo persuasum habuit, tot ex hominibus adsumendos, quot exciderunt angelis. Sed illatio fallit; Quid si enim in vnius lapsi angeli locum, duo vel plures substituantur homines, aut plurium lapsorum loco, qui non suum seruãrunt principatum, succedat vnus homo sanctitatis prærogatiua insignis, qui pro illis pluribus sufficiat: Nec aliud ijs asserit verbis, quàm ruinam angelicam, numero hominum infallibiliter supplendam; an autem æqualis ille, an minor vel maior futurus sit, non determinat. Quod autem alibi dicat: Angelos scire quanti numeri supplementum expectent: Hunc ad modum venit intelligendum. Probè norunt angeli quot demones gloriæ perenni exciderint, nec ignorant futurum, vt ille per homines numerus sit supplendus. An verò pluribus quàm ceciderint, an verò paucioribus, prorsus ipsos fugit. Atque vt demus, eum hoc ante asseruisse (quod tamen mihi persuasum non est, prudentior enim solet esse Augustinus, quàm vt in rebus prorsus incertis, temere quicquam affirmet) postea tamen quid sentiat, veluti retractans, pronunciat, dicẽs: Sed illorum ciuium numerus prædestinatorum scilicet, siue qui est, siue qui futurus est, in contẽplatione est illius artificis, id est, Solus Deus cognoscit, quãtus sit electorum numerus, in superna fœlicitate loeandus. Ad cuius societatem perducat nos rex angelorum.

22 de Ciuit. Dei, cap. 1 & Enchirid. cap. 29.

Obiectio.

Enchirid. cap. 62.

Restauratio, an hominibus, an angelis facta.

CAPVT VI.

Ephes. 1.

SEntentiæ apostolicæ, qua asseritur per Christum instaurari omnia quæ in cœlo sunt & in terra, expositiones variæ existunt, diuus Augustinus namque per ea, quæ in cælis sunt, intelli-

intelligit angelos, quos instaurari dicit, quia per homines Christi beneficio ad cælestem fœlicitatem assumtos, angelica suppletur ruina, homines autem ipsi instaurantur cum à peccati & corruptionis vetustate liberantur. Ad similem modum exponit illud Apostoli: Pacificari omnia per Christi sanguinē, cælestia & terrestria, quia per ipsum homines cum angelis redemit, quia fuerant vna cum Deo hominum peccatis offensi. Alij non absurdè negāt, ad angelos pertinere instaurationem illam, de qua Paulus loquitur, nec arbitrantur per ea quę in cælis sunt, angelos esse intelligendos, sed animas sanctorum hominum: Et hoc ab Apostolo dictum volunt, non homines modo in terris agentes per Christum instaurari, sed & animas sanctorum hominum, iam in cælo Dei visione esse beatos. Alij denique per ea quæ in cælo sunt, intelligunt homines hic viuētes, & imaginem terreni hominis portantes, hos instaurari existimāt, cùm à carnalis & terrenæ conuersationis corruptione, ad timoratæ vitæ perfectionē transferuntur. Veruntamen prætermittere hic neutiquam possum, elegātem Caluini (si dijs placet) commētarium nouum planè & absurdum: Is namque Augustini reiecta expositione (quam quidem veram esse non inficiatur, sed Apostoli loco minimè cōgruere.) Duabus, inquit, de causis oportet angelos cum Deo pacificari, nam cùm creaturæ sint angeli, extra lapsus periculum non erant, nisi per sanguinem crucis essent confirmati. Deinde, inquit, in hac obedientia quam præstant, non est tam exquisita perfectio, vt Deo omni ex parte & citra veniam satisfaciant. Hic quid aliud asserit, quàm angelos venialiter saltem delinquere? neque enim opus est venia vbi nulla præcessit culpa? Subnectit: atque huc proculdubiò spectat sententia illa beati Iob, Et in angelis suis repperit iniquitatem. Huic figmento scripturæ veritatem opponamus. Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ, & Augustinum, non pro angelis mortuus est Christus, nec non in Symbolo, Christiani confitentur: Qui propter nos homines & propter nostram salutem, descendit de cælis. Pugnat quoque cum eo quod Dominus de angelis ait, Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in cælis est. Pugnat & illud: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, Rursum, milia milium assistebant ei. Quibus significatur testimonijs scripturarum, quod Deum videntes beata fruitione repleantur. Præterea Psalmographus ait: Benedicite Dominum omnes ministri eius qui facitis voluntatem eius. Et alibi: Deus glorificatur in consilio sanctorum. Profectò non magis glorificatur in consilio sanctorum angelorum, quàm hominum peccatorum,

Caluini calumnia super angelorum redemtione.

Hebr. 2.

Enchirid. cap. 61. *&* 62.

Matth. 18.

catorum, si & illi veniali culpæ sint subiecti. Postremò, si pro leuiusculis angelorum mortuus est Christus, ergo & pro grandioribus; ergo pro aliquibus mortuus est dæmonibus. Vidit hoc versipellis Caluinus obijci posse, ideoque subiecit tacitæ obiectioni respondens. Nec Christus, inquit, pacificator est hominum impiorum. Quid potuit absurdius dici? An te Caluine hoc docuit Paulus Apostolus, qui sic habet: Cùm adhuc inimici Rom. 5. essemus, pro nobis Christus mortuus est. Cui gloria & imperium per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

DISTINCTIO

DECIMA.

Omnes, an administratorij spiritus, & mittantur?

CAPVT I.

IN scripturis sacris, vocula angeli, aliquando generalem subit significationem, vt vniuersos beatos cōplectatur spiritus, sicut, Cùm venerit filius hominis, & omnes angeli ei' Hebr. 1. cum eo. Et alibi, Cui vnquā angelorum dixit, sede à dextris meis. Adorent eū omnes angeli eius. Et iterum: Laudate omnes angeli Dominum. Aliquādo particularē ascisit significationem, sicut apud Petrum, Profectus est, inquit, Christus in cælum subiectis sibi angelis & potestatibus. Sic plusculis locis apud Diuū Paulum Apostolum. Mouet hic quæstionem angelicus doctor 22. quæst. 9. art. 2. D. Thomas. Cum in sacris, inquit, literis Angeli nomen, interdū commune sit omnibus, interdum etiam certo ordini proprium: Quid causæ est, vt certis quibusdā peculiariter tribuatur? Quam quæstionem etiam sanctissimus pater Dionysius mouet in eo libro, quem de cælesti Hierarchia conscripsit, ac prius causam profert, cur omnibus attributum sit, quia nimirum omnes superiores, si non hominibus, saltem inferioribus diuina consilia pandunt: Seraphini, Cherubinis, & hi rursus subiectis sibi ordinibus. Cur autem certo ordini tributum sit, hoc angeli nomen, duas assignat causas; Quarum prior est, quod angeli superiores, quiddam præ reliquis excellentiæ habeant, vnde peculiari nomenclatura nuncupentur. At infimi nihil singulare præ cæteris habent, quo antecellant. Posterior causa est, quod infimi fere ordinis angeli, diuina iussa ad nos immediatè, ac per se

per se perferant. Hic iam controuersia minimè est dissimulanda, an omnes angelici spiritus mittantur? Cuius quæstionis ambiguitas, ex scriptura Danielis originem sumsisse videtur, vbi leguntur milia milium ministrare, & decies centena milia assistere ei. Qua loquendi formula, apertissimo discrimine ministrantes ab assistentibus dirimuntur. Assistere autem dicuntur, quibus est concessum secreta Diuinorum mysteriorum, in ipsa Diuinæ essentiæ claritate agnoscere, quod peculiare primæ hierarchiæ spiritibus esse, indicat beatus Gregorius re & nomine magnus, & Dionysius Areopagita, qui docet superiores spiritus vsus exterioris officij, nunquam vsurpare, cùm tamen Apostolus insinuet, omnes esse administratorios spiritus, & in ministerium missos: cuius sententiæ adstipulari probatur Esaias, vbi vnus de Seraphim dicitur missus. Vt autem res ista omnibus innotescat, notandum est, sententiam Paulinam esse verissimam ac certissimam: Nec tamen Dionysium hallucinari, aut cum Apostolo ex diametro pugnare, quia bipartita secūdum sanctum Bonauēturam, doctorem Seraphicum, nec non S. Rom. ecclesiæ Cardinalem, reperitur missio. Vna exterior, dirigitur ad nos. Altera interior ad alios angelos, sed propter nos: Hac supremi destinantur angeli, non ad nos, sed vt illuminent & instruant ordines inferiores in omnibus, de quibus nos informare incūbit. Nec his obstat sententia Esaiæ, vbi legitur vnus Seraphici ordinis ad prophetam missus, quoniam sanctus Dionysius superioribus ordinibus externam missionem recusans, bifariam respondet. Priori modo, vt Seraphim impropria acceptione vsurpetur, sic vt angelus inferioris ordinis, qui ad prophetam venit, ratione incensionis labiorum & purgationis, per Metaphoram Seraphicus dicatur: Altero modo, vt mitti impropriè accipiatur, non quasi Seraphim immediatè, Esaiæ labia calculo mundauerit ignito, sed quod alius eius iussu hoc fecerit, secundum beatum Thomam Aquinatem: sicut Summus Pontifex, dicitur aliquem absoluere, etiam si per alium Sacramentum absolutionis impendat. Subdit tamen diuus Gregorius, quo liquet eum super hoc argumento ambiguum fuisse, quod nobis hac in parte non est illicitum: In quibusdam, inquit, scripturæ locis, per Seraphim, quædā verò per Cherubim agi didicimus, vtrum per se hoc faciant, an per subiecta agmina, quæ maiorum sortiuntur vocabula, nos affirmare nolumus. Secunda missio appellatur exterior, quando circa nos, aut corporalem aliquam creaturam, angeli aliquid Diuino iussu operantur, sic missus fuit angelus, qui Petrum Apostolum de habitaculo

Cap. 7.
Assistere quid.
Lib. 2. moral. cap. 3.
Cælest. hierar. cap. 3. 7. & 9. eccl. quoque hierarch. cap. 1.
Hebr. 1.
Esaiæ 6.
Lib. 2. dist. 10. quæst. 2.
missio angelorum duplex.
Cælest. hierarch. cap. 13.
1. part. quæst. 112. art. 2.
Homil. 34. lib. 40. hom.

Actor. 12. carceris eduxit, & Raphaël Tobiæ organa peremti visus refor-
Tobiæ 12. mauit, ac Saram vxorem iunioris Tobiæ à dæmonum illusione liberauit. Ista & huius generis alia officia, nunquam obeunt angeli superiores, teste eodem Thoma, vbi supra. Nec his refragatur sententia Paulina, qua omnes docet administratorios esse spiritus, quia non omnes ad ista corporalia mittantur exequenda, tamen secundum effectum spiritualem & intellectualem, quo vnus alium illuminat, quadammodo mitti etiam sunt credendi: quod Paulus comprobare videtur, quando pronunciat ipsos in ministerium missos, non ad nos, sed vt
Cap. 2. dictum est, propter nos; Superiores namque ad inferiores propter salutis nostræ negotia exequenda destinantur, quemadmodum apud Zachariã legitur, Ecce Angelus qui loquebatur in me egrediebatur, & alius angelus egrediebatur in occursum eius, & dixit ad me, curre & loquere ad puerum istum: super
Lib. 28. moralium, ca. 2. quibus ita habet D. Gregorius, In conspectu conditoris angelica ministeria, ordinata graduum positione distincta sunt, vt & pro communi fœlicitate beatitudinis opificem suum simul videntes gaudeant, & pro dispositione dignitatis alijs alij subministrẽt, ad Prophetam angelus angelum mittit, & quẽ secum de Deo gaudere communiter conspicit, & docet, & dirigit, quia eum & per superiorem scientiam virtute cognitionis, & per præstantiorem gratiam, culmine potestatis excedit. hæc ibi.

Angeli foras missi ab intimis non recedunt.

CAPVT II.

NVnquam aliquis existimauit, angelos vllos quoquam
Matth. 18. emitti à Deo, vt ab eius facie & contemplatione discedant: semper (inquit Seruator) angeli eorum vident fa-
Dæmones vbique pœnas circunferunt. ciem Patris mei, qui in cælis est. Quemadmodum enim dæmones nullibi non existentes, perpetuæ suæ damnationis cruciatum circunferunt, ita sancti angeli nullibi diuina æternæ Lucis contemplatione destituuntur, sed æterna semper etiam
Lucæ 1. apud nos constituti, visionis perfectæ beatitudine perfruun-
Cap. 12. tur: vnde Gabriël ad Zachariam cum esset missus, tamen
Homil. 34. lib. 40. astare se dixit ante Deum, & Raphaël similiter adstare ante Deum legitur apud Tobiam. His consentaneus est diuus Gre-
Homil. lib. 2. moral. cap. 2. & lib. 17. cap. 9. gorius: Cum, inquit, ad nos veniunt, sic exterius implent ministerium, vt tamen nunquam desint per contemplationem, adeo vt mittantur foras & assistant, quia etsi circunscriptus sit angelus, summus tamen spiritus ipse qui Deus est, non est circunscriptus;

cunscriptus: Iugiter igitur diuina fruuntur visione, nec impedit exterius ministerium, quia sicut ex congruitate decet in templo fieri obsecrationes, quod est domus orationis, extra illud tamen non minus valet oratio. Atque istud alio Thomas probat exemplo ab Episcopo sumto, cuius honor non minuitur, licet cathedrali actualis sessionis pompa non præsideat. Et sicut luna recipit lumen à sole, vt inferiora illuminet corpora, ita etiam cæligenæ simul illuminantur diuina beatæ visionis contemplatione, & sedulo obsequiosi officij ministerio, illuminant ista inferiora.

1. Part. quæst. 64. art. 4. & in scripto 2. dist. 10.

De sancto Michaële.

CAPVT III.

CVm diuersi diuersimodè sentiant, ad quem pertineat sanctus Michaël ordinem, nobis potissimum illa probatur sententia, quæ, ipsum supremum omnium existimat: Primum quod in Apocalypsi ita scriptum habeamus, Michaël & angeli eius, præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius: Sicuti enim rectè colligimus diabolum & draconẽ cæterorum principem esse, iuxta illud, Qui paratus est diabolo & angelis eius, nec facilè in pluratiuo offendamus numero: ita rectè colligimus in eo certamine, quod pro Dei gloria ab angelis sanctis susceptum est, Michaëlem primarium totius exercitus angelici ducem esse; Arbitramur siquidem ipsum incitatorem & aliorum exhortatorem fuisse (saluo semper Catholicorum melius sentientium iudicio) vt sub Deo & cum Deo permanerent, nec sui pulcritudine & amore capti, obtutus mentis à Dei consideratione auerterent. Cùm enim Sathanas, (qui, Antonomasicè principem dæmonum licet vsu scripturarum significet, tamen si vim nominis rationemque spectemus alijs communicatur, Si Sathanas Sathanam eijcit) ageret, vt omnes omnino ipsum quoque Michaëlem à Deo auocaret, atque in eandem impietatem pertraheret. Apparet hunc Michaëlem primum fuisse, qui se opponeret, & illi (Deo se æquare volenti) dixisse, Quis vt Deus? tanquam diceret, grauis & nimia hæc est cæcitas, atque intolerandum malum, sibi quod Deo proprium est arrogare, quæ potest creatori creatura comparari? at ex hoc facto memorabili, nomen sortitus videtur: Michaël enim tantundem valet, atque, Quis similis Deo? aut, Quis vt Deus? Quod nomen illi à Prophetis attributum, comprobat eos nequaquam ignorasse illud ma-

Cap. 12.

Michaël angelus quis & qualis.

Marci 4.

Fuit reale, sed non corporale bellum inter Michaelem & draconem.

gnæ virtutis facinus. Virtutis namque tantæ merito omnium princeps, & dux effectus est. Deinde Daniel prophetes scribit, Michaëlem vnum de principibus primis fuisse: Nec absonum videri debet, per vnum de principibus primis accipere, primum de primis principibus, quemadmodum Genesceos, primo capite dicitur: Et factum est vesper & mane dies vnus, id est, primus. Et in Euangelio quod legitur: Vna Sabbati, idem valet quod prima Sabbati, siue hebdomadæ. Vnde Marcus Euangelista eandem rem exprimens, ait, Mane prima Sabbati. Eundem ad modum vnum, pro primo positum esse arbitror. Huic sententiæ consonat illud, quod in Ecclesia, in festo sancti Michaëlis canitur: Collaudemus venerantes omnes cæli milites, sed præcipuè primatem cælestis exercitus Michaëlem, in virtute conterentem Zabulon. Hinc etiam opinor ab Apostolo Iuda, Michaëlem esse appellatum, non quod de secundo existeret ordine, sed quia esset omnium angelorum Princeps. Et cum in festo sancti Michaëlis, quod in Ecclesia singulos per annos celebratur, omnium sit festum angelorum, vt vetusti codices quidam probare possunt: tamen Michaëlis festum appellatur, quod is omnium primus, nobilissimus, præstantissimusque credatur. Verumenimuero his obuiare videtur, quod maximè ardua denunciare, summum decebat angelum, sed Gabriël præcipua nunciasse legitur, ergò maximus iste fuit. Quantum quidem memoria repeto, non repperi vsquam, Michaëlem quicquam nunciasse, aut vicem Mercurij subijsse, sed semper maxima egisse, populum propugnasse, ac instar Principis, protexisse. Fuerit igitur Gabriël nuncijs deferendis summus, at Michaël primas obtinet in actionibus partes, præclarius etenim est, magna agere, quàm annunciare. An Apostolos Christo Domino anteponendos censebimus, quia illi pluribus prædicarunt, pluresque longè, quàm Christus declamatorio sermone conuerterunt, & à diaboli laqueis resipiscere fecerunt? minimè verò, hanc enim apostolici muneris gloriam, Christus Apostolis concedens, ipse suo munere functus est, quod erat infinitis partibus præstantius: Neque enim præcipua eius opera erat in prædicatione, sed in generis humani redemtione constituta fuerat. Ac inter ipsos etiam Apostolos, Petrum Principem esse asserimus, an quia plura scripto posteris transmisit ipso Paulo? nequaquam: An quia pluribus capiendis sagena Euangelij insudauit, ne id quidem, fuit enim & in hoc ipso à Paulo superatus, sed in guber-

Vnus pro primo vsurpatur.

Triplex pugna in angelis, prima bonus resistit malo. Apocal. 20. ligauit, &c. 2. malus resistit bono. Apocal. 12. Drac pugnabat, &c. 3. bonus resistit bono. Daniel 10. Princeps regni Persarum restitit mihi.

Obiectio.

Solutio.

Gabrielem antecellit Michaël.

gubernanda, pascendaque Ecclesia summus fuit, quod longè præstantius & excellentius non ambigitur. Præterea aduertendum est, Michaëlem primarium esse populi Christiani propugnatorem & custodem, nam quælibet Regio, Natio, Ciuitas (vt elucescet ex sequenti sectione) angelum sibi ad sui defensionem habet designatum, quemadmodum pontificem dicimus totius Ecclesiæ esse pastorem, sanctum Petrum. Sicut enim olim populi Iudaici custos fuit ac defensor, teste Daniële: In illo tempore, inquiens, consurget Michaël, Princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui. Ita modo est Ecclesiæ orthodoxæ, quæ nata est ex veteris Synagogæ fidelibus. Non minus dicitur constitutus à Domino, ad animas defunctorum suscipiendas, non quod hoc per seipsum semper exequatur, sed quod hoc illi tanquam principi, vt fieri per suos curaret commissum sit, hinc precatur Ecclesia, non cadant animæ in obscurum, sed signifer sanctus Michaël repræsentet eas in lucem sanctam, quam eius præsidijs præstet nobis Deitas beata Patris, ac Nati, pariterque sancti Spiritus, cuius reboat in omni Gloria mundo. Amen.

Cap. 12.

Michaël quomodo animas tuetur.

De Gabriële sanctissimo.

CAPVT IIII.

Cvius ordinis Spiritus sit sanctus Gabriël, ex sacris eloquijs colligi nequit, nonnulli autumant ipsum de suprema Hierarchia fuisse. Alij de infima, sed quod de suprema non fuerit, ex Daniele colligere promtum videtur, vbi scribit, Gabriëli tanquam à superiori dictum, Gabriël fac intelligere visionem. Diuus Bernardus opinatur hunc Gabrielem custodem gloriosæ virgini fuisse deputatum, hunc etiam constat ex sacra pagina, Dominicæ incarnationis, semper nuncium fuisse, tempus quoque venturi Christi prænunciasse, nec non lætabundas D. Ioannis Baptistæ, ac Christi Iesu Seruatoris nostri, in æternum benedicti, natiuitates euulgasse. Eundem Gabrielem, fuisse eum, qui in resurrectione apparuit quidam (quanquam incertum sit) opinantur. Nihilominus non incerto intimarum medullarum affectu, ego miser peccator precor, Angelus fortis Gabriël vt hostem Pellat antiquum, volitet ab alto, Sæpius cellam veniens ad istam Visere nostram. Amen.

Homil. 1. super missus est.

Daniel 9.
Lucæ 1.

De Raphaële angelo. CAP. V.

Cap. 3. 8. & 12.
Gabriël quid.
Raphaël quid.
Lib. 9. ſuper epiſtolam ad Romanos.
Viſione 4. in calce. 1. capitis Habacuc.
Angelorum nomina in ſcripturis nō vſitata.

INter particularia angelorũ nomina, in ſacris literis poſita, reſtat nomen Raphaël, vti habemus apud Tobiam, ex quo cuius ordinis ſit colligere non eſt integrum. Ac ſicut Gabriel fortitudo Dei interpretatur, ita Raphaël medicina Dei nuncupatur, vnde dulciſonis ſapphicorum carminum vocibus ſacroſancta emodulatur Eccleſia, Angelum nobis medicum ſalutis Mitte de cœlis, Raphaël, vt omnes Sanet ęgrotos, pariterque noſtros Dirigat actus. Amen. Cæterum alia propria angelorum nomina, ex ſcripturis elicere, res non ſinit. Origenes tamen docet quendam angelum Anahël appellatum, & in libro Paſtoris, vocitatur quidam angelus nomine Vriël. Diuus Hieronymus citat librum apocryphum in quo ſcriptum eſt, quendam angelum nomine Tyri nuncupatum: Verum quia hæc in apocryphis leguntur (vt ſequenti diſtinctione elucidabitur) eadem facilitate qua adducuntur reprobantur.

DISTINCTIO

VNDECIMA.

Homo an angelum habeat malum ſibi deputatum.

CAPVT I.

VNiuerſos nos tanquam in palæſtra conſtitutos, ac conſertis manibus validos cũ vigilibus hoſtibus, immundis ſpiritibus, ſeu angelis malis faciendos nobis conflictus, ex ſacris literis diſcimus: Non eſt, inquit beatus Paulus, nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus poteſtates & principes tenebrarum harum. Et Petrus, Apoſtolorum coryphæus, Aduerſarius veſter diabolus circuit, quærens non quem lædat, aut noceat, ſed deuoret: Itaque non hic in quæſtionem vocatur, impugnemur ne à dæmonibus, ſed an quilibet hominum angelum malum ſui exercendi cauſa, ſibi habeat deputatum, quod non ita certò conſtat. Licet enim Origenes arbitretur ſingulis hominibus, duos angelos bonum & malum eſſe datos, nullius tamen ipſius ſententia videtur eſſe roboris, potiſſimum cum varios in præfatis libris habeat eoſque craſſos errores, ſicut de diſceptatione angelorũ ſuper obitu Abrahę, & angelorum incuria punienda, & huius farinæ alijs, propter quos &

Homilia 11. ſuper Numero. 6.
Tract. 12. & 34. ſuper Lucam, & lib. 3. periarchon. cap. 2.

quos & similes, magno cum iudicio censet diuus Hieronymus eum esse legendum, imò damnatum testatur libro illustrium virorum, non solum à Theophilo Alexandrinæ ciuitatis Episcopo, verumetiam à summo Pontifice Gelasio. Et quia Origenistæ suum miscēt virus libro, cui nomen est Vitas Sanctorum patrum, in quo hominem impassibilem, & insuperabilem falsis monachorum paradigmatis probare nituntur, qui nunquam fuerūt, vel si fuerint, Origenistas fuisse omnibus est in confesso, Ammoniū videlicet, Eusebium, Euthymium, Euagrium, quin quoque & Isidorum, vt veritatem habeat illud Lucretij:

Origenes quare damnatus, epistola ad Tranquillum. *Dist. 15. cap. Sancta Ro. Ecclesia.* *Vitas Patrū liber ita apellatus reprobatur.*

Ac veluti pueris absinthia tetra medentes,
Dum dare conantur, prius oras pocula circum,
Contingunt dulci mellis flauoq; liquore.

Ita isti suum Ioannem in ipsius libri posuerunt limine, quem catholicum & sanctum fuisse nulli dubium est, vt per illius integritatem vitæque timoratæ prætextum, cæteros, quos posuerunt, hæreticos, Ecclesiæ intruderent: secundum beatum Hieronymum. Deinde opinio Origenis, nullius videtur esse roboris, quia in suæ sententiæ comprobationē allegat librum Pastoris, qui non dubitatur apocryphus secūdum eundem Hiero. Inter apocryphos eundē reiecit Gelasius Pontifex maximus in Concilio septuaginta Episcoporum, cuius decretum recitat Gratianus. Hac ratione reijcere licet & ipsum Cassianum, docentem etiam cuique duos esse angelos bonum & malum, quia eundem pro sua sentētia citat Pastorem, quare vtrumque iustissimo condemnationis titulo proscindit diuus Prosper, libro de gratia Dei, contra Cassianum. Verū si opponatur diuus Athanasius, dicemus eum sub initium libri de incarnatione verbi Dei, ecclesiasticum esse libellum Pastoris siuę Hermetis affirmasse, Ille quoque Pastoris, inquit, perquam vtilis est liber, Primò omnium, inquit, credo vnum esse Deum, qui omnia creauit ac perfecit. Sed vtilem eum in multis intellige, velut quod vnum Deum prædicet, qui cuncta creauit, sed pleraque alia, nigro sunt notanda lapillo.

Epistola ad Thesiphonē. *In prologo galeato.* *Dist. 15. cap. Sancta Ro. Ecclesia.* *Collatione 8. cap. 17. & coll. 13. ca. 12.*

De visionibus & illusionibus nocturnis.

CAPVT II.

Eorū quę dormientes videre nobis videmur, teste Macrobio, & beato Augustino, quinque sunt genera, quæ ad tres species reduci posse videntur, codē teste. Prima namq; dici

Lib. 1. in somniū Scipionis.

potest oraculum, quo per oculum exteriorē sensibiliter aliquid cernitur, vel aliqua sancta & grauis persona, apparendo aliquid euenturū vel non futurū denūciat. Tali visionis oraculo apparuit gloriosæ virgini & Zachariæ cęlestis ille Paranymphus angelus Gabriel, & Rubū quē viderat Moyses, mirāda significasse nō dubitauit diuus Ambrosius. Gedeoni quoq; ac Manue Sampsonis genitori angelus Domini stupenda rei futuræ enunciatione se videndū exhibuit: nec nō Christus in ęternū benedictus, Petro apparere dignatus est secūdum beatum Ambrosium, inquiēs, Eo Romā irerū crucifigi. Secunda est visio intellectualis, qua per species intelligibiles homini aliquid demōstratur, fieri nihilominus potest imaginaria, vt intellectualis non sit, quare Propheticæ prærogatiuæ authoritatem non assequitur, sicut Pharao conspexit septē boues obesas in somnis, itē & totidem macie squallentes, quarū significantia ipsum fugiebat, sic Nabugodonosor somnorinā quadripharíæ statuæ habuit imaginem, cuius interpretationē à Chaldæis perdiscere frustra cōcupiuit, & postea arborē excelsam vidit succidi, ac ramos eius præscidi, quā cū ignoraret quid portēderet, Prophetæ nomenclatura honorari nequaquā valuit, quoniam secundū sancti Danielis testimonium, Intelligentia opus est visioni, quam quia Ioseph & Daniel, non Reges habuerūt, prærogatiuam Propheticæ dignitatis obtinuerunt. Tertia visio est imaginaria, per quā similitudines nō externa specie ostēsæ visuntur, sed interiori sensu formatæ cernuntur, sic Hieremias vidit virgā vigilātem, ac ollam succēsam, & Esaias ædificiū templi. Hæc aliquādo fit vigilibus, exterioribus tamen sensibus ab omni actu alienatis sicut idem Propheta, vidit Dominum sedentē super soliū excelsum. Huiuscemodi sunt beati Ioannis Euāgelistæ visiones reputandę, licet enim sub figuris corporearū rerū scribatur Apocalypsis, creditur tamen ea omnia vidisse & intellexisse, quæ figuralibus ibi formis delineauit, vel ob aliorum quibus ipsa pura veritas præ sui splendore imperceptibilis fuit capacitātē, vel magis ob mysteriorum quæ non passim propalanda sunt occultationem, vt exerceantur digni, & ab intelligentia mysteriorū arceantur indigni, quod sicut in hoc, ita in alijs adumbratū fuit Prophetis, per velum ante sancta sanctorū expansum, intra quod non populo, sed sacerdotibus licebat ingredi. & sanctuariū portabatur obuelatum. Istæ quoque figuræ licet verè spiritualem asciscant significationem, non tamen sunt secundū rei existentiam, quod videntur: non enim substantialiter verum est, leones aquilas, & boues esse in cælo, sed sunt cælestes virtutes, quarum merita vel officia

Lib. ad Adimantum, cap. 28. Tho. 6.
Lucæ 1.
Lib. 1. de Spiritu sancto. cap. 16.
Oratione sequente epistolam 32.
Visio triplex est.
Gen. 41.
Daniel. 2. & 4.
Cap. 10.
Prophetæ intelligētia adsit oportet.
Esaiæ 6.
Visiones Apocalypseos quales.

officia proprietatibus istarum vel similiū bestiarum designantur. Hic notandū est diuersis modis varias occurrere dormientibus somnorinarum imaginum species ac formas, vnde Moyses, Si fuerit Propheta inter vos, in visione apparebo ei, vel per somnium. Et alius quidam: Per somnium in visione nocturna, &c. Aliquando enim reuelationes fieri noctu creduntur, quemadmodum Ioseph se fratribus per somnium vidit præferendum. Et gloriosæ virginis sponsum, quatenus in Ægyptum secederet angelus sopori datum admonuit. Nisi etiam aliquando cogitatione & reuelatione procederet, Daniel nequaquam Nabugodonosor visionem differens, à radice cogitationis inchoasset, dicens: Tu Rex cogitare cœpisti, &c. Dum itaq; somnium implendum insinuat, & ex qua cogitatione ortum sit, insinuat, patenter ostenditur, quia nonnunquā ex cogitatione & reuelatione, vt prælibatum est, generatur. Deinde etiam nisi à cogitatione & illusione, secundū Gregorium Magnum procederet, Salomon nō diceret, multas curas sequuntur somnia. Aliquando quoque illusione, nisi enim plerunque ab oculto hoste fierent illusiones, nequaquā vir sapiens hoc indicaret, inquiens, multos errare fecerūt somnia. Et alibi: Non obseruabitis somnia, quia via sentiendi, quæ intentionem ad oculos ducit, dormientibus, in cerebro cōsopitur, quare intentio in aliud conuersa, somniorum visa, tanquā species corporales adsint, cernit, vt dormiētes sibi vigilare videātur. His associanda sunt Phantasmata, quæ non plenè vigilem nec profunde stertentem, aliquas faciunt formas conspicari. In hoc genere secūdum beatum Augustinum est Ephialtes, quem publica persuasio quiescētes opinatur inuadere, & pōdere sui pressos grauare, quod nō est aliud, quam quædam in stomacho fumositas, vel à corde ad cerebrum ascēdens, ibiq; vim animalē cōprimens. Vltimò vētris ingluuie vel inanitate somnia fiunt, sed haud facile determinatur, quo præmissorum modorū cōtingant, nā mundanis dormientibus subinde prospera promittuntur, & trepidis aduersa in somniis intentantur quatenus indiscreta mens diuersa afficiatur qualitate, aut subleuata spe, aut depressa timore confundatur. Sanctos etiam & timoratos lacessunt hostiles nequitiæ, aliquando vt remissiores fiant, quia quo vigilantes minus superant, eo dormientes grauius impugnant, quod Deus permittit, secundum Gregoriū, vt nec Sancti à passionis præmio somnus vacet. Verum non meritum reportaret, sed mortem potius accersseret, qui similis illi cuius Augustinus mentionem facit, existeret: Memini me audisse, inquit, à quodam, quod tam impressam, & quasi

Numer. 12. Job 33. Gen. 37. Matth. 1. Daniel. 2. *Lib. 8. moral. cap. 13.* Eccles. 5. Eccles. 34. Leuit. 19. *De spiritu & anima, cap. 24. & 25.* *Ephialtes quid.* *Eo loci.* *Lib. 11. de trinit. cap. 4.*

& quasi solidam speciem fœminei corporis in cogitando cernere soleret, vt ei quasi se misceri sentiēs, etiam genitalibus flueret. Vnde idem alibi de consentionibus somniantium, qui contra propositum suum vel etiam contra licitos mores concumbere sibi videntur, iam dicendum est: Quod non contingit, nisi cum ea quæ vigilantes etiam cogitamus, non complacito consentionis, sed sicut etiam talia propter aliquid loquimur, sic admonentur in somnis & exprimuntur, vt eis naturaliter etiam caro moueatur, & quod naturaliter colligit per genitales vias emittat, sicut hoc ipsum dicere vtique non possem, nisi etiam cogitarem. Porrò imagines rerum corporalium, quas necessariò cogitaui, vt hoc dicerem, si tanta expressione præsententur in somnis, quanta præsentantur corpora vigilantibus, fieret illud, quod sine peccato fieri à vigilante non posset: Quis enim, vel cum loquitur, & postulāte sermonis necessitate de suo concubitu aliquid dicit, possit non cogitare quod dicit? Porrò ipsa phantasia, quæ fit in cogitatione sermocinātis, cùm ita expressa fuerit in visione somniātis, vt inter illam & veram commixtionem corporum, non discernatur, continuo mouetur caro, & sequitur, quod eum motum sequi solet, cùm hoc tam sine peccato fiat, quàm sine peccato, à vigilante dicitur, quod vt diceretur sine dubio, cogitatum est. Veruntamen propter animæ affectionem bonam, quæ desiderio meliore mundata, multas interficit cupiditates, ad naturalem carnis motum non pertinētes, quem casti vigilantes cohibent, & refrenant: Dormientes autem ideo non possunt, quia non habent in potestate, quæ admoueatur expressio corporalis imaginis, quę discerni nō possit à corpore; Propter illam ergo affectionem animę bonam, etiam in somnis quædam eius merita clarent: Nam etiam dormiens Salomon sapientiam præposuit omnibus rebus, eamque neglectis cæteris est precatus à Domino, & sicut scriptura testatur, placuit hoc coram Domino, nec distulit retributionem bonam, pro desiderio bono. Super his si attenta mentis consideratione scrutemur, quid facto opus sit die sequenti communicaturo, aut sacris operaturo, quanquam sanctus Augustinus doceat, Non nocere, quæ non placent. Cui assentitur illustrissimus Cardinalis, Thomas Caietanus, Quotlibeto primo, & in Summula de peccatis: tamen ob tantorum reuerentiam Sacramentorum, humilis confessio, saltem est præmittenda, licet sanctus Gregorius tutiorem viam existimet (quod intelligendum opinor, seclusa scandali occasione) solis occasum semel esse transactum.

12 de gen. ad literā, cap. 15.

Serm. 20. de verbis Domini.

Nocturna pollutio requirit confessionem.

lib. 9. moral. cap. 31.

De spe-

De spectris & genijs.

CAPVT III.

VIderetur prælibatus, paulò ante articulus, aliquam veritatis speciem præferre, si electis tantummodo, pijsque hominibus, dæmones ad exercitium dedisset: Nam quos seductos & victos in suam redegere potestatē, quis dicat à malignis spiritibus exerceri? Præterea quid obsecro necesse est, dæmones ad homines dari exercendos, cū illi sua spōte paratissimi sint, nec quicquā in maleuolæ mentis desiderio prius habēt, aut ardentius appetūt: quàm vt homines varijs tentationū mēādris expugnent? Sed nec Diuina ordinatione, nec voluntatis eius decreto, id fieri existimandum est, cum teste Iacobo Apostolo, neminem tentet. Quamobrem ridiculè gratias Deo agendas quidā censuit, quòd illius beneficio (vt persuasum habebat) tētatorem dæmonem accepisset, ipsoq; obsessus esset: Non enim quia aduersa patimur, aut tentationū mole premimur, potissimum gratię Deo sunt agēdæ, sed vt forti & æquo feramus animo precibus instādum est. Ac (ni me fallat opinio) profecta est hæc sententia à gentilibus ad nos, quorum sæpenumero prophana dogmata Christianorū instituto miscuit Origenes, quare hac in re valere quicquam, negatur eius authoritas, sentit siquidem post Platonem, suum cuique esse genium, sed & vrbes ipsas proprios genios accepisse, de quibus & similibus abundè differit diuus Augustinus; Dæmones enim illi quorum multitudinem habebant, varijs designabāt nominibus, vt modo vmbræ, modo manes, lares, lemures, aut genij appellitarentur. Neque tamen quisquam existimet, nos eo loco sanctos angelos habere custodes, quo illi sua spectra, aut genios (quod inconsideratè quidam asserunt) aut eandem ferè de custodibus angelis, Christianorum esse sententiam, cùm ea quæ gentilium de Genijs fuit, tantum interest, quantum inter Deum & diabolum, tenebras & lucem, pietatem & impietatem: Nam illi dæmones tanquam deos colebant, & Christiani sciunt angelos vnius summi Dei ministros & conseruos quales haberi etiam volunt.

Lib. 6. Ciuit. Dei, cap. 5. lib. 8. cap. 12. & libr. 18. cap. 5.

Discrimē inter Angelos & Genios.

Infidelibus, an angelus custos constitutus?

CAPVT IIII.

CVm liquido constet ex Daniēle, Persarum, ac Græcorum regna angelum habuisse custodem, non est improbabile quosque infideles, etiam spirituali protectione muniri,

adeò vt

adeò vt etiam ipse Antichristus, hoc præsidio destitutus non fuerit, quia lex communis propter vnius scelerati peruersitatem, infringi non debuit: Christo autem non fuit, quia nec defensione, nec suppetias laturo, vtpote comprehensor, cuius bonum tarda obstaculorum molimina nesciebat, indiguit. At quid officij (inquis) præstant hominibus infidelibus? nempe vt in tot scelera non ruant, in quæ alioqui præcipites irent. Deinde, vt aliquam in vita retineant honestatem, & ciuilitate morum humanitatem, sicut Romani, qui tametsi erant infideles, scelera tamen aperta non sinebant impunè perpetrari. Rursum tuentur infidelium corpora, ne lædantur, aut opprimantur. Fit idem, & hac ratione probabile, quod omnes homines, etiam infideles, Diuinæ prouidentiæ subiecti sint, qua regantur, Deus autem (vti supra manifestum euasit) vniuersas creaturas corporales, spirituali ac angelico gubernat ministerio: ergo, &c.

Christus angelo custode nō eguit, quia illis solum est angelus, qui possunt promoueri ad bonum vel impediri à malo.

De angelico erga homines obsequio.

CAPVT V.

IMpræsentiarum sermo instituendus est, de custodia angelorum, & cura erga homines, quæ sanè tractatio iucunda est, magnaque meritò nos voluptate & consolatione afficit. Quid enim magis è re nostra est, quàm intelligere, quemadmodum illi beatissimi spiritus cooperatores sint nostræ salutis? Et in scripturis quidem, proponuntur interdum nobis publica angelorum ministeria, quæ vti hominibus commẽdatiora redderentur, mirandis quibusdam, ac prodigiosis operibus illustrata sunt, velut in exitu de Ægypto, columna nubis, & ignis, traductione per desertum, in administratione legis, hæc omnia & eius farinæ alia admiranda opera sunt adhibita, quò nobis angelicum testimonium, ac nuncium, de vno vero Deo cæli terræque Domino potentissimo, esset commendatum. Rursum ad testificationem angelorum, de Christi Natiuitate, & futura, & iam transacta, magno stupore digna contigerunt. Stella apparuit, qua conspecta Magi, e suis Orientis sedibus excitati, Bethleem, vsque Regem Iudæorum, inquirentes peruenerunt; Angeli crepundijs noui partus applaudentes, profescenniis gaudijs apparuerunt: Sic in Dominica Resurrectione & in Ascensione, admirabilia & prodigiosa signa sunt edita, vt angelorum publica ministeria, & testimonia hominibus fierent contestatissima.

Singulis

Singulis hominibus, an singuli sint angeli?

CAPVT VI.

Hominibus triplices sacris literis adsignantur custodes, quorum primus est vniuersalis, qualis solus est Deus, teste sacto vate Iob, Quid faciam tibi ô custos hominum, hic pius Samaritanus, nisi me adiuuisset, paulò minus habitasset anima mea misera in inferno, hic nisi ciuitatem animæ meæ custodisset, iam dudum vrsisset super eam puteus os suum. Atqui benignissime Iesu, non solum vt pupillam oculi custodisti, sed iugum suauitatis tuæ excutientem retraxisti, ac puteo, in quo non est aqua, eripuisti, quare mea interiora omnia dicant: Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius; Secundus appellari potest Prouincialis, quod toti alicui genti, aut regno præpositus sit rector ac gubernator, teste Iosue, vbi apparuisse legitur angelus Domini, qui se principem exercitus Domini professus est, & apud Danielem, angelus Michaël, princeps vocatur Iudæorum, quod nimirum populum Hebræorum, peculiariter ad Dei cognitionem & cultum subuehendum suscepisset. Ad eundem modum qui Persis moderationem, & curam impēdebat, Princeps Persarum ibidem vocitatus legitur, qui verò Græcis præsidebat Græcorum. Pro eodem argumento stabiliendo, B. Basilius citauit, quod in Deut. habetur: Quando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum, iuxta numerum (secūdum versionem 70. Interpretum) angelorū suorum: Quo etiam testimonio ad idem dogma adstruendum vsus est, ante eum S. Dionysius Areopagita. Porrò horum ministeria, quasi publica sunt, quę nimirū in vniuersum, totā concernunt multitudinem. Cuius generis sunt, prælibato articulo constituta. Tertius custos est singularis, quod enim cuique hominum sigillatim adsit angelus, tanquā pædagogus quidā, & pastor ad vitam dirigendam, ex sacris eloquijs quoq; perspicuū esse potest: Vnde Seruator ait, Ne contēnatis vnū ex his pusillis, qui in me credūt. Dico enim vobis, quod angeli eorū, semper vidēt faciem Patris mei. Vbi aperte testatur, suos paruulis esse angelos custodes, si nāque vnicus duntaxat angelus multis fuisset commendatus, angelus eorū semper videt, dixisse sufecisset. Sic & Patriarcha Iacob, filijs benedicturus, Deus, inquit, in cuius conspectu ambulauerūt patres mei, Abraham, & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescētia mea, vsq; in presentē diē, angelus qui me eruit de cūctis malis, &c.

Margin notes: Iob 6. — *Triplex omnibus hominibus, & singulis custodia.* — Cap. 5. — Cap. 10. — *Libr. 3. de Spiritu sancto.* — Cap. 32. — *Cælest. hierarch. cap. 9.* — Matth. 18. — Genes. 48.

Pſalm.90. Hanc etiam angelorum cuſtodiam, agnouit propheta, dum ait:
Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te, in omnibus vijs
Pſalm. 33. tuis. Et alio in loco: Immittet angelus Domini in circuitu ti-
Actor.12. mentium eum, & eripiet eos: Et ſanctus Lucas de beato Petro
ergaſtulis carceris erepto, oſtiumque pulſante, dicebant euen-
tus ignari, qui intus erant: Angelus eius eſt, an autem ſingulis
hominibus, ſinguli deputati ſint angeli, ex ſcripturis irrefraga-
biliter & euidenter probari recuſat, quod ſequitur: Nominan-
tur quidem in ſacro Euangelio, pluratiuo numero, angeli par-
uulorum, ex quo conteſtatiſſimum eſt, plures eſſe angelos, qui
paruulis præſint, ſed non eſt inde conſequens, ſingulos exhiberi
ſingulis, quemadmodum, ſi tribus aut quatuor orphanis, duo
aſſignentur tutores, dicentur quidem paruuli illi, plures habere
tutores, ſed non ſinguli ſingulos. Sic ſe res habet in propoſito,
quanquam veteres, ſimul & recentiores doctores, probabiliter
ſingulis ſingulos cuſtodes attributos doceant. Hinc D. Hiero-
nymus, ſupra prædicto Matthæi paſſu commentans ait, Magna
eſt dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu Natiuita-
In 12.cap. tis, in cuſtodiam ſui angelum delegatum: Cui aſſentitur Vene-
Actorum. rab. Beda, & diuus Baſilius, qui declarant omni credenti in Deũ,
Concione 2. angelum aſſidere, ſi non ipſi nos, per praua opera noſtra fuga-
de ieiunio. lib. uerimus: quemadmodum enim apes fugat fumus, & columbas
3. cont. Eunomium, & in graueolentia, ſic cuſtodem vitæ noſtræ angelum, damnabile
abigit peccatum. Propterea admonet nos melliflua & bona
Pſalm. 33. nec nardus, Magnam tibi debet inferre reuerentiam angelicum præ-
non. 48. ſidium, reuerentiam pro præſentia, deuotionem pro beneuo-
Ber. Concio- lentia, fiduciã pro cuſtodia, cautè ambula, in omnibus vijs tuis,
ne 12. ſuper & in quouis diuerſorio, nec non in quouis angulo exhibe ange-
Pſalm. lo tuo reuerentiam, nec audeas ipſo præſente, quod vidente me,
Qui habitat. non auderes. Quando autem, vel quo tempore hanc cuſtodiæ
Reuerentia prouinciam ſuper nos aſſumant, apud ſcholaſticos doctores
angelis exhi- controuertitur. D. Thomas namque opinatur angelos noſtri
benda. curam, ab ipſa animæ infuſione ſuſcipere, ne fœtum diabolus
In ſcript. 2. enecet, aut lædat, vel ſaltem proniorem peccatis reddat. Diuus
diſt. 11. & Bonauentura doctor Seraphicus, probabilius, meo quidem iu-
part. 1. quæſt. dicio, hanc ipſis tribuit cuſtodiam, infantibus extra vterum in
13. articul. 5. lucem effuſis: Hancque ſententiam comprobauit, præfata D.
Lib. 2. diſ. 11. Hieronymi ſententia. Huic etiam Origenes aſtipulatur, quia in
Homil. 8. ſu- matre exiſtentes, cum matre tãquam aliquid matris protegun-
per Geneſ. & tur. Nec ad vnum, aut alterum diem, ſed iugi fidelis protectio-
tractat. 5. in nis cuſtodia, tam in corpore, quàm in anima, hominẽ ſibi com-
Matthæum. miſſum, angeli tuentur, nam hominem, quo ad corpus, ſancti
angeli

angeli ſuperſtitē nunquam deſerunt, nec à dæmonio occidi vel opprimi, niſi iuſta licet occulta diuini iudicij ſententia, aliud requirat, ſuſtinent. Quia autem actus animæ etiam à nobis dependent, ſubtrahunt ſe aliquando ijs, quos circa conſpiciunt oleum & operam (vt dicitur) deperditam, inſtant tamen opportunè, importunè, quatenus hominem induratum ad meliorem vitę frugem reducant, ac ſaltem ingraueſcentibus peccatis, ne in peiora præcipites ruant, retrahunt, nec omnino relinquunt, ſed ſubinde repulſam paſſi, ſaxeam obdurati cordis duritiem quo ad poſſunt fideli miniſterio emollire ſatagunt, ac ſedula piæ inſpirationis ſuggeſtione, vt præfatum eſt, compungere contendunt. Verum vbi eſt fortior cuſtodia, infirmior videtur ſuperfluere, ſi ergo non dormiret neque dormiat, qui cuſtodit Iſraël, fruſtra aliorum ſuper hominum cuſtodia, requiruntur excubiæ. Hic annotandum eſt, ſecundum Doctorem angelicum, duo operibus perficiendis eſſe neceſſaria: Priori, animus eſt habitibus virtutum inclinandus & immediatis gratiarum virtutibus ac chariſmatum donis afficiendus. Altero, his operibus inſiſtendis reperiunda eſt congrua methodus, qua prælibata dona exequutioni mancipentur, quorum inſtructio angelorum miniſterio, hominique, committitur diſpenſanda.

Sedulitas angelorum ergà nos.
Obiectio.
Reſponſio.
1. 2. Quæſt. 113. art. 1. ad ſolut. 3. arg.
Sicut ignis diſponit molliſicando ferrum ad formā cultelli, & malleus dilatat ferrū, artifex principalis agens formā induit: ſic angelorum eſt ad gratiam præparare per illuminationes, &c. ſed Dei eſt vltimam gratiam dare, quæ coniugit gloriæ.

Angelica qualia erga nos obſequia.

CAPVT VII.

Varij offenduntur in ſacra pagina effectus, quos nobis promto fidelis adiutorij miniſterio operantur angelici ſpiritus, ad tres ſpecies potiſſimum reducibiles, quia primò à peccatis retrahunt, ſecundò ad meliorem vitæ frugem inducunt, tertiò, in aduerſitatibus promti adiutores aſſiſtunt. Primò inquam, à peccatis retrahunt, quia arguunt hominem vitæ minus bene tranſactæ, ſicuti fleuerunt Iſraëlitæ angelica reprehenſione redarguti. Secundò, obicem ponunt peccatorum occaſionibus: quia angelus præcluſit viam Balaam ne procederet mala Iſraëli imprecaturus. Tertiò, tentationes diaboli refrenant, & vitiorum incentiua reſtringunt, vt liquet in Iacob, qui luctabatur cum angelo, cuiuſque femur emarcuit. Quartò, arcent ab hominibus dæmonum inſidias, & caſſes quibus ineſcare ſatagunt. Ad bona quoque totidem modis inducunt, Nam primò docent viam Domini ignorantes, & à recta ſemita exorbitantes. Nunc, inquit angelus, egreſſus

Tribus potiſſimum nobis ſubueniūt angeli.
Iudicum 2.
Numeri 22.
Gen. 32.
Daniel. 9.

ſum vt docerem te, & intelligeres. Secundò abdita myſteria pandunt, nobiſque abſcondita reuelant, quod manifeſtum
Gen. 18. euaſit in tribus angelis, myſterium ſuperbenedictæ Trinitatis & vnitatis exprimentibus, vbi etiam ſubnectitur, num
Serm. 1. de S. Andrea. celare potero? &c. Tertiò, vniuerſis paroxiſmis congrua ſanitatis cataplaſmata applicare norunt, teſte beato Ber-
Tobiæ 6. nardo. Vnde legitur, In proximo eſt vt cureris: Quartò, robuſtum ac validum in rebus gerendis reddunt animum: Sur-
3. Reg. 19. ge, inquit, comede: grandis enim tibi reſtat via. Tertiò, aduerſitatibus impendentibus eximunt, & hoc etiam quatuor modis, quoniam primò diſcrimina euitare faciunt, vti inno-
Cap. 5. & 6. teſcere poteſt ex ſancto Tobia. Secundò, hoſtes repellunt
Eſa. 38. & 4. longiùs, & furibundum bellicoſorum hoſtium animum
Reg. 19. ſternunt. Tertiò, inſuper orant pro nobis, & preces noſtras
Daniel. 12. Deo offerunt, vnde apud Danielem Michaël angelus, prin-
Zach. 1. ceps magnus ſtare dicitur, pro filijs populi Dei. Et alibi inducitur angelus, pro populo Iudaico orans, his verbis: Domine exercituum vſquequo non miſereberis Hieruſalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? Nec contenti pro nobis inter-
Tobiæ 12. ceſsiſſe, etiam preces noſtras Deo offerunt, ſicuti Tobiæ lo-
Apocal. 8. quitur angelus, Quando, inquit, orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas
Serm. 13. Pſal. Qui habitat. eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Quartò, ſecundum ſcripturam, cui ſuffragatur diuus Bernardus & Origenes, homines in extremo vitæ articulo, à dæmonum infeſtatione
Homil. 5. & 11. ſuper Nume. protegunt, & ad immarceſſibilem ſupernæ fœlicitatis coronam perducunt: Ad quam perducere dignetur Ieſus Chriſtus Rex gloriæ, nos vniuerſos, qui viuit & regnat Deus in ſæcula
Lucæ. 16. ſæculorum. Amen.

Angeli iam externa ſpecie non ita paſsim apparent.

CAPVT VIII.

Triplici ratione, eaque ſigillatim bipartita ſectione diuiſa, angelica natura obtutibus corporeis larua externæ ſpeciei, ſe exhibere recuſat: Prima ex parte angelorum occurrit ſumenda, qui ſua inuiſibili gloria, qua nobis officioſo miniſterio nihilominus obſequuntur, ab iſtis terrenæ infirmi-
Qualia fercula, vbi Chriſtus miniſter. tatis fecibus, ad ſolida ac immarceſſibilia cæleſtis patriæ bona ſubleuare mẽtes hominum conantur: Quocirca non quærimus præſentis vitæ illecebroſas conſolationes, ſed dapes ſupernas,

tantas,

tantas, quarum & ipse Christus minister est, intimis cordis medullis appetamus. Secundò, exuuijs nostræ mortalitatis non ita crebrò nobis, licet præsto sint, apparent, vt fidei meritum dignam accipiat retributionis mercedem, hinc diuus Gregorius, & ante eum sanctus Augustinus: fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum. Quod etiam in exordio nascentis Ecclesiæ, se oculis corporeis conspiciendos exhibuerint, nobis quoque illæ apparitiones ad euidentissimam inuisibilis præsentiæ fidem deseruierunt, secundum beatum Ambrosium: quod enim miracula tempore Christi & Apostolorum frequentata, nō solum illis, sed & nobis postea sequuturis facta sunt, vt licet maiores nostri tempore nos præcederent, tamen signorū gratia nō præirent, quæ enim exhibita est illis præsentia rerum in mirabilibus virtus, eadem virtus nobis literarum thesauro conseruata, vt nobis præstaret pagina, quod illis gerebat historia, & potentiam Domini quam illi carnalibus oculis cernerēt, nos spirituali lumine videremus: Ea sunt Christi miracula, vt non iniquitate prætereant, sed gratia conualescant, non obliuione sepeliantur, sed virtutibus innouentur; apud potentiam enim Dei nihil est abolitum, nihil præteritum, sed pro sua magnitudine, omnia illi in præsenti sunt, totum illi tempus est hodie, teste Psalmographo: mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quod si dies vna sit Deo omne tempus, eadem mirabilia, quæ Deus patribus operatus est, operatus est & nobis. Potest & altera subijci ratio, quare iam sancti angeli forinsecus apparere desinant: apparitiones siquidem habemus hic vice miraculorum, quia secundum sanctos Ecclesiæ Catholicæ Doctores celeberrimos, Augustinum & Gregorium, hæc necessaria teneræ fidelium ætati fuerunt: Vt enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda, quia & nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra iam coaluisse cognoscamus, at si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit, sic Ecclesia longè lateque in vniuersum orbem dispersa, ac ramis integræ fidei dilatata, infantilis ætatis miracula nequaquam requirit. Media ratio quare iam angelici spiritus non visibiliter corporales passim appareant, quæ est ex temporum statu petenda, etiam bifariam intelligi debet: Priori, quia corporali substantia habemus nobiscum in tremendo sacramento superbenedictum Dominum angelorum, ne ergo gloriam etiam beatorum spirituum visibiliter conspicantes hanc miserabilem tellutem pro Empyreo suspiciamus, quod superefluenti

Homil. 46. lib. 40. homiliarum.
Serm. 18. de verbis Domini.
Quando fides non habet meritum.
Serm. 20.
Miracula antiqua, & illis & nobis seruiunt.
Psalm. 89.
De vera religione, cap. 24.
Lib. 40. homiliarum.
Homil. 29. lib. 23. moral. cap. 11. & lib. 27. ca. 11.

suæ dignationis benignitate largitur, hoc in angelis recusatur: Quando namq; Dominum & magistrum nobis applaudimus præsentem, non debemus laruatam assumti corporis speciem seruorum inordinatè affectare. Altero modo, haud ignorandum est, ipsos antiquitus priscis patribus ad liberationem ob eundam apparuisse, sicuti liquido cõstat in Loth, Iacob, strage Assyriorũ, Tobia, Gedeone & similibus. Iã Christus copiosam fecit redemtionem, & si aduersa aliquando nos inuadant, illis qui secundum propositum vocati sunt sancti, cooperantur in bonum. Taceo illos humanam non ita passim assumere formam, quam probè cognoscant adeò in cælis per Christum glorificatam, quare etiam adorationem refugere non dubitarunt, teste August. & Gregorio Magno. Tertia ratio à nobis est petenda dupliciter, quoniam si apparerent, non humiliores effecti Deum laudibus extolleremus, & debitam angelis reuerentiam ostenderemus, sed humanum aliquid passi, præsumtuosa iactantia intumesceremus, quia spiritus vanæ gloriæ, secundum sanctum Ioannem Chrysostomum præcipuè nutritur à sanctitatis specie. Deinde altero infirmitatis humanæ extremo, indigni existimus, quo familiaritatem talem sanctissimorum ciuium supernorum sortiamur. Ventum quidem sæuientem oculis non assequimur, tamen violentum eius impetum in ædibus euertendis, nauibus submergendis, non raro experientia discimus. Helizeus dignus fuit, qui instructam cælestis militiæ Phalangem aspiceret, & cum preces fudisset, votis potitus, pueri oculos sensit apertos. Vnde beatus Ioannes Chrysostomus, Accipere oculos quibus ventura prospicias, Diuini muneris est donum. Talis fuit Helizeus, qui quoniam omnia mundana reliquit negotia, & amauit Propheticam vitam, regnum cæleste & supernam gloriam in terris adhuc positus vidit: Vidit enim quæ nunquam mortalis visus inspexerat, montem curribus igneis, atque equis flammeis plenum, armatorum turmas, & castra cælestis exercitus: Nemo ergo potest eorum qui delectantur præsentibus & caducis, cælestia ac spiritalia contueri: Qui verò ista contemserit, & velut vmbram hæc & puluerem duxerit, velocius ad illa perueniet: Nam & apud homines hic mos est, vt tunc thesauros suos & reconditas diuitias patefaciant filijs suis, cum eos iam adultos viderint, & puerilis lasciuiæ vitia respuisse: Donec enim his dediti sunt, non possunt eis parentum secreta committi: Ita ergo & anima nisi prius didicerit terrena contemnere, cælestia mirari non poterit, & è contra, donec terrena miratur, necessario

Gen. 18. Gen. 32. Esaiæ 37. Tobiæ 5. & 6.

Angeli adorationem quare recusant?

Apocal. 22. *Serm. 6. de temp. & lib. 27. moral. cap. 8.*

Homil. 5. super Matth.

4. Reg. 6.

Lib. 2. de compunctione cordis.

necessario cælestia spernit ac despicit. Hoc erat quod beatus Paulus aliquando dixit, Quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. 1.Corint.2.

Angeli an nostro profectu mereantur?

CAPVT IX.

Simul atque plusculis articulis elucidauimus immensa Dei clementia, naturam, conditionem, & officium angelorum, innumeris myriadibus nobiscum inuisibiliter agentium, secundum beatum Ambrosium, illum Psalmi versum exponentem, Amoue à me plagas tuas. Et illum alius Psalmi, Beati qui scrutantur testimonia tua: Omnia, inquit, plena sunt Angelorum. Et infra: Plenus est mūdus sanctarum virtutum, quia plenus est spiritualium nequitiarum: Iam dicendi ratio nos inuitat, vt demonstremus an aliquid spiritualis profectus meriti vel gaudij, illis ex custodiæ ministerio accrescat. Sanctus Bonauentura respondit, istud gaudium bifariam accipi posse, Vno modo extensiuè, quando videlicet quis de pluribus gaudet salutem assequentibus, sic haud dubie accrescit gaudium angelorum, sicuti liquet in corporum glorificatione, animæ accedente, secundum beatum Thomam Aquinatem, & eius farinæ alios. Alterum est intensiuum, quando scilicet quis copiosiori super aliquo gaudet affectu, quod est duplex, Vnum est accidentale, quod incrementa non excludit maiora, desiderant namque angeli prospicere: Et gaudium est illis super vno peccatore pœnitentiam agente. Alterum est essentiale, quo nequeunt beatitudinis suę augmentum promereri, quia iam adepti sunt plenam in consummata Dei fruitione beatitudinem, quod Magistro Sententiarū libro 2. dist. 11. videtur improbabile. Verum eadē ratione dicendum esset, etiam sanctis post hunc vitæ terminum, merita maiora sumere incrementa, Nam & ipsi quandoque angelorum instar, hominibus destinantur, quemadmodum in vita sanctorum Martyrum Geruasij & Prothasij, testatur Ambrosius, quos sibi vigilanti vna cū Apostolo Paulo apparuisse scribit: qualia etiam de Gamaliele legis doctore, alijsque quibusdam, produnt historiæ. Intercedunt præterea sancti pro nobis, quemadmodum & angeli: quoniam Iudę Machabæo visus legitur Onias sacerdos, manus protendens, & orans pro omni populo Iudæorum. Postea visus legitur etiam alius ætate & gloria mirabilis, de quo dixit Onias, Hic est fratrum amator, & populi Israël, hic est qui multum orat pro po-

Psalm. 38. *Sermone* 1. Psalm. 118. *Lib.* 2. *dist.* 11. *Gaudium angelorum duplex.* *In scripto.* 4. *dist.* 12. *quæst.* 2. *Angeli desiderant prospicere.* Lucæ 15. 2.Mach.15.

pulo, & vniuersa sancta ciuitate, Hieremias Propheta Domini. Quare si meritoriæ sint operationes illæ, quas salutis nostræ causa suscipiunt angeli, eadem ratione fatendum erit sanctos, per ea quæ post hanc vitam operantur noua sibi parare merita, quibus merces debeatur: quod illi sententiæ aduersatur, qua dicit saluator, me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est, venit nox quãdo nemo potest operari: Vbi indicat post mortem non esse locum parandis meritis: Quamobrem nec in angelis iam confirmatis, noua aliqua merita agnoscenda videntur, contra Magistrum Sententiarum; cum illis hoc sit confirmatio, quod hominibus mors. Neque opus est vt nouæ remunerationis promissione ad hæc inuitentur obsequia angeli, ad quæ sua sponte propensissimi existunt, sed nulla laboris molestia illis affingenda est, vt cum difficultate, aut vllo beatæ contemplationis impedimento hominum curam agere credantur. Non enim terrenarum rerum ministratio, à continua Dei visione distrahit, cum vbique Deum habeant præsentem, in quem iugiter mentis obtutus defixos retinent, quemadmodum de angelis paruulorum custodibus Dominus ait, Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. Quicquid ergo præmij redditur pro meritis, asscribendum est virtutibus ante confirmationem partis.

Ioan. ca. 9.

Post hanc vitam mereri non licet.

Dicuntur semper esse in cælo non localiter sed fruitione.

Matth. 18.

Angelis ob inutilem custodiam nil deperit.

CAPVT X.

ANgeli vtpote fœlici æternitate beati, ac summa beatitudine pleni, nullam lucis æternæ obnubilationem, ob damnationem hominis sibi commissi incurrunt, quia nullius doloris sunt capaces, ob abundantem gaudij plenitudinem, quod adeò suis numeris est absolutum, vt nulla ratione suscipere queat cõtrarij admistionem, nec vllum propter boni adepti stabilitatem, gloriæ detrimentum: Nihil siquidem est angelis, quod valeant amittere, nec ex parte meriti, secundum beatum Augustinum, nec ex parte præmij, cum sint in gloria consummati. Nec obstat quod habetur in sacris literis: Custodi virum qui si lapsus fuerit, anima tua erit pro anima eius, quia intelligendus venit passus de negligentia custodientis, quæ in angelos cadere non potest. Nec etiã officit, quod dicantur amarè flere angeli pacis, quia triplici sensu locus abundat, Primò literali, quo intelligitur de nuncijs Ezechiæ, propter verba Rapsacis missis. Secũdò, permittit allegoricum, vt significet Apostolos,

Lib. 1. contra Cresconiũ. de gratia. cap. 5.

3. Reg. 20.

Obiectio.

Solutio.

Esaiæ 33.

Angeli amarè flere quomodo leguntur.

ſtolos,peccata populi lugentes,& deplangentes,Tertiò,ſenſum aſciſcit Anagogicum, quo exponi poteſt de angelis bonis, qui amarè dicuntur flere, non ob doloris veritatem, ſed aliquam in affectu exteriori conformitatem, per Antropopathon & metaphoram, ſecundum Auguſtinum; quia ea quæ hominum ſunt, propter quandam ſimilitudinem ipſis etiam ſpiritibus attribuuntur, qui nos ſemper tueri dignentur. Amen. *Lib. 9. ciuit. Dei, cap. 5.*

Pia oratio ad ſanctos angelos.

CAPVT XI.

Domine Ieſu Chriſte, ſingularia tuæ pietatis erga me viſcera maturius expendens, gratias intimis cordis medullis benignitati tuæ refero: quæ tantam mei peccatoris curam gerit, vt in medio inimicorum, inſtar muſcarum circa me volitantium, conſtitutum, & hoſtili ſpiritualium nequitiarum agmine circunſpectum, ſalutari angelorum præſidio non deſtituerit. Benedicti etiam ſitis, & vos à Domino Deo excelſo beatiſſimi ſpiritus, & ciues cæleſtis Patriæ, qui tametſi naturæ dignitate & virtutum omnium perfectione longè antecellitis, nequaquam tamen me indignum aſpernamini, ſed ſtupenda humilitate condeſcendentes ſedulam mei curam agitis. O quoties me procelloſo marinorum fluctuum pelago eripuiſtis? quoties quaſi furore percitus, me eheu miſerum, æternæ mortis diſcriminibus (niſi vos obicem conſtituiſſetis) committebam? O quoties peccatis me execrabilibus diaboli iugo mancipaui, & veſtræ ſanctitudinis interceſſio, capiſtrum captiuitatis ac tyrannidis eius, me abrumpere fecit? Gratias ago vobis pro omnibus quæ retribuiſtis mihi, & humili corde veſtris dignationibus ſupplico, quatenus nolentem deinceps compellatis, & volenti ſuppetias feratis, quo tandem cæleſtis regni cohæredes, & conſortes habeam: gratia Saluatoris eiuſdem, qui viuit & regnat vobiſcum, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Vnde Diſtichon,

Angele qui meus es cuſtos, virtute ſuperna,
Me tibi commiſſum ſalua, defende, guberna.

Vel breuius Pentametro,

Angele ſancte Dei, ſit tibi cura mei. Amen.

DISTINCTIO DVODECIMA.

Omnia qualiter simul creata.

CAPVT I.

SImul atque iam multa pręmisimus de angelicis spiritibus, corporalia non temporũ duratione, sed dignitatis ratione transcendentibus, operæpretium fore ducimus, quæstionem in medium proferre, Vtrum Deus in exordio vniuersa simul creauerit in tanta rerum perfectione, tantoque omnium decore, atque ornatu, vt modò visuntur, nempe prata ridere, arbusta siluescere, maria crispantibus vndis intumescere, omniaq; quandam suæ speciei pulcritudinem in instanti præferre: An potius primitus quandam eamque maximam molem indigestam, confusam ac informem (quam Græci nuncupâre Chaos, teste Ouidio) produxerit, in quam processu temporum sex dierum vniuersum ornatum decoremq; quem modo summopere admiramur, ingesserit? Profectò vtraque sententia graues habet authores, vti videre est apud Magistrum: Posterior tamen videtur textui scripturæ sacræ conformior, & nobis (saluo vbiq; meliori iudicio) probabilior. Quorsum namque sanctus Moyses tam accuratè tamque articulatè singulorum opera dierum distinxisset? quorsum formatione rerum, vnum, hoc est primum, secundum, tertium, quartum, quintum, sextum diem recensuisset? discreuissetque? Quorsum etiam commemorat Dominũ opus suum complesse, & septimo die ab vniuerso opere, quod patrarat, requieuisse? Quomodo denique accipiendum erit quod sequitur, Plantauerat Deus Paradisum voluptatis à principio. Et iterum, Homo nõ erat qui operaretur terram? Quomodo quæso Eua ex viri costa est fabricata, si vniuersa debito perfectæ pulcritudinis decore simul sint creata? Nec alicuius roboris videtur, quod dicitur talibus ambagibus rerum productionem descripsisse, vt nostræ quasi infantiæ balbutiendo condescenderet, cum & hoc maximè locum in Deo obtineat, quia quemadmodum per rationalem creaturam vniuersa compleuit, ita etiam in omnibus faciendis illum perfectum seruare voluit modum, qui ipsius creaturæ rationalis

Lib. 1. metamorphoseos.

Lib. 2. dist. 12.

Sapien. 11.

commoditati potissimum congrueret: Hic autem ille erat, vt non obsequium duntaxat, verum etiam exemplum exhiberet, quo demonstraretur quod ab illo prius non existentem accepissent essentiam, sine quo formam & ornatum non potuerant habere confusa. Sic & rationalis creatura quodammodo informis est facta, quæ postliminio maioribus charismatum donis erat exaltanda. Nec istis refragatur sententia Sapientis, Qui viuit in æternum, creauit omnia simul, quia eodem momento simul & visibilium materia & inuisibilium natura essentialiter est creata, nihilque postea est factum cuius in ipso primordio, aut materia vt in corporalibus, aut similitudo vt in spiritibus, non præcesserit, nam etsi nouæ quotidie producantur animæ, noua tamen creatura non fit, quia in angelicis spiritibus iam tunc quando creabātur, similitudo præcessit: Primo igitur creata fuit illa moles (non omni destituta forma, qualis ab Aristotele materia prima describitur) in qua ordine naturæ non duratione præcedit materia, quam sit sub aliqua forma, cuius perfectionem anteuertit, inculta & indigesta moles, sicuti testatur scriptura, inquiens, Terra erat inanis & vacua, vel vt Interpres Chrysostomi habet, Inuisibilis & inculta. Basilius Magnus verò: Terra erat inuisibilis & inornata. Inuisibilem appellans, duas ob causas, aut quia nondum eius esset spectator creatus, aut quod submersa existens, ex superstante in superficie eius aqua, conspici nequibat. Beatus Augustinus autem legit, Terra erat inuisibilis & incomposita, quia nōdum virtutem producendi acceperat ea, quibus modo conspicitur adornata: Hæc siquidem est patribus materia informis & incomposita. Et tenebræ, inquit, erant super faciem abyssi. Sunt autem tenebræ luminis priuatio, in subiecto luminis susceptiuo: Abyssus propriè inestimabilis & immensa aquarum profunditas est, siue aqua quæ fundo caret: Hanc, inquit, vndique cooperiebant tenebræ, vtpote nondum formata aliqua luce, qua illustraretur: Accipiuntur etiam quandoque tenebræ pro ipsa aëris substantia, aut alterius alicuius perspicui luminis priuatione, quæ nata est illustrari, secundum quam acceptionem inter creaturas haberi debent, quæ more cæterarum laudent Deum. Iuxta illud, Benedicite lux & tenebræ Domino: Et spiritus Domini ferebatur super aquas. Aquæ formationem non expressit sanctus Moyses, sed creatam indicat, vna cum terra, quando statim ante primæ diei descriptionem, proprio eam vocabulo exprimit, & idem de reliquis elementis, aëre videlicet & igne, intelligendum reliquit, nam dum extrema cælum & terram

Obiectio. Ecclesi. 18.
Diluit obiectum.
Lib. 1. Physicorum, ca. 1.
Homil. 2. super Genes.
2. Hexameron.
Lib. 1. ge. ad lit. cap. 7. lib. 12. confes. cap. 21.

nominauit, facilè intelligimus, etiam media eodem authore condita esse. Quod etiam primò dicebatur terra illa, videlicet indigesta moles, secundò dicta fuit abyssus, iam nomine aquarum vocatur: vt intelligatur illa moles fuisse incomposita, super quam ferebatur spiritus Domini. Quidam doctus Syrus, Christianus tamen, teste Basilio magno, & sinuoso eius interprete Ambrosio, asseruit vocem, hoc loci esse significantiorem Syriacam, quàm Græcam, vel Hebræam; Dixit namque talem dicti passus sententiam, ferebatur, id est, confouebatur, & incubabat aquarum naturam, ad similitudinem volucris, aut gallinæ, oua incubantis, & vitalem quandam vim, his quæ confouebantur immittentis, vt sufficienter ex hoc demonstretur, id quod à quibusdam est quæsitum, quod neque Spiritus sanctus à primordialis creationis operatione defuerit. Nemo tamen suum inducat in animum, pro certa sententia habuisse, omnia simul creata, sexq; illos dies vnum fuisse. Fateor quidem illum hunc sensum insinuare, at considerandum, quid de his libris dicat, in Retractationibus: In hoc, inquit, opere plura quæsita, quàm inuenta sunt, & eorum quæ inuenta sunt, pauciora firmata, cætera verò ita posita, velut adhuc requirenda sint. Cùm igitur beato Augustino, sicuti liquido varijs locis constat, illa sententia, certa non fuerit, quis non videat tutissimum esse, simplicem Moysis sensum sequi, quem primo capite Geneseos, & Exodi vicesimo, manifestū reliquit: & orthodoxi patres Philo, Dionysius Areopagita, Basilius, Chrysost. Ambro. Hieron. amplexi sunt, quem (vt Magister ait hac distinctione) Ecclesia Catholica magis approbat.

Homil. 2. Hexa. lib. 1. Hexa. cap. 8.

Lib. 1. & 4. de gen. ad literā, cap. 15. Lib. 2. Retract. ca. 24. Lib. 11. de Ciuit. Dei, cap. 6. 7. & 9 de cathechizan. rud. cap. 17.

Deus, quare non omnia simul perfecta creauit?

CAPVT II.

MAgna fortasse, quosdam inuadet admiratio, quid causæ esse potuerit, quare omnipotens Deus, qui solo nutu, vnico, dubio procul, momento, mundum absolutissimum reddere potuerat, res tamen prius informes creare voluerit, cur prius tenebris operiri cuncta, deinde luce facta illustrari, cur inanem & vacuam terram primum, deinde seminibus fœcundari, herbarum ac fruticum feracem iri? Certè ratio ipsa sit, Dei voluntas, quia Moyses diuino spiritu imbutus, ita scripsit, ambigere phas non est. Hæc quidem meritò sufficere, quamuis debeant, rationes tamen, quibus haud inopes sumus,

magna

magna cum animi submissione reddamus. Neque enim paruum existimari debet, causam reddere, cur sic Deus voluerit. Voluit ergo primò rem imperfectam condere, dein vmbilicum perfectionis adducere, quatenus intelligeretur res omnis à Deo pendere debere, non modo, quantum ad esse, sed etiam quantum ad perfectionem, remque omnem ex se imperfectam, & indigam: quod quia non satis considerârunt homo, & angelus, per superbiam elati ceciderunt. Ideo primò facta omnia, inquit sanctus Ambrosius, ante Christianismum Episcopus, postea declarantur composita, ne verè increata, & sine principio crederentur, si species rerum, veluti ingeneratæ à principio, non postea additæ viderentur. Incomposita terra legitur, & tamen iisdem à Philosophis æternitatis, quibus Deus titulis honoratur: quid dicerent, si ab initio multicoloribus herbarum fruticibus variegata fronduisset? Accedit & illud quod imitatores sui, nos Deus voluit, vt primò faciamus aliqua, deinde politius venustemus, ne dum vtrumque simul adorimur, neutrum impleamus. Atqui his refragari videntur verba Moysis, opera Dei perfecta pronunciantis, ergo non temporum interuallo, acceperunt maiora perfectionis incrementa. Verum hic passus non est, de singulis exponendus creaturis, sed ea quæ hominum regimen, & gubernationem concernunt, perfecta, vtpote iusta, recta, & quæ à quocunque reprehendi non queant, creduntur: Hoc etenim ait sanctus Propheta, duræ ceruicis populo, cui familiare est Diuinam iustitiam, & iudicia, iniquitatis, & temeritatis incusare, quod ipsis miseris cæteri ab eius cultu alieni, beati & fortunati: vnde dicebat, Date magnificentiam Deo nostro. & sequitur, Dei enim perfecta sunt opera, Deus fidelis absque vlla iniquitate iustus & rectus. Sed quoniam homo ipse curuus & distortus est, idcirco Diuina iudicia curua & distorta putat, se rectum existimans.

Lib. 1. Hexa. cap. 7.

Obiectio.

Deuter. 32.

Solutio.

DISTIN-

DISTINCTIO DECIMATERTIA.

Dicere Dei, & appellare, quid in præsentia.

CAPVT I.

LOqui & dicere in ſuperbenedicta Trinitate, non ſecundum conſuetudinem naturæ imperfectionis, qua ad inuicem verba miſcemus, eſt accipiendum, ſed iuxta formam incorporalium naturarum, & potiſſimum ſanctiſſimæ Trinitatis, quæ voluntatem ſuam efficaciter ſuorum inſerit cordibus fidelium: Nos autem homines quando de aliqua re ad alterum ſermonem teximus, primum quod volumus mente cõcipimus, inde in alterius ſenſum transferre volentes, quaſi quoddam plectrum cordis, colliſione dentium, vocalem ſonum emittimus. Porrò, Deus ſimplicis, & incompoſitæ naturæ, neque linguam, neque organa, quibus vox emittitur, habet: Quando ergo legitur, dixit Deus: digna Deo accipere debemus, neque enim ignoranti filio, pater ſuam nunciat voluntatẽ, cum omnium, vtpote verbum patris, habeat notitiam: Loqui ergo patrem, audireq; filium, vel econtrario, eſt eiuſdem naturæ, & conſenſus in patre, filioque ſignificatio, teſtibus, Baſilio, propter omnimodam doctrinæ, & morum excellentiam, magno, Ambroſio prius Epiſcopo quàm Chriſtiano, & Didymo à puero oculorum ſenſu priuato. Ideo etiam vſus videtur verbo, dixit, vt ſignificaret condendi facilitatem, nam quam facilè eſt homini, quæ mente concipit, eloqui, tam fuit facilè Deo, imò incomparabiliter faciliùs, vniuerſas creaturas producere. Appellauit quoque Deus, non ſono vocis, ſed immutabilis ſapientiæ æternis interniſque rationibus, Appellauit, inquam, ſecundum Auguſtinum, præfulgidum eccleſiæ ſpeculum, quia vnicuique rei, ſuam indidit proprietatem, qua diſcerni à cæteris, & proprio appellari nomine poſſet: Vnde dicitur, quod omnibus ſtellis nomina vocat, Appellauit, inquit, quia vocari fecit: Sic namque fecit, & diſtinxit omnia, vt diſcerni poſſent, & nomina accipere; hinc & in Hymno eccleſiaſtico concinimus, Qui mane iunctum veſperi, diem vocari præcipis. Quid igitur cauſæ eſt, dixerit aliquis, cur non omnia, ſed quædam appellarit? Siquidem ſex duntaxat reperiuntur,

Homil. 2. hexa.me. lib. 1. cap. 9. hexa. lib. 2. de Spiritu sancto.

Libr. de gen. cont. Manichæos. cap. 9. & 10.

tiuntur, quibus Deus ipse nomina imposuisse dicatur, in primis, lucem, diem: & tenebras, noctem: firmamentum, cælum: aridam terram, & congregationes aquarum appellauit maria: Primos denique homines, communi nomine appellauit Adam. Ad hanc quæstionem duplex responsio redditur: Prior est Thomæ ex Rabbi Salomone, nempe id factum esse ad æquiuocationem designandam: Vbicunque enim ait, hoc dicitur, Et appellauit, nomen æquiuocum esse significat, quod deprehendi potest per singula. Altera est ratio, quia nimirũ inter omnia creata, omnibus omnino hominibus aliqua ratione vtentibus, sunt notissima, & à cæteris rebus discerni, haud difficulter possunt: Quis etenim est, qui aut mare nesciat, aut quantum à cæteris rebus distet ignoret? Sed nec quenquam, inquis, latent, Sol, Luna, stellæ, nec tamen à Deo nomina acceperunt, verum ea sub luce comprehensa sunt. Quoniam igitur solet scriptura, maxima quæque Deo tribuere, idcirco dixit eum ita hæc appellasse, quasi dicat: Notitia, quæ omnibus hominibus inest, ad illas res cognoscendas, indita est, beneficio conditoris, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Deus sex rebus nomina imposuit.

De opere primæ diei.

CAPVT II.

LVcem quam Dominus in exordio creationis produxit, siue corpus lucidum (non enim sine subiecto miraculosè eam substitisse credibile est) quidam ipsum solem intelligunt, adhuc tamen informem, quia dies duntaxat distinguebat, non reliqua temporum spacia, menses & annos: Cui sententiæ suffragari credunt, beatum patrem Dionysium Areopagitam, vbi de luce solis mentionem faciens: Ipsa, inquit, est ea lux, etsi tunc erat informis, (quod & Diuinus Moyses ait) quæ primam distinxit, atque definiuit dierum nostrorum trinitatem. Verum ex his Dionysij verbis, non est consequẽs solem primo die fuisse formatum, potuit siquidem Sol eadem luce splendere, qua facta est, prima trium dierum illorum distinctio, si (vt quibusdam placet) ex illo corpore lucido, Sol postea formatus fuerit. Cùm igitur hunc etiam sensum admittunt Dionysij verba, nulla necessitate ex illis colligitur, primo die fabricatum fuisse solem, & videtur hæc sententia repugnare scripturæ, quæ solem quarto die factum commemorat, non solum ad officium distinctionis, mensium & annorum, verum etiam dierum ac noctium. Quoniam quartæ diei opus describens sanctus Moyses, Dixit, inquit,

Cap. 4. de di. nominibus.

inquit Deus, Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos, fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei, &c. Non ait, accipiat Sol, aut lux prius creata nouam functionem, quod si dixisset, credi potuisset primo die, solem extitisse: Nunc autem non hoc dixit, sed fiant, inquit, luminaria, & iterum, fecitque duo luminaria magna, &c. significans solem (qui nullo contradicente sineque controuersia per luminare maius intelligitur) eodem die fuisse conditum: Quæ autem fieri iubentur, nondum existunt, quæ iam sunt, fieri amplius non possunt, nisi simul existere, & non existere vnum atque idem fatearis, quod res fieri nequaquam finit: Aut igitur non extitit Sol ante diem quartum, aut eodem die factus non est, & conditum fuisse illum die quarto, sanctus propheta apertis verbis testatur, non igitur prius extitit, nisi forte secundum suam materiam: nam corpus illud lucidum arbitror fuisse massam quandam, ex multis congregatam, confusam & indistinctam, de qua postliminio, Sol, Luna, & stellæ factæ sunt, & distinctæ. Quemadmodum enim terra & aqua simul facta sunt, sed postea locorum dissitorum varietate separata, ac ornata, sic Solem, Lunam, & stellas, simul primum & quasi in massa vna, lucidi corporis condita, sed illud corpus aggregatione vnum, postea fuisse disiunctum, quartoque demum die, Solem, Lunam & stellas, propriam formam, locum, motum, ordinem, atque ornatum accepisse. Adde quod lux illa, quæ primo die facta memoratur, aut potius primam diem produxit, iam ante diem quartum, distinguẽdorum dierum ac noctiũ officium acceperat: quare diuersam esse oportet à Sole, qui id officij quarto demum die accipit, Aut certè ad vnum, idemque officium peragendum solem, bis fuisse formatum fatendum erit, Accepit igitur Sol, quod iam habebat, quod est absurdum, nam ea donari nobis dicuntur, quibus antea carebamus. Quod igitur Sol quarto die accepisse legitur, antea non habuit, ac proinde distinctum esse oportet, ab eo corpore, quod id officij iam antea acceperat, fiat, inquit, lux, & facta est lux. Et vidit lucem quod esset bona, & diuisit lucem à tenebris, appellauitque lucem diem, & tenebras noctem, factumque est vespere, & mane dies vnus, hoc est, primus. Quod ait, Vidit Deus lucem, quod esset bona, non ita accipiendum est, quasi tunc demum lucis bonitatem, aut pulcritudinem cognouerit, cùm facta esset: omnia quippe ei præsentia sunt, & priusquam fiant vniuersa prænoscit, sed ad nostram infirmitatem, se demittens scriptura, more hominum

de Deo

de Deo loquitur, qui cum magni aliquid elaborârint, inquit Chrysost. probant quod fecerunt. Simul etiam his verbis errorem exclusit dicentium, creaturas omnes corporeas, natura sua malas esse, aduersus quos in principio huius libri, copiosiùs disseruimus.

DISTINCTIO
DECIMAQVARTA.
De opere secundæ diei.
CAPVT I.

DIxit quoque Deus, fiat firmamẽtum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis: Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quę erant super firmamentum; & factum est ita, vocauitque Deus firmamentum cælum. Et factum est vespere & mane, dies secũdus. Nomenclatura firmamenti hoc loci, quidam intelligunt infimę regionis aërem, qui aliquoties in sacris eloquijs cæli appellationem asciscit, sicut Christus improperat: faciem cæli nostis iudicare, & alibi: volucres cæli leguntur pedibus eius subiecti. Per aquas, quæ super firmamentum sunt, intelligunt vapores, in mediam aëris regionem subleuatos, ac in nubibus suspensos, qui postea in guttas pluuiales dissoluuntur, quas aiunt existere super firmamentum. i. infimę regionis aërem, qui inter nubes & aquas, quæ iuxta nos sunt, aut in terrę visceribus conclusæ detinẽtur, medius est, & proinde diuidit, ac separat aquas, ab aquis, cuius sententiæ etiam meminit D. Augustinus. Atqui hæc opinio, primo Geneseos capite reprobatur, quòd stellas refert in firmamento positas, insuper & duo luminaria maiora, quæ condidit Deus, vt præessent diei ac nocti, nullæ autẽ sunt stellæ, aut luminaria in infima aëris regione constitutę: quare firmamenti nomine, intelligẽdum incũbit, cælum sidereum, tanta stellarum numerositate adornatũ. Et quoniam Sol, qui planetarũ medius est, & Luna vltimum, inter eos locum obtinens, etiam in firmamento posita dicũtur: necesse est pręter octauã sphęrã, intelligamus septẽ subiectos illi orbes, septẽ planetarum, videlicet Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, & Lunæ. Firmamentũ verò hic cæli nuncupantur, non propter stationem, sed propter firmi-

Matth. 16. *Psalm. 8.* *Firmamentum quid.* *Lib. 2. de gen. ad literam, cap. 4.* *Septem planetæ.*

firmitatem intranſgreſſibilemque terminum ſuperiorum & inferiorum aquarum, vnde Baſilius, Putemus, inquit, de ſolida natura aquę, lubricitatem, ac facilem defluxionem retinere valente, vocem hanc dictam: Diuerſum verò eſſe firmamentum ab eo cælo, quod in principio factum memoratur, probat ibidem ſumto ex eius nomine & proprio vſu, in quem conditum eſt, argumento, Dictum eſt (ait) à quibuſdam qui nos præceſſerunt, non ſecundi cæli generationem hanc eſſe, ſed ampliorem priorum expoſitionem, propterea quod iſtic in ſumma quidem tradita ſit cæli & terræ creatio: hic verò elaboratius modum, ſecundum quem vnumquodque factum eſt, ſcripturam nobis tradere, & reliqua, quæ eo loci poſita noſtro deſeruiunt inſtituto. Inſuper ſupremum cælum nullum extra ſe permittit locum, quare in conuexa ſua ſuperficie aquas ferre non poteſt, quæ neceſſario locum aliquem, vbi ſubſiſtant requirunt. Quomodo verò aquæ, naturâ graues & fluidæ, ſuper cælum hærere poſſint, quod ſphæricam habet figuram: & aſſiduo motu cietur: haud facile eſt explicatu, adeò vt quidam impoſſibile id eſſe exiſtimantes, aquarum nomine intellexerint, cælum proximè firmamento ſupereminens, quod chryſtallinum dicitur, ob perſpicuitatis claritudinem. Sed ſatius fuerit ſacris eloquijs fidem adhibere, patrumque elucubrationibus adhærere, vt intelligamus proprij nominis aquas, propter certas, quas habent cum aquis elementaribus proprietates, quia perſpicuitatem habent, vtpote luminis ſuſceptiuam, grauitatem tamen non habent (quippe quæ deorſum tendere cogat) ignorant, ſed frigiditatem non formaliter, ſed effectiuè, ibique cauſa, quæ Deum non fugit, præceptoque conſiſtunt, quemadmodum & beatus Ambroſius interpretatus eſt: Qui, inquit, iuſſit diſcerni aquam, interiecto & medio firmamento, prouidit, quemadmodum diuiſa atque diſcreta manere poſſit. Sermo Dei virtus naturæ eſt, & diuturnitatis ſubſtantia, quoaduſque velit eam manere, qui ſtatuit ea, ſicut ſcriptum eſt, in ſæculum ſæculi, præceptum poſuit & non præteribit, & quod de illis differat aquis, inſinuant ſcripturæ. Qui extendis cælum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora eius. Et alibi, Aquæ quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini; nec non Daniel, Benedicite (inquiunt tres pueri) aquæ omnes; quæ ſuper cælos ſunt Domino. Conſonat Auguſtinus Ambroſio: Qualitercunque, inquit, ibi ſint, ibi eas eſſe non dubitamus, maior eſt enim harum ſcripturarum authoritas, quàm omnis humani ingenij perſpicacitas.

Homil. 3. Hexa. — *Lib. 2. Hexa. cap. 3.* — Pſalm. 103. — Pſalm. 148. — Cap. 3. — *Lib. 2. de ge. ad literam, cap. 5.*

Quare hic subiceatur, Vidit Deus quod esset bonum.

CAPVT II.

Scrutantur classici doctores, cur opere secundæ diei descripto à sancto Moyse, dictum non sit, quod in cæteris omnibus adiungitur: Vidit Deus quod esset bonum? Cui scrupulo respondet diuus Hieronymus: hoc tantum die. inquit, illud supprimitur, vt intelligentia nobis relinquatur binarium numerum non esse bonum & faustum, qui ab vnione diuortium faciat: Subnectens, neque in Symmachi, neque Aquilæ, neque Theodotionis translatione, illud haberi, nec Hebraicam veritatem illud præferre. Septuaginta tamen interpretes illud legunt, & qui eorum vestigia sectantur, beatus scilicet Augustinus, sanctus Ambrosius, & diuus Ioannes Chrysostomus: Non vtique cognouit, inquit, quod nesciebat, sed probauit quod placebat, & rationem dicti referens, ad comprimendum, inquit, linguas dicentium: Quare hoc & hoc factum est in singulis, dicit: Vidit Deus quod esset bonum, hic autem omittitur, diuisio aquarum secundo die inchoata, vt sequenti die declaretur consummata.

Lib. 1. contra Iouinianum, & in Apolog.

Lib. 2. de gen. ad lit. cap. 1.

Lib. 2. Hexa. cap. 5.

Homil. 4. in Gen.

De opere tertiæ diei.

CAPVT III.

Dixit verò Deus, Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida, & factum est ita. Dum in vnam congregationem aquas concedere iubet, vt appareat arida, indicat ante illud tempus vndiq; aquis fuisse coopertam, ideoque apparere non potuisse: Locum autem in quem præcepto Dei se receperunt aquæ. intellige non vnum aliquem solum. sed singulare pro plurali esse constitutum, vt sit Enallage numeri, sicut sequentia manifestant, nam continuo congregationes aquarum, & maria pluratiuo exprimuntur numero, secundum Ioãnem Damascenum: Iussit ergo Deus aquam, quæ prius totam obtegebat terram, in diuersos sinus se recipere: Et factum est ita. Et vocauit aridam terram, congregationesque aquarum appellauit maria. Aridum dicitur siccum. hinc arida, tellus appellatur. Varietatem autem marium nosse si quis desideret, Damascenum inspiciat oportet. Considera autem quàm pulcro ordine, rerum omnium opifex Deus, hunc mundum constituerit, & pro suæ naturæ conditione, quodq; elementum collocauerit: nam terra, quia grauissima & imperfectissima est,

Lib. 2. orth. fid. cap. 11.

Lib. 2. ca. 10. orthod. fid.

Elementum extremum. centri locum obtinere statuit, hoc est, infimum totius mundialis machinæ situm, vbi naturaliter quiescit, nullo indigens extrinseco fundamento, quo fulciatur, aut à præcipitio defendatur, cùm à sua grauitate tanquam intrinseca virtute ibi figatur, quemadmodum testatur propheta, dicens: Qui fundauit terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi, Et alius quidam docet, terram super nihilum fundatam. Neque his obstat, quod Deus orbem terrarum, super maria fundarit. Non enim significare voluit propheta, aquam terræ substratam, cui supernatans inniteretur, ceu sustentaculo, sicut quidam opinati sunt, nam ipsa experientia aliud docet. Si namque glebam terræ in aquam mittas, non supernatabit, sed continuò aquam diuidens, deorsum tendet, quantò igitur magis necesse erit subsidere, & demergi totam tellurem, si aquis tanquam fundamento innitatur? Dicendū ergo cum Cassiodoro super maria fundatam esse terrā, hoc est, iuxta mare: Quæ loquendi formula non est omnino inusitata, quoniam sic nō raro vrbem aliquam super fluuium sitā esse, non quod aquis fluminis innitatur, easq; vice fundamenti habeat, sed quod fluuius alluat, iuxtaque eum extructa cōsistat. B. Augustinus ait, firmatam dici terram super aquas, quia eius latera aquis contraposita, altiora sunt, nam littorum, ac riparum obiectu, repagulum eis præbetur, ne licentius diffluant, & in agros exuberantius exundent: Igitur vti insinuatum reliquimus, terram in centro collocauit, tāquam omnium elementorum grauissimā. Aquam verò, quę quandam in se perspicuitatem ostendit, minoris est grauitatis, telluri supereminere voluit Deus. Deinde aërem aquæ superposuit, quod leuis sit, ac sursum sua natura tendens, magisque perspicuus. Demum ignem postremo loco constituit, quia tenuissimus est & leuissimus, & ob suam tenuitatem magis, quàm cætera diaphanus, & transparens, quem scriptores alio nomine æthera vocārunt, ab αἴθειν, i. vrendo, est enim ignis adustiuus. Quidam hunc sub aëre ordinārunt, sed cum rarior & leuior sit aëre, satis liquet id esse erroneum. Ille autem, qui quotidianis nostris vsibus deseruit, sub aëre quidem est, sed non est elementum, quinimo corpus est mixtum, ad ignis tamen elementaris naturā propius accedens. Et hæc quidē elemētorum dispositio est. Super hæc verò omnia cælos extendit, quod præstantiorem sortiti sint naturam, quàm hæc sensibilia subiecta illis corpora, quia neq; corruptioni, neq; vlli alterationi sunt obnoxij, neque incrementorum, neque decrementorum susceptibiles, sed motu locali, & eo quidem perfectissimo, vtpote circulari continuo, & incessabili credūtur cieri.

Marginal notes: *Psalm. 103.* — *Iob 26.* — *Psalm. 23.* — *Contra aduersariū leg. cap. 8.* — *Elementum aquæ.* — *Elementum aëris.* — *Elementum ignis.* — *Cælis qualitas.*

De ar-

De arboribus & fruticibus.

CAPVT IIII.

ET ait Deus, Germinet terra herbam virentem, & faciētem semen, & lignum pomiferum, proferens fructum iuxta genus suum, cuius semē in semetipso sit super terram Ne telluris exiccatæ causam Soli deferamus, terræ ariditatem, generatione solis vetustiorem opifex fecit: Et non dixit, appareat terra, ne rursum ipsam incultam, & incompositam ostendat, lutoq; refertam: Restat iam, vt terra suam vim & energiam accipiat: Proinde dixit Deus, Germinet terra herbam. Annotat D. Thomas, terram etiam accepisse hoc verbo, vim producendi mineralia metalla, ferrum, æs, cuprum, aurum, argentum, plumbum, lapides pretiosos, sed hæc, quoniam latent in terræ visceribus expressa suis nominibus non esse. Aduertendum etiam est Moysen, præcipuas tantum notauisse arbores, quod sint aliquæ infrugiferæ. Iussit terræ lignum pomiferum ædere, inquit S. Basilius, faciens fructum, cuius semen in semetipso sit. Complures tamen arbores, neque fructum proferre, neque semen cernimus. Quid igitur dicemus? Primum earum arborum scripturam pręcipuè mentionem fecisse, quæ natura sunt præstabiliores Deinde cunctas, aut semen ædere, aut ea, quæ vim seminis, atque potentiam obtinent, Linceis oculis, quasi perspiciēti colliquescet: Nam populi, salices, vlmi, cæteræque id genus, fructum quidem terræ, nullum videntur producere: habent tamen simile semen, si quis exactè scrutetur. Dixerit fortasse quispiam: Cur omnia quæ ex terra herbescunt, semen efficere scriptura indicat, vbi non arundinem, non gramen, non mentham, non crocum, non allium, non denique vix cuiquam numeranda alia plantarum genera, semen efficere constat? Ad hæc sane dicimus, complura in terra nascentium, vim seminum in ipsa propagine, atq; radicibus obtinere, quemadmodum arundo post annuum incremētum, ex radicibus quandam appendicē elicit seminis rationem, ad ortum futurum proficiētem: Tradidit siquidem Altissimus, terræ vim quandam proferendi seminum, herbarum, atq; fruticum varietatem, atque omnis generis fructus, sine qua iussione, nihil profuisset omnis humana industria, omniaq; agricolarū adminicula aërem verberarent: Virtute autē verbi Diuini, quod ab exordio terræ factum est, fructus vberius assurgunt, atq; ante omnem hominis & iumētorum cooperationem tellus protulit fœtus suos. Et factum est, inquit, ita, hoc est, Iubentis imperio

Cū terra, quæ producta.

Homil. 5. Hexa.

protinus terra obtemperauit, quod fusius explicat, dicens: Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen, iuxta genus suum, lignumque faciens fructum, &c. Informem prius terram, tanta frugum varietate adornare voluit vniuersorum conditor, non vt ipsi soli hinc aliqua accederet vtilitas, quod sensus omnis & rationis expers, nihil eorum quæ circa eam fiunt, percipere potest, sed propter hominem, hæc omnia fecit, cuius vtilitati corpoream omnem creaturam deseruire voluit. Vtrum autem arbores factæ sint, atque ex terra prodierint perfectæ, & consummatæ, ita vt fructus maturos hominibus creandis exhiberent, an eo in statu, vt vernantibus floribus suauem fragrãtiæ odorem spirarent, non vsqueadeo certo constat. Nihilominus Philo Iudæus docet, eas maturrimis fructibus pulcrè ornatas, atque onustas prodijsse. Similiter omnes syluę densæ factæ sunt vno Diuinæ iussionis verbo, omnes arbores emerserunt, omnes frutices statim comati, omnia vno temporis momento prius non existentia super terram ad esse prodierunt, singula cum familiari proprietate manifestissimis differentijs, ab his quæ diuersi sunt generis discreta, singulaq; proprio charactere cognobilia: Præterquam, inquit diuus Basilius, vbi supra, quod rosa tunc sine spina erat, postea verò ad floris pulcritudinem, spina adiuncta est, quò ad fruitionis iucunditatem, in propinquo habeamus appositum mœrorem, memores peccati, ob quod spinas & tribulos terra damnata est nobis proferre.

Arbores maturis fructibus ornatæ.

Lib. de opificio mundi, pag. 5.

Rosa sine spina in exordio.

De opere quartæ diei.

CAPVT V.

Dixit autem Deus, fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem. Ante quartum hunc diem, tres alij præcesserunt, quos distinxit lux illa, antea à Deo condita: Quid igitur, inquies, ad idem hoc officium peragendum his luminaribus opus fuit? Ad hoc respondet beatus Augustinus, & Ambrosius. Potest, inquiunt, dici auctum esse fulgorem diei, sole addito, vt per illam lucem minus fulgens illustraretur. Quibus consentanea est diui Ioannis Chrysostomi sententia: Sol, inquit, clariorem diem effecit, rutilans aureo suo iubare & radijs: Vnde liquet nequaquam superfluum esse solem, qui diem clariorem fecit, neq; frustra cõditam esse lucem, quæ etiamnum hodie ex sententia Ambrosij perseuerat, suumque peragit officium, ad quod fuit primitus à Deo instituta. Nam lux, inquit, diem facit, sol clarificat. Idipsum etiam satis indicant prælibata Augu-

Lib 1. de gen. ad literam, cap. 11. lib. 1. Hexa. cap. 9.

Homil. 6 super Genes.

Lux.

Sol vnde.

Augustini verba, quibus ait luci additum fuisse solem, si enim sublata esset lux illa, non ei sol diceretur adiunctus, sed in illius locum substitutus, nam ei quod nō est, additio fieri non potest: Adhuc igitur ex sententia horum existit lux illa, eique coniunctus sol diem suo iubare illustriorem reddit: quamuis non desint, qui ex illa luce corpus solis formatum esse velint, quæ sententia alibi videtur, diuo Augustino, non displicuisse. Sed prior creditur probabilior, quæ lucem illam, vt à Deo condita est, adhuc faretur subsistere, neque enim dicendum videtur aliquid à Deo esse conditum, quod cum rerū institutione non perseueret, sed breuissimo duntaxat tempori deseruierit. Dicuntur autem hæc luminaria magna, Sol & Luna cū magnitudine molis, tum efficacia virtutis. Magnitudine siquidem & quantitate omnes planetas antecellunt, ad inuicē autem comparata, Sol est luminare maius: quia vastissimam terræ amplitudinem claritudinis suæ mole superādo illustrat, teste Aristotele & Macrobio. Atqui quantum terram suæ magnitudinis mole vincat, inter Philosophos & Astrologos cōtrouertitur. Probabilior Varroni ea putatur sententia, non quæ lapidem ardentē existimet, vti Anaxagoras, aut mira de eo cōminiscatur, sicuti Manichæus, teste Augustino, sed octies tellure maiorem statuat. Virtute quoq; præcedit, quia ingenitæ claritatis proprietate, ista inferiora illuminat. Luna appellatur luminare minus, quod terræ magnitudine superetur: nec lumē diffundit, nisi à Sole mutuatū. Et quāquam pleræq; stellæ octauæ sphæræ, hoc est firmamenti, sint Sole, Lunaque maiores, quādoquidem minimę visu, nobis perceptibiles in firmamento existentes, legūtur decies & octies, vniuersa terra maiores: tamen hęc luminaria dicuntur maiora: quia eorū vim operatiuam magis, quàm aliorum astrorū in istis inferioribus cognouimus: tum etiam, quia maiora, vtpote inferiora, nostris apparent obtutibus. Verum scrupulus hic emergit, quomodo ante factum solem, germinauerit terra lignum pomiferum, herbamq; virentem, & adferentem semē, cùm nunc tamdiu sole in cęlo radiante, sterilis permaneat, propter hoc solum, quod ab eo longius sit remota? Respondet Philo, & D. Ioannes Chrysostomus, quod antequam sol formaretur, agri frugibus maturescebant, ac graminibus ridere prata incipiebant, ne Soli, sed Deo vniuersorum conditori, totum ferretur acceptum. Sicut enim agricolæ, non est asscribenda copiosa segetum vbertas, licet laboris plurimū adhibuerit: ita nec Soli, secundū beatum Athanasium, Ne Sol quidem, inquir, cùm res sit creaticia, vnquam effecerit, vt quod nihil est, aliquid fiat.

Libr. 11. de Ciuit. Dei, cap. 7.

De Solis magnitudine.

Lib. 1. Metheororum.

Lib. 1. in somni. Scipionis.

Tomo 6. haresi. 46. & epistola 119. ad Ianuariū, cap. 4.

De magnitudine stellarū, firmamenti visibilium.

Lib. de opifi. mundi.

Homil. 6. in Gen.

Ser. 3. contra Arrianos.

De constellationibus.

CAPVT VI.

Lib. 9. Metaph. cap. 1. Lib. perplex. cap. 77. 13. Ciui. cap. 16. et Ench. cap.

QVanquam Auicenna & Rabbi Moyses, cælum fabricati sint animatum, animalq; ingenti mole vastum commēti sint, & diuus Augustinus hæsitare videatur, quid de cæli stellarumque natura constituendum sit, cui subnectendus est Origenes, qui post Platonem interdum sic loquitur, vt eodem dubitationis agone laborasse non ambigatur, imò eo delirauit, vt animas ibi crederet alligatas, & quauis nacta oportunitate in corpora dimouēdas. Verum cum S. Basilio, & Damasceno, probabiliorem eam ducimus amplectēdam sententiam, quæ cælos & sidera esse inanimata, rationisq; expertia, nulloq; honore digna, secundū Prophetam comprobat: Quod hac Methodo probatu, haud fuerit difficile; Illis siquidē non est anima vegetatiua qua alimentorum nutrimenta requirant, vel augmenta incrementorum permittāt, Nec sensitiua, quod organis sensuum destituantur, multò minus rationalis, quoniam in sacris eloquijs, astra cæli dicuntur creata in ministerium cunctis gentibus: Atqui nulla natura rationis particeps alterius est obsequijs ex sui institutione mancipata; Sola namq; ea natura alteri ex sui institutione ancillatur, quę rationis expers, Dei capax nō est: Cùm autem homo degenerasset, seruus meritò effectus est peccati. Quod si rationalia essent astra, magis illis homo famulari deberet, quam illa homini, vtpote sublimiora & nobiliora. Displicere igitur nequit diui Hieronymi sentētia, illud Esaiæ elucidantis, vbi Deus dicitur omni militiæ cæli mādauisse: Ex quo passu quidam colligebant ratione prædita esse sidera oportere, quibus aliquid mandatur. Respondet eo loci sanctissimus pater, hoc minimè consequi, quod & pisci in Iona, & ventis ac mari in Euangelio, Dominus imperasse legatur. Ad idem adstruendum, argumentum sumunt ex Basilio, quod astra Deum laudare & benedicere in sacra pagina scribantur. Soluit prælibato loco, hoc ipsum de draconibus scriptum reperiri, & brutis alijs animantibus, siquidem vniuersa rectè Deū laudare censentur, quod hominem ad Deum laudandum prouocent, vel per Prosopopeiam, qua cum inanimato tanquam animato, sermonem miscemus. Etsi diuo Augustino dubia hæc res visa fuerit, illis non fuit, quorum sententiam scripturę confirmant. Nihilominus sidera quanquam diuersas habeant in inferioribus impressiones, tamen necessariò illis tanquam causis efficientibus, mores hominum

Homil. 3. Hexa. libr. 2. orthod. fid. cap. 5. & 6.

Iob 3.

Genes. 1.

Deut. 40.

In cap. 45. Esaiæ.

Astra quomodo Deum laudent.

Stellæ nō sunt rerum causæ.

minum & euentus futurorum, neutiquam sunt attribuendi, nisi tollendo meritum & præmium, gratiam & gloriam, repugnare fidei Christianæ velimus: vnde sanctus Ambrosius, Si ita esset, quantæ ad diem regalium natiuitatum exprimerentur figuræ? Quotidie reges nascerentur, nec regalis in filios transmitteretur successio, sed semper ex diuerso statu, qui ius imperialis acquirerent potestatis, oriretur. Quis igitur Regum, genituram filij sui colligit, si ei debeatur imperium, & non proprio successionem regni in suos transcribit arbitrio? Nunquid Reges constellationes instituerunt, quorum generationis seriem Regnorum volumina produn̄t? Deinde si ad necessitatē genitalem, nō ad instituta morum, actus nostri, factaq; referantur, cur leges propositę sunt, iura etiam promulgata, quibus aut pœna improbis decernitur, aut securitas defertur innoxijs? Cur non venia datur eis, cùm vtiq; vt ipsi aiunt, non sua voluntate, sed ex necessitate deliquerint? Cur laborat agricola, & non magis expectat, vt inelaboratos fructus, priuilegio suę natiuitatis inuehat receptaculis horreorum? Si ita natus est, vt ei diuitiæ atque opes affluant, vt sibi spontaneos reditus, sine vllo semine, atque opere terra parturiat, non vomerem aruis imprimat, non curuæ manum falci admoneat, non legendæ vindemiæ subeat expensam, sed ociosus quadam sorte genitali diuitiarum thesauros expectet. Denique quomodo Dominus, aut præmia proposuit bonis, aut improbis pœnas, si facit necessitas disciplinam, & conuersationem stellarum cursus informat? Et quid est aliud, quàm hominem de homine exuere, si nihil moribus, nihil institutioni, nihil studijs derelinquitur? Quam multos videmus ereptos criminibus, atque peccatis in meliorem statum esse conuersos? Redemti sunt Apostoli, & congregati ex peccatoribus, non vtique Natiuitatis suæ hora, sed Christi eos sanctificauit aduentus, & hora Dominicæ passionis redemit à morte. Latro ille capitis damnatus, cum Domino crucifixus, non beneficio Natiuitatis suæ, sed fidei confessione ad Paradisi æterna transiuit. Ionam in mari non vis Natiuitatis, sed dissimulatio Diuinæ præceptionis præcipitauit, & offensa, eundemque cetus excipiens ad indicium futuri mysterij, post triduum reuomuit, & prophetiæ meritò gratiæ reseruauit. Petrum de carcere imminenti morte perimendum Angelus Christi, non stellarum series liberauit. Paulum cæcitas conuertit ad gratiam, & percussum à vipera, turbatumque naufragio non remedia Natiuitatis, sed deuotionis merita seruarunt. Quid de illis dicemus, qui horum precibus, cùm fuissent

Libr. 4. Hexa. cap. 4.

Pulcrè elidit vaniloquorū astrologorum vesaniam.

Luc. 23.

Ioan. 1.

Act. 12. 9. 27. & 28.

mortui resurrexerunt? Vtrum illos sua natiuitas an Apostolica gratia resuscitauit. Quid opus fuit, vt se ieiunijs afficerent, periculisque committerent, si ad quod volebant, natiuitatis beneficio poterant peruenire? Erubesce, inquit, Sydon, si pericula vos non moueant, vel pudor comprimat, verecundia confundat. Erubesce Sydon, in qua nullus virtuti locus, nulla salutis cura, nulla iuuentus pro excubijs patriæ bello dedita, armisque exercita, sed omnis solicitudo de quæstu, omne studium mercaturæ. Semen, inquit, mercatorum sicut messis, quæ autem merces homini Christiano, si non ex voluntate, sed ex necessitate curas suas & opera componit? Vbi enim directa necessitas, ibi inhonorata industria. Secundò honestati repugnaret, quoniam culpa in sidera reijceretur, quæ tamen non per arbitrij libertatem agunt, sed naturaliter per vim sibi à Deo inditam. Quod si erubescamus nostra vitia Deo ascribere, nec benè Christianus dicere præualet ad iracundias, ad cædes, ad bella, se à Deo incitari, nec astris quisquam eiusmodi ascribere debet, ne in authorem, siderum eius redundet impietas. Præterea docet diuus Basilius, nihil ex astrorum inspectione posse prædici, de his tribus. Primum est de operibus liberi arbitrij: Secundum de affectionibus & propensionibus animi cuiusque ad bonum & malum. Et proinde ex astris statui non posse: Ille erit animo prouido & solerti ad quæstum, iste animo fastuoso & vltionis auido: hic iusto, ille iniusto. Tertium est de his quæ corpus concernunt, vt iste futurus est gratioso aspectu, ille toruo vultu, hic numerosam habebit sobolem, iste patiens laborum, hæc & similia negat ex astris rectè prædici, quia videlicet ad hæc plus valet virtus naturæ inferioris, quàm potestas siderum. Tertiò sensui repugnaret, quia eodem tempore nati, teste Augustino, diuersos vitæ præsentis sortiuntur exitus, sic eodem puncto & instanti Esau & Iacob sunt nati: diues & pauper, homo & asinus, quotidie nascuntur. Quartò etiam rationi repugnaret, quia superioribus, id est, hominibus inferiora, id est, stellæ præferrentur, honoremque indebitum adipiscerentur. Proinde bene dixit sanctus Ambrosius, Nolo pluribus contra istas superstitiosas vanitates agere, nam quæ pueri risimus, senes commemorare qui possumus? Phauorinus in millesima parte eorum quæ prædicunt, negat reperiri veritatem. Hanc frequentem futurorum incertitudinem, duo præclarè docti, Ephimeridibus in lucem editis famosi, aliquando cādidè mihi confessi sunt. Gellius etiam hic non est dissimulandus, licet paganus, qui solidis rationibus vanitatem astrologorum confutauit.

Esaiæ 23.

Homil. 6. Hexa. Quæ ex constellationibus haberi nequeant.

Lib. 2. de gene. ad lit. cap. 22.

Lib. 4. Hexa. cap. 5.

Lib. 14. noctium Atticarum, cap 1. contra astrolog. diuinationem.

futauit. Nec non Picus Mirandula, qui prægnantissimis rationibus (licet insimulet illum calumniæ & imperitiæ, quippe qui nec à limine quidem artem astrologicam salutasset, multò minus intimas eius latebras penetrasset) figmenta euanida Solis fulgoribus clarius demonstrauit. Et ante eum diuus Bonauentura, planum est, inquit, quod varia dispositio multum faciat ad mutationem affectionum, & morum animæ; vt plurimum enim anima complexiones corporis imitatur: vnde Cholerici sunt iracūdi; Sanguinei, benigni; Melācholici, timidi: Flegmatici, pigri: nequaquā tamen necessario, sed contingēter & dispositiuè, quia multos cholericos videmus mansuetos, melācholicos benignos, quia anima potissimum gratia adiuta dominatur corpori: Sic Cicero dicit Hippocratem medicum reliquisse scriptum, duos fuisse gemellos, secundum beatum Augustinum, qui simul cum ægrotare cœpissent, eorumque morbus eodem tempore ingrauesceret, ac eodē vigori pristino restitutos cognosceret, eandem habuisse complexionem suspicatum. Nam vna domo, iisdem alimentis nutriti, vbi aërem, loci positionem, & vim aquarum, plurimum ad corpus vel bene vel malè accipiēdum, medicina testatur, iisdem etiam exercitationibus assuefacti, tam similia corpora gererent, vt etiam ad ægrotandum, vno tempore iisdemque causis similiter mouerentur. Quocirca coniectura medicinalis, probabilior existit, quàm Possidonij astrologi, aliorumque Stoicorum, vniuersa constellationibus ascribentium.

Dist. 14. quæst. 3. li. 2.

Lib. 5. de Ciuit. cap. 2.

De gemellis eodem modo complexionatis.

Luminaria quomodo sint in signa, tempora, dies, & annos.

CAPVT VII.

FVerunt quidem tempora ante formationem horum luminarium, quoniam tres dies præcesserunt, qui per prius posteriúsve fuere discreti, & quælibet dierum primæ illius lucis beneficio productorum particula, tempus cum fuerit, tamen motu illius lucis, distingui non poterant vicissitudines versionum quatuor temporum anni: Veris, inquam, æstatis hiemis, & autumni. Nec poterat anni circulus, aut numerus dierum anni deprehendi, quorum scientiam nobis concedit siderum cursus. Est etenim in cælo sidereo certus stellarum ordo seu circulus quidam, totum ambiens cælum, quem Astronomi vocant Zodiacum: hic in duodecim partes æquales sectus est, quæ etiam secundum Ambrosium signa Zodiaci appellantur,

Quatuor partes anni.

Lib. 4. Hexa. cap. 5.

De Zodiaco circulo. Quorum ista sunt nomina, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces. Vnũquodq; verò signorũ triginta partes habet siue gradus æquales, vt sint in vniuersum circuli Zodiaci 360. gradus, quos dum sol percurrit (mouetur autẽ assiduè sub hoc circulo) prælibatas temporum vicissitudines nobis distinguit: nam sole ingrediente primum Arietis gradum, Verni temporis reuolutio suum sumit initium: Et hic vocatur medius solis exortus, quia æquo vtpote trium signorum interuallo, tum distat sol à maxima sui eleuatione, quæ fit in principio cancri, & à maxima sui depressione, quæ est in principio capricorni. (*Æquinoctiũ quomodo fiat.*) Vocaturque initialis ista verni temporis versio, Æquinoctialis: quasi æquãs noctem diei: est enim eo die spatium diurnum nocturno æquale: vtrumque namque duodecim horas complectitur. *Tempus vernum quando incipit.* Protenditur autem tempus vernum, ab vndecima die Martij vsque ad decimum tertium Iunij per mẽses Martium, Aprilem, Maium, & signa illis correspondentia: Arietem, taurum & geminos. Deinde eleuato sole in partẽ Zodiaci altissimam, & polo arctico seu septẽtrionali proximã, vtpote in primum cãcri gradum, *Tempus æstiuum.* incipit tempus æstiuum, quod protẽditur à 13. Iunij vsq; ad 14. Septembris. Cum verò sol declinans, libram ingressus fuerit, fit *Autumnus.* æquinoctium autumnale, & protenditur hoc tempus autumnale à 14. Septembris vsque ad 13. Decembris. Denique cum sol *Brumale tempus.* maximè declinat ad polum antarcticũ seu meridionalẽ, atq; australẽ, & capricorni primũ attingit gradũ, tum hiberni tẽporis exordium est, protenditurque hęc brumalis temperies à 13. Decembris vsque ad vndecimum Martij. *Dies anni quot sint.* Cumq; vt præfatum est, Sol totũ percurrerit Zodiacum, completur annus solaris, mensibus duodecim constans, qui in vniuersum complectũtur dies 365. & diei quadrãtem, sex videlicet horas, quę sunt quarta pars diei naturalis: Cùm autem quilibet annus solaris vltra 365. dies *Annus bissextilis qualis.* superaddat diei quadrantem, hinc quarto quoque anno huiusmodi excrescentibus quadrãtibus dies integer cõficitur, quem bissextum quasi bis sextum, quia duobus diebus continuis dicimus sexto calendas Martias, duos videlicet dies pro vno computãtes, vnde qui natus est bissexto calẽdas, nihil refert vtrum priore an posteriore die natus sit, cum illud biduum pro vno dũtaxat die habeatur, qui apud nos in fine Februarij, festis sanctorum Apostolorum Petri & Matthiæ, interseri solet. Habent & alij planetæ suos motus, sub eodem circulo, sed vel maiori vel minori temporis spatio, hunc peragunt cursum, pro diuersa suorum orbium quantitate & magnitudine: Nam inferiores

orbes

orbes ſuperioribus intra quos continentur minores ſunt, ideoque minori tempore curſum ſuum conficiunt, ſuperiores autem maiori temporis curriculo indigent, vt Luna in 28. diebus percurrat Zodiacum, Mercurius, Venus, & Sol ferè vnius anni interuallo, Mars duobus annis, Iupiter duodecim: Saturnus triginta. Verum exactior horum explicatio, ad alias diſciplinas pertinet: Noſtro autem inſtituto fuerit ſatis demonſtraſſe, quemadmodum ſidera nobis tempora & annos ac dies diſtinguant: In ſigna etiam ſunt, quoniam ex his, inquit Philo Iudæorum diſertiſſimus, de quo abijſſe in prouerbium ſcribit diuus Hieronymus, aut Plato philonizat, aut Philo platonizat, & beatus Ioannes Chryſoſtomus, poſſumus dinoſcere omnia: Etenim nauclerus ad horum curſum obtutus dirigens, nauim inter impetuoſos procelloſi maris fluctus, ad optatum perducit portum, Agricola quoque ex ijs diſcit, quando rudem campum proſcindere incumbat, ſerere & metere proficiat, vnde beatus Auguſtinus: Non illa, inquit, ſigna quæ obſeruare vanitatis eſt, ſed vtique vtilia, & huius vitæ vſibus neceſſaria, quæ vel nauclerus obſeruat in gubernando, vel omnes homines ad præuidendas aëris qualitates, per æſtatem, & hyemem, & autumnalem vernalemque temperiem.

Lib. de opificio mundi.

Homil. 6. ſuper Geneſim.

Lib. 2. de gen. ad lit. cap. 14.

Ex cæli diſpoſitione quæ prædici valeant?

CAPVT VIII.

Serenitatem aëris, tempeſtatum procellā, pluuiarum abundantiam, cæteraque eius farinæ ſimilia, ex ſignis cæleſtibus colligere licet futura: ſed tamen cauendum, ne ſic intelligatur, quaſi per aliquam artem exiſtimarit in longum tempus illa poſſe prænoſci, & ex aſtris prædici: Sed per ſolem & lunam, tempeſtatum ſerenitatumque ſigna dari intellexit, cum per aërem circunfuſum & obiectum, varius eorum color & ſplendor apparet, quorum nautæ & agricolæ obſeruantes, præſagire pluuias norunt futuras, eaſque duraturas vel breui ceſſaturas, quemadmodum Iridem ſignum pluuiæ dicimus eſſe. Ad hanc rem adſtruendam profert illud Matthæi, hodie tempeſtas eſt, rutilat enim triſte cælum, annectit & octa alia ſigna, qualia commemorat Ariſtoteles in libris Metheororum. Hunc ſequutus diuus Ambroſius, non vult ſuperiora Moyſi verba: In ſigna & tempora, ad aliquam artem, futura multo poſt tempore prædicendi pertinere, vnde ait: Aërem quoq; nonnulli etiam docti & Chriſtiani allegauerunt ex

Cap. 16.

Lib. 4. hexa. cap. 7.

runt ex

runt ex ortu Lunæ solere mutari. Sed si id mutationis lunaris quadam fieret violentia, ad omnes ortus eius semper vel plerumque pluuiæ funderentur, nam quæ arte quapiam futura dicuntur, oportet vel semper vel vt plurimum euenire, aut ars figmentum est euanidum. Subijcit denique: cum ante dies paucos esset sermo de pluuia, quæ fore vtilis diceretur, ait quidam, Ecce neomenia dabit eam: & quamuis cupidi essemus imbrium, tamen eiusmodi assertiones nolebamus esse veras, denique delectatus sum, quod nullus imber effusus esset, donec precibus Ecclesiæ datus, manifestaret non de initijs lunæ sperandum esse, sed de prouidentia & misericordia creatoris: hactenus ille, Qui si persuasum habuisset hanc esse naturam astrorum, qua perspecta possent probabiliter futuræ aëris affectiones arte prædici, nunquam artem bonam & diuinitus concessam improbare voluisset. Et profectò qui huius artis sunt professores, non solum hallucinantur interdum, sed subinde falluntur, ex quo manifestum euadit artem minimè esse dicendam: Vnde veteres prognosticorum conditores, non sigillatim quid quoquo die eueniret, prædicebant, sed generatim duntaxat circa singula nouilunia, idque ferè hac adiuncta particula moderabantur (secundum tempus) In hyeme scilicet more brumalis rigoris, In æstate more æstiualis serenitatis, videbant nimirum illi ad singulos dies artem non posse suam extendi. Existimo autem has prędictiones & Ephimerides falsas esse, & passim operam ludere: Si quis namque ex diametro, cum singulis præsagiorum in prænosticationibus positorum articulis pugnare vellet, diuersumque notare, forte non minus à veritatis semita, quàm isti Mathematici sua præsaga mente exorbitaret. Humanæ etiam naturæ noxiæ sunt, siquidem homines ab illis incertis & fallacibus diuinationibus magis quàm à diuina prouidentia pendere consuescunt, Quę nos semper præueniat & sequatur. Amen.

Prognosticorum priscorum praxis.

DISTIN-

DISTINCTIO DECIMAQVINTA.

De opere quintæ diei.

CAPVT I.

DIxit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terrã, sub firmamento cæli. Reptile dicitur quicquid repit, proprieq; de animantibus verificatur, quæ non pedibus, sed ventre gradiuntur, vt sunt vermes, serpentes, lacertæ, stelliones & testudines: Reptile autem animæ viuentis, more Hebraico dictum aiunt, pro reptile viuens: Volatile dicitur quicquid volat. Aquarum verò nomine quidam hoc loci non ipsum aquæ elemẽtum, sed aërem istum crassiorem & vaporibus permixtum intelligendũ opinantur, quòd aues in aëre degant, quem earum habitationi rerum opifex deputauit. Sed hoc argumẽtum nihil euincit: Potuit enim Deus animantibus ex aqua cõditis sursum se sustollendi ac subleuandi in aëra, virtutem tribuere: nam & aqua sua habet volatilia sicut experientia docet, eandem ergo intelligamus aquam, quæ pisces & volatilia produxit: quorum creationem fusius describens sanctus Moyses: Creauitque Deus, inquit, cete grandia. Non vana alicui debet videri quæstio, si inquiramus cur peculiariter Dominus piscium certam exprimens speciem dixerit, Creauit cete grandia, & non etiã cum de animantibus agitur & auibus, creauit leones, pardos aquilas, elephantes, &c. sed generatim duntaxat enuncians dixerit, Creauit bestias terræ & volatilia cæli: Causa est quod scriptura insigniora, maiora, & notabiliora enũtians dixerit, & minora generatim vno verbo omnia comprehendat: Itaq; cete speciatim meminit, quod beluæ marinæ sint immensæ molis & magnitudinis, adeò vt annotauit sanctus Ambrosius, in Athlantico mari insulis similes sint, & excelsum quemuis terræ montem superent, nec sit vlla terrestrium animantiũ magnitudo, quæ earum moli valeat comparari. Hiscé annexuisse non displiceat lepidam Iudæorũ fabellam, qui plus quàm cimmerijs tenebris offusi, ad suæ vesaniæ cæcitatem, qua plenis buccis Messchiam nõdum venisse affirmant, scripturam producunt: In illa die visitabit Dominus in gladio suo duro, grandi

Lib. 5. Hexa. ca. 11.

Vasta pisciũ magnitudo.

Esaiæ 27.

Iudæorum lepida fabula. grandi & forti, super Leuiathan serpentē vectem, & super serpentem tortuosum, & occidet cetū qui in mari est. Hac sententia freti somniant Deum in ipso nascentis mundi exordio, duo cete prægrandia inter reliqua creasse, marem & fœminam, quorum vastam molem magnitudinemque cum admirabundus aspexisset Deus, timuit ne crebriori similis speciei procreatione, vniuersę mundi machinæ essent perditionis periculo, eiq; multa inferrent detrimenta, Quocirca fœminam peremit, ac corosorio sale conditam, conuiuio affluentibus dapibus instruendo, nec non tempestate aduentus Messchiæ Iudæis apparando, reseruando reposuit. Atqui hæc fabula vel cæna nondum est celebrata: Nondum enim sumus, inquiunt, ad splendidum illud conuiuium citati, & humeris gentium secundum eundem vatem, ad solum natale deportati, ergo Messchię tempus nondum aduenit. Quis quæso non videt hos etiam meridie tanquam horribilibus tenebris palpitare? Quis non compatiatur Iudaicæ gentis cæcitati? quæ si vel Israëlitici nominis teneret dignitatem, & sacras literas non obcæcato corde percurreret, Esaias haud obscurè genuinam panderet ipsis veritatem: Non etenim disputat de mundi initio, aut splendido conuiuio, sed potiùs de extremo supplicio, testibus, Cyrillo, Hieronymo, & Ambrosio, A capite siquidem 24. vsque ad 27. disseruit de sæculi consummatione, electorumque beatitudine, capite autem 27. tractat quæ pœna maneat ipsum Leuiathan, qui methaphoricôs signat diabolum, quem in illa die, id est, vltimo iudicio ex isto caliginoso aëre deturbandum cum suis satellitibus occidet, non per naturalem corporis mortem, sed morte secunda infernalibus pœnis æternaliter ipsum aliosq; cruciandos mancipabit, à quibus nos præseruet qui est benedictus in sæcula.

Esaiæ 61.

In Commētarijs lib. 5. de fide, cap. 1.

De opere sextæ diei. CAP. II.

DIxit quoque Deus: Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta & reptilia, & bestias terræ secundum species suas, &c. Prius terram diuerso genere arborum ac fruticum, plantarumque varietate adornarat: Nunc diuersas animalium species, ex ea nasci efficaci iussu præcipit, hęc autem omnia propter futurum perficit hominem, ad cuius vsum, vtilitatem & ministerium omnia sunt condita. Nec imaginaria comminisci debemus, instar Origenistarum, portenta ferarum, sed vt verba sonant, sunt intelligenda, secundum diuum Basiliū & Ambrosium, Cælum, inquit, legimus, cælum intelligamus, non spiritualem naturam: terram legimus, terram intelliga-

Homil. 9. Hexa.

Lib.2.cap.6. hexa.

intelligamus, non materiam primam. Creata quidem hoc die fuêre animantia etiam venenosa, fera & rapacia, lupi, leones, tigrides, serpentes, sed homini nisi peccasset, nocere non potuissent? Quæ res scripturarum testimonio probari posse videtur, nam adductis ad Adam cunctis animantibus, non resiluit, non expauit, sed cunctis nomina imposuit: Nec Euam serpens perterruit, sed familiariter cum ea sermonem miscuit. An autem feritas bestijs ita fuerit naturalis, vt in inuicem etiam dentes acuissent, non absurdum videtur diuo Augustino: Ast illis in libris multa inuestigādo disputat, nec definiēdo determinat, vide diuum Thomam. Quare aliam eiusdē sententiam, amplectendā satius fore ducimus, vbi sic ait, Illud etiam nō est consequens, vt ideo intelligatur in allegoria tantūmodo, quod herbæ virides, & ligna fructifera, omni generi bestiarum & omnibus auibus, & omnibus serpentibus, in libro Geneseos dantur in cibum, quia sunt & quadrupedia, & volatilia, quæ solis carnibus viuere videantur, fieri enim posset vt alerentur ab hominibus etiam de fructibus terræ, si propter obedientiam, qua ipsi homines Deo sine vlla iniquitate seruirent, mererentur omnes bestias & aues omni modo habere seruientes: Itaq; & scripturę consentaneum est, Dedi, inquit, vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quę habent in semetipsis semētem generis sui vt sint vobis in escam, & cunctis animātibus terrę, omniq; volucri cæli: & doctrinæ diui Augustini, ante lapsum nulla voraci rapacitate cōtra se mutuo sęuijsse, nec alijs alias escam fuisse, sed his quæ terra pariebat ali potuisse.

Animalia nisi peccasset homini nocere nō potuissent.

Lib. 3. de gen. ad literam cap. 16.

1. Parte quæst. 96.

Lib. 1. retract. 10.

Animalia qualia fuissent ante peccatum.

Humana creatura quàm præstet cæteris creatis.

CAPVT III.

INter ea quæ condita sunt in terris, homo non tantum naturæ dignitate, & conditionis nobilitate antecellit, verumetiam quod naturæ suæ dignitatem intelligere valeat: Reliqua etsi pulcra sint, & authoris bonitatem ac sapientiam euidenter ostendant, tamen dum sibijpsi incognita sunt, ornatus sui præcipuum fructum non sentiunt. Sol inexplicabilis quidem est pulcritudinis & virtutis, at illam ipsam suam excellentiam & virtutem non intelligit, & nullam ex sua pulcritudine vtilitatem accipit: Homo autem & intelligit naturæ propriæ dignitatem, & finem in quem Deus eum plasmauit, vt nimirum naturæ & conditionis suæ dignitatem cognosceret, & immarcessibilem futuræ gloriæ coronam perciperet.

Non quidem vt sui amore captus, in superbiam erigatur, ac in seipso, propriam considerando pulcritudinem requiescat, & quasi regnum in se erigat. sed vt ad gratiarum actionem excitetur, & in feruentiorem sui conditoris amorem rapiatur. Insuper vt seriò consideret, quàm indignum sit, tam nobile figmentum Dei, terrenorum affectuum sordibus, & peccatis contaminari, ac rursus, vt ex comparatione primordialis institutionis, clarius præsentis temporis miseriam peccato contractam agnoscat, agnita in se ardentius exuscitet illius vitæ desiderium, in quo est ab omni miseria perfecta securitas. Sunt & alia, quæ hominem ab aliorum omnium creatione separant. Primò quidem, quod omnia reliqua Diuino duntaxat iussu sint condita: Dixit enim Deus, fiat lux, &c. Cæteraque omnia ad solum Diuinæ iussionis verbum creata prodierunt: Hominis autem ipsius plasmatio singulari constituta est consilio, vtputa de cuius formatione, priusquam conderetur diuinitus tractabatur, Faciamus, inquit Deus, hominem ad imaginem, &c. Non quod Deus consilio, vel deliberatione egeat, aut successiuam de suis considerationem operibus habere debeat, vel deniq; quod plus consultauerit, aut deliberauerit super homine faciendo, quàm de alijs creaturis, quasi hoc fuerit magis difficile: Sed quia per hoc Moyses significare voluit, hominem præ reliquis omnibus excellentissimæ esse dignitatis. Discernit & hoc hominem ab alijs, quod addit Moyses, cum conditum esse ad dominium, principatum, & gubernationem omnium aliorum. Vt præsit, inquit, piscibus maris, & volatilibus cæli, bestijs, & omni reptili. Quinimo sanctus Moyses, alibi docet, Solem, Lunam, & omnia astra, ad eius ministerium esse creata.

Dignitas hominis.

Deuter. 4.

Homo quare nouissimè creatus.

CAPVT IIII.

MAgna inuadet aliquem fortasse admiratio, quare postremò à formatione omnium creandorum, Deus hominē dignitate naturæ omnia creata antecellentem creauerit. Cui facere satis nititur quadripharia diuus Ambrosius: Quemadmodum, inquit, mensa prius affluentibus dapibus instruitur, omniaque parantur, antequam conuiua introducatur, ita Deus ordinatissima dispositione omnia creauit, quę iam creata vsui hominū concessit. Hanc etiam rationem habet Gregorius Nicenus. Alia ratione nouissimè creatus est, quia cùm homo esset in palæstra constituendus, vt validum aliquando

Epistola 38. ad Horontianum.

Lib. de homine, cap. 2.

cùm

eum vigili hoste faceret conflictum, Deus huius agonis instaurator, prçmia, quibus militem animosiorem redderet, quasi suspendit, quãdo capacissimam cælorum amplitudinem super caput athletæ certantis extendit. Tertia, in omnibus rebus præstantiora sunt principia & finis, si domum consideres, potiora sunt fundamenta & culmina, si agrum, plantatio, & maturæ messis collectio; Ita in principio creauit Deus cælum, stupescendis siderum fulgoribus adornatum, nouissimè plasmauit & hominem, qui quodammodo cælestis creatura foret in terris, vt sicuti Deus regnat in cælorum sublimibus: ita ipse imperaret inferioribus, secundum beatum Ioannem, ab aureo eloquendi profluuio, Chrysostomum appellatum. Quartò, creatus est vltimò, quia vniuersis tanquam rex, & gubernator erat præficiendus, & velut nauclerus prouidus, ad fœlicitatis portum vniuersa dirigeret eius capacia, in puppi constitutus. Cui suffragatur alia eiusdem alibi posita sententia, quod instar regis in mundum omnigena rerum varietate adornatum, tanquam in palatium sit inductus.

Pluscul is de causis homo vltimò est creatus.

Lib. 1. de prouiden. Dei, tomo 5. & homil. 8. super Gen.

Deus quomodo requieuit.

CAPVT V.

IN præsentia dissimulandum non est, quod legimus Deum, septimo die complesse opus suum, & requieuisse. Siquidem Manichæi, teste beato Augustino, calumniantur nouo testamento prælibatam aduersarij sententiam. Cùm Christus in Euangelio dicat, patrem suum vsque modò operari, quoniam post illos sex dies, noua permulta fecit, & plura facere præualet, nam in primis sequutum est illud nouum & admirabile Sacramentum, de quo Propheta vaticinatus est, fecit Dominus nouum super terram, fœmina circundabit virum, opus videlicet Dominicæ incarnationis, nostræque redemtionis. Post illos etiam dies, miracula ante assumtam carnem plurima patrauit, & in populo Israhelitico, homo factus est. Deinde nouos quotidie generat homines: multaque post diem septimum, ex putrefactione sunt orta, quæ antea in primordiali creatione formaliter non prodierant. Sed perfacilis est solutio, si obtutus mentis dirigamus, ad horum, & Iudæorum errorem, qui rebantur sic Deum, septimo die requieuisse, vt inde nihil prorsus operaretur, cùm requieuerit ab omnibus, de nouo causaliter, materialiter, vel similitudinaliter creandis, vt paulò post manifestius euadet, non ab operatione conseruationis, gubernationis, vel

Genes. 2.
Lib. cont. Adimantum, cap. 2. & de ge. cont. Manich. cap. 22.
Ioã. 5. cap.
Obiectio.
Hier. 41.
Solutio.

P rerum

rerum creatarum administratione, de quibus intelligenda est, præmissa Apostoli sententia. Hæc tamen requies non est accipienda, tanquam Deus instar fabrorum prius laborasset, & nimia fatigatione exhaustus, laboreque euisceratus, vires quiescendo collegisset, quia dixit, & facta sunt, ipse vtique verbo sempiterno ac voluntate efficaci mandauit,& creata sunt. Profecto doctores quidam sic quiescere exponunt, vt sit desiderij sui finem assequutum esse, cùm enim quippiam desideramus, neque id assequuti sumus, inquietus est noster animus. At inquis, isto modo non septimo primum die, sed ab æterno requieuit in seipso, semper beatus existens. Verum septimo die requieuisse dicitur, non in operibus, sed ab operibus, vt eo significaretur, ne tum quidem cum opera tam admiranda fecisset, in alio quàm in semetipso requieuisse: Ex quo discimus non fecisse Deum opera sua, ex aliqua indigentia, sed consummatis operibus, ne tum in vlla re alia, quàm in sua omnibus modis absoluta perfectione, beatissimè ac suauissimè conquieuisse. Hoc modo intelligit diuus Augustinus, cuius sententiam libentiùs recito, quod Apostoli verbis magis congruere videatur: Itaque, inquit, relinquitur Sabbatismus populo Dei: qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut & à suis Deus: Festinemus ergo ingredi in requiem illam: Quo loco insinuat illam Dei requiem, qua in semetipso requiescit, non in operibus sed ab operibus significare sanctorum requiem: quæ non in seipsis, nec in vllo creato opere, sed in Deo requiescunt, sicut lætitia domus, lætitiam significat eorum, qui lætantur in domo, etiamsi non eos domus ipsa, sed alia quæpiam res lætos efficiat, multò magis, si eadem domus pulcritudine sua lætos efficiat habitatores, vt non solum eo loquendi modo læta dicatur, quo significamus per id, quod continet, id quod continetur, sicuti theatra plaudunt, prata mugiunt, cùm in illis homines plaudant, in his boues mugiant, sed etiam illo, quo significatur per efficientem, id quod efficitur, vti læta dicitur epistola, quæ significat eorum lætitiam, quos legentes efficit lætos. Conuenientissimè itaque cùm Deum requieuisse commemorat scriptura, significatur requies eorum, qui in illo requiescunt, & quos facit ipse quiescere, licet hic non sit genuinus literæ sensus, quemadmodum enim post opera completa quieuit, ita & nos post opera nostra significauit quieturos. Vtraque quidem sententia verbis congruit Apostolicis, sed alteram altera magis congruere, is inueniet, qui Augustini lectionem,

Deus vt quieuerit.

Lib. 4. de Genes. ad lit. cap. 10. & 11. tract. 17. in Ioã. & 11. de Ciuitat. cap. 8.

Hebr. 4.

Quies Christi super fontē.

nem, Apoſtolicæ lectioni coniunxerit. Quia Auguſtinus, nec *Tract. 15. in*
non Ambr. pulcerrimè philoſophantur, ſuper eo quod legitur *Ioan.*
apud Ioannem. Chriſtum fatigatum hora ſexta quieuiſſe ſic ſu- *In prolog. lib.*
per fontem. Difficultatis nonnihil hic oritur propter 70. Inter- *2. de Spiritu*
pretes, hi enim Deum, ſexto die perfeciſſe opus ſuum legunt, *S. & ſer. 31.*
quam lectionem nonnulli ſequuti, noſtrum quoque textum ad *Ioannis 4.*
eum ſenſum trahere niſi, ſic expoſuerunt, Septimo die. i. ſub ſe-
xtæ diei finem compleuit opus ſuum, ſiue aduenientc ſeptimo
die: Itaque illis placet ſeptimo die Deum opus conſummaſſe *An 6. aut 7.*
ſuum. Reuerendiſſ. Antiſtes Petrus Lombardus, Magiſter Sen- *die quieuerit*
tentiarum paſſim appellatus, duas in medium producit expoſi- *Deus?*
tiones: Prior eſt, Septimo die perfecit opus, quia licet eo die
nullam condiderit creaturam, nonnihil tamen operis benedi-
cēdo fecit, ſicuti facere dicitur aliquid, qui Deo templum dedi-
cat: Poſterior, compleuit. i. completum & conſummatum vi-
dit. Alij verbum compleuit, negatiuè exponunt hoc ſenſu, com-
pleuit die ſeptimo, id eſt, nihil noui operis die ſeptimo adiecit,
ſic Angelicus doctor, & meo quidem iudicio rectè, Nam com-
plere opus ſuum, is rectè dicitur, qui eo abſoluto ceſſat ope-
rari: Quieuit igitur inquantum opus primordiale compleuit,
quamuis enim potuiſſet plura feciſſe, vel adhuc facere, nihil
tamen de cætero fecit, vel creando facit, quod illis primis
ſex diebus non præceſſerit. Nihil, inquit Sapiens, ſub ſole
nouum fit. Nihilominus varia eſt huiuſmodi rerum præceſſio. *Eccleſ. 1.*
Quædam namque ſunt, quæ præceſſerunt in principijs actiuis,
& materialibus facta, vti ſunt de patre, & matre ſimilia indiui- *De varijs pro-*
dua, iuxta illud: Sæpe ſolet ſimilis filius eſſe patris. Secun- *ceſſionibus*
dò quædam præceſſerunt, ſecundum ſimilitudinem ſpeciei, ex *rerum.*
principijs diſponentibus, vt quando ex nihilo à Deo anima
humana corpori iam organizato infunditur, vnde ſanctus Au- *Epiſtola quæ*
guſtinus: Si Deus nihil noui creando producat, ſed tantum gu- *eſt 28. Nu-*
bernando conſeruat, quomodo quotidie nouas creat animas? *mero.*
Et reſpondet Deum quieuiſſe, non quia creauit, quod nondum
erat, ſed ſemel creata in exordio numeroſius producendo. Ter-
tiò quædam virtualiter præceſſerunt in ſuis cauſis, ſicut in prin-
cipijs actiuis, generatione æquiuoca, veluti ſunt quædam ani-
malcula ex putrefactione generata, de quibus ſanctus pater: *3. de Gene. ad*
Quæ de animalium, inquit, gignuntur corporibus, & maxi- *literā, ca. 14.*
me mortuorum, abſurdiſſimum eſt dicere, ab initio ea eſſe
creata, quando animalia primitus creata ſunt, niſi quia inerat
omnibus animatis corporibus, vis quædam naturalis, & quaſi
præſeminata materia, & quodammodo initiata primordia

P 2 futuro-

futurorum animalium, quæ de corruptionibus talium animalium, pro suo genere ac differentijs, per administrationem ineffabilem, omnia mouentis incommutabilis creatoris, in æternum benedicti, erant exoritura.

Quomodo benedixit Deus diei septimæ, alijsq; creaturis.

CAPVT VI.

Benedicere bipharium accipitur. NOmenclatura benedictionis, bipartitam in sacris literis asciscit significationem, aliquando namque in bonam, interdum in malam vsurpatur partem, In malā quidem accepta, significat blasphemare, aspernari, nam Iob, capite secundo, Satan dixit, videbis quod in faciem benedicet tibi, & rixosa mulier consorti, sancto nempe viro, Benedic Deo & morere, id est, blasphema, vel procella angustiarum obrutus, maledic Deo, sic beatus Augustinus, sic etiam translatum legit magis secundum sensum, quàm verbum Sanctes Pagninus, cum alioqui Hebraica veritas habeat, nisi in faciem benedixerit tibi: per Antiphrasim, ergo hoc loci pro maledicere vsurpatur, secundum eundem Augustinum, & sanctum Gregorium. Quemadmodum alibi pro eo, quod nos legimus: Benedixit Nadab, Deum & Regem, Hebrei transferunt, blasphemauit, & Chaldaica translatio Ionathæ habet verbum, gaddef, quod significat contemsit: Sic verbum thaab, accipitur in bonā partem, vt significet desiderare, concupiuit anima mea desiderare. Verū apud Amos Prophetam, secundum translationem Hieronymi, in malam partem, vt significet detestari & abominari, detestor ego superbiam Iacob. Secundò, benedicere vsurpatur pro laude Dei. Aliter tamen benedicitur Deus ab homine, aliter homo à Deo, Deus ab homine benedicitur, cum dignis laudum præconijs extollitur, vnde Regius Psaltes: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus, &c. Et alibi: In Ecclesijs benedicite Deo Domino. & iterum, Benedic anima mea Dominum. Homo benedictionem à Deo assequitur, quando gratiæ suæ dona impartitur, vnde notādum quod aliqui sint perfecta benedictione repleti, vt sancti in patria: Qui semināt in benedictionibus, de benedictionibus & metent. Quidam in plena maledictione, vt dānati. Ite maledicti. Aliqui in mundo, & hi sunt mixti: Quidam namque benedictionibus replentur, vtpote gratia iustificati, atque ab omni labe peccati lethiferi immunes. Quidam maledictionibus saturātur, vt peccatorū sordibus mācipati, benedictio Domini super caput iusti, (inquit)

Tract. 12. in Ioan. — *Libr. cont. mendac. ad cōsen. ca. 10.* — *Lib. 2. moral. 6.* — 3. Reg. 21. — Psal. 118. — Cap. 3. — Psal. 23. 57. & 102. — 2. Corin. 9. — Matth. 25. — Prouer. 10.

(inquit)os autem impiorum operit iniquitas. In huius figuram Deus benedixit Adæ, in statu innocentiæ, simul autem atq; peccauit eidem maledixit, maledicta terra, &c. Triplex autem Dei benedictio est nobis necessaria, Præueniēs quæ est misericordię, qua pręuenit conuersionem, Adiuuans quæ est gratiæ, qua prouehit conuersum; Tertiam per gloriā cōsummat. Nisi triplicem istā nobis elargitus fuerit benedictionem, terra nostra fructum salutis proferre nequibit. Ideo S. Abraham, has tres promeruit, teste B. Ambrosio, vnam post victoriā ab hostibus reportatam, qua nepotem tyrannidi exemit, potenterq; macte virtute liberauit: Secundā, quādo mutato nomine signaculum circūcisionis accepit: Tertiam, quando in signum futuræ redemtionis, filium offerre non dubitauit. Aliquando accipitur quoque benedicere pro gratias referre, sic S. Moyses, benedicas Deum cùm saturatus fueris. & alibi, Benedixit omnis Ecclesia Deum. & iterum: Benedicite Deum cæli. i. ei gratias agite, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Et alius quidā sanctus, benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum. i. ei gratias agā. Deinde benedicere est, bona alicui imprecari, aut tribuere: Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, benedixitq; ei. Et postea, In semine tuo benedicentur omnes gentes. i. in Christo salutem habebunt, qui secundum carnem ex semine Abrahæ natus est. Vltimò sumitur pro sanctificare, benedixit Dominus diei Sabbathi, hoc est, sanctificauit illum, & Aaron extendens manum ad populum, benedixit ei, id est, sanctificauit: Christus Seruator noster accepit panem, & benedixit, id est, transsubstantiauit. Contingit autem aliquando benedicere, & sanctificare homines, quandoque res inanimatas, & hoc tum à Deo, quàm ab hominibus: Deus siquidem benedixit hominibus, vt prælibatū est. Et etiam homines benedicunt hominibus, qua prælati subditis benedictionē impartiūtur. Sic benedixit illis Simeon, quāquam enim minor in maiorem agere res vetet, & proinde gloriosam virginem matrem, multis parasangis præstantiorem benedicere non potuerit, sicut nec simplex sacerdos benedictionem facere præsente Episcopo præsumit, ne Episcopum sanctificare videatur: tamen Symeon vita & merito superiori, imposito sibi munere officij, benedixit. Nec ista benedictio, seu manus impositio, ceu euanida est respuenda, quasi pileum penetrare nequeat, sed humili corde poplitibusque flexis requirenda, quippe quæ Spiritus sancti gratiam conferat, secundum beatum Ambrosium, quoniā benedictio describitur esse sanctificationis & gratiarum votiua collatio, qua elucet magna ministrorū Ecclesiæ

Geneſ. 3. *Triplex benedictio est nobis necessaria.* *Libr. 1. de Abrahā, cap. 8.* Gen. 14. 15. 17. & 22. Deut. 8. 1. Paral. 29. Tobiæ 4. & 12. Psalm. 15. Genes. 1. & 22. *Benedicere multa significat.* Genes. 2. Leuit. 19. Matth. 26. *Benedicūtur res animatæ, & inanimatæ, à Deo & hominibus.* *Episcopo præsente, simplex sacerdos non debet benedicere.* *De benedict. patriarch. cap. 2.* *Benedictionis descriptio.*

 dignitas,

dignitas, vti namque Apostoli visibiliter manuum impositione, ita isti inuisibiliter: ac tam magna est ista dignitas, vt nemo eam, ante Christi aduentum assequutus fuerit, nec manuum impositione Spiritum sanctum dare valuerit, vnde admirabundus Sapiens dicebat: Quis continuit spiritum in manibus suis? quasi dicat, nullus. Clausa quippe erat tum gratia in manu Dei, sed tandem manum ad petitionem Dauidis compressam extendit: Emitte manum de alto, & eripe me, & libera me de aquis multis. Et alibi: Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate, Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Atque istud, cùm primis veritatem habet in Sacramentis Dei, adeò vt si spiritum vitæ amiseris peccato, dicas Sacerdoti, Domine, filia mea, id est, anima mea modò defuncta est, veni impone manum tuam, & viuet. Nec solum in Sacramentorum administratione, mystica dona conferuntur, sed etiam simplici manuum presbyteri impositione & benedictione, piæ mentis affectu suscepta, peccata venialia abluuntur, quare antiquitus laudabili ritu, Episcopum discedere non patiebantur, nisi benedictionem ipsius obtinuissent, vti sanctus Augustinus quoque pontificatus apicem nondum assequutus, facere adsolet. Res autem inanimatæ etiam à Deo benedicuntur, & hominibus, Deus siquidem benedixit diei septimæ, piscibus maris, & auibus, non ita reliquis bestijs & herbis. Diuus Augustinus benedictionem censet ab alijs repetendam: sed magis placet, quod in nullo genere rerum, tanta sit fœcunditas, quàm in piscibus præsertim, & auibus, vnde quidam sic vertunt, vt dixerit Dominus ad pisces, copiose effundite vos: Videas enim carpionem vnum, vnica vice quatuor, aut quinque milia carpionum effundere. Alij dicunt, non meminit benedictionis terrestrium, quia Deus serpenti erat maledicturus, sed prior creditur probabilior. Homini autem benedixit, quia nulla est species animantium, quæ sic per vniuersum orbem diffundat se, ac multiplicet propagatione, vt humana natura, atque sic vbique locorum à Deo conseruatur. Quibusdam in locis inuenias camelos, non equos, desunt alijs oues, alijs capræ, Lupos nullos alit Anglia. Benedixit etiam diei septimæ, non quintæ, non tertiæ, quia sicut dies reputatur malus, non ratione sui, sed mensuræ actionis malæ, secundum Apostolum, Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt: ita dies est benedictus, quòd sit mensura sancti alicuius operis; Nec aliud est, diem aliquem benedicere, & sanctificare, quàm diem tali actioni cõsecrare. Quoniam igitur Deus omnia ad instructionem fecit, hominem solo

verbo

Prouer. 30.
Psal. 103. & 143.
Sapien. 1.
Matth. 9.
Benedictio venialia dimittit.
1. quæst. 1. cap. dictum. 22. Ciuit. Dei, cap. 8.
Lupos ignorat Anglia.
Ephes. 5.

verbo non instruxit, sed opere: Sicut namque sex dierum curriculo operationi, septimo quiescendo, intẽdit, ita homo ex creaturarum contemplatione, ad cognitionem sui conditoris excitari septimæ diei relinquebatur. Quia etiã princeps huius mundi, hominum saluti & vitæ, tam spirituali, quàm corporali inuidet, multa nociua rebus humano vsui deputatis adinuenit, vt ipsis, & spiritualiter, & corporaliter noceat, ideo Ecclesia instituit res benedici in virtute Dei, vt inimici prauitas eradicetur, & fideles in bono statu, & quiete conseruentur: Quamuis enim omnis creatura Dei, bona sit, tamen ad effugandam inimici virtutem, benedictionibus (quarum tenorem reperire licet multipliciter in Sacerdotali Romano) sacerdotum sanctificatur, vt ibi subnectit Apostolus, Creatura sanctificatur per verbum, & orationem, scilicet sacerdotis. Originem autem sumsisse videntur, istæ rerum inanimatarum benedictiones à Christo, qui panem Eucharistiæ, & eos, qui quinque milibus hominum pascendorum suffecerunt, benedixit.

Res quare benedicũtur?

Ioannis 16.

Origo benedicendi res inanimatas.

De tempore creationis mundi.

CAPVT VII.

Haud vacantis operę fuerit, breuibus explicuisse, quo anni tempore prima affulserit genitalis mundi hora. Rabbi Eliezer namq;, ac sequaces eius, Septembri initia mundi attribuerunt, quoniam tunc maturescentibus fructibus, cùm inclusis seminibus, absolutius fuisse Dei opus, secũdum scripturam, Dei perfecta sunt opera, videtur: hancq́ue tanquam sententiam probabiliorem (nempe hominem in statu ætatis perfecto productum, quo posset propagationem perficere, tunc enim vnumquodque videtur perfectum, cum simile sibi propagare valet, quod etiam in fructuum ratione adstruendum est, qui suis fuerunt seminibus grauidi) existimat, vndecunque doctissimus pater Nicolaus Lyranus. Rabbi, Iosue autem cum sua schola, nec non Strabone: videtur mundi principium Martio adscribendum, tum quia pubentes herbæ succrescant, & arbusta siluescant, tum quia arbores cum suaui florum fragrantia, illis in locis maturos fructus proferant. Nec sacris literis hæc sententia, etiam dissentanea reperitur, si Martius principium mensium apud Moysen consideretur, A qua sententia non est alienus diuus Athanasius, inquiens, Quare vicesimoquinto die mensis Martij, in vtero virginis clausus habitare cœpit Christus, & Deus noster, veniẽs in terram? Responsio.

Mundus quo anni tempore creatus?

Deuter. 32.

In cap. 7. ge. & 12. Exod.

Exod. 12.

Quæst. 17.

De Zodiaco circulo. Quorum ista sunt nomina, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces. Vnūquodq; verò signorū triginta partes habet siue gradus æquales, vt sint in vniuersum circuli Zodiaci 360. gradus, quos dum sol percurrit (mouetur autē assiduè sub hoc circulo) prælibatas temporum vicissitudines nobis distinguit: nam sole ingrediente primum Arietis gradum, Verni temporis reuolutio suum sumit initium: Et hic vocatur medius solis exortus, quia æquo vtpote trium signorum interuallo, tum distat sol à maxima sui eleuatione, quæ fit in principio cancri, & à maxima sui depressione, quæ est in principio capricorni. (*Æquinoctiū quomodo fiat.* Vocaturque initialis ista verni temporis versio, Æquinoctialis: quasi æquās noctem diei: est enim eo die spatium diurnum nocturno æquale: vtrumque namque duodecim horas complectitur. *Tempus vernum quando incipit.* Protenditur autem tempus vernum, ab vndecima die Martij vsque ad decimum tertium Iunij per mēses Martium, Aprilem, Maium, & signa illis correspondentia: Arietem, taurum & geminos. Deinde eleuato sole in partē Zodiaci altissimam, & polo arctico seu septētrionali proximā, vtpote in primum cācri gradum, *Tempus æstiuum.* incipit tempus æstiuum, quod protēditur à 13. Iunij vsq; ad 14. Septembris. Cum verò sol declinans, libram ingressus fuerit, fit *Autumnus.* æquinoctium autumnale, & protenditur hoc tempus autumnale à 14. Septembris vsque ad 13. Decembris. Denique cum sol *Brumale tempus.* maximè declinat ad polum antarticū seu meridionalē, atq; australē, & capricorni primū attingit gradū, tum hiberni tēporis exordium est, protenditurque hęc brumalis temperies à 13. Decembris vsque ad vndecimum Martij. Cumq; vt præfatum est, *Dies anni quot sint.* Sol totū percurrerit Zodiacum, completur annus solaris, mensibus duodecim constans, qui in vniuersum complectūtur dies 365. & diei quadrātem, sex videlicet horas, quę sunt quarta pars diei naturalis: Cùm autem quilibet annus solaris vltra 365. dies *Annus bissextilis qualis.* superaddat diei quadrantem, hinc quarto quoque anno huiusmodi excrescentibus quadrātibus dies integer cōficitur, quem bissextum quasi bis sextum, quia duobus diebus continuis dicimus sexto calendas Martias, duos videlicet dies pro vno computātes, vnde qui natus est bissexto calēdas, nihil refert vtrum priore an posteriore die natus sit, cum illud biduum pro vno dūtaxat die habeatur, qui apud nos in fine Februarij, festis sanctorum Apostolorum Petri & Matthiæ, interseri solet. Habent & alij planetæ suos motus, sub eodem circulo, sed vel maiori vel minori temporis spatio, hunc peragunt cursum, pro diuersa suorum orbium quantitate & magnitudine: Nam inferiores

orbes

orbes ſuperioribus intra quos continentur minores ſunt,ideoque minori tempore curſum ſuum conficiunt, ſuperiores autem maiori temporis curriculo indigent,vt Luna in 28. diebus percurrat Zodiacum, Mercurius, Venus, & Sol ferè vnius anni interuallo, Mars duobus annis, Iupiter duodecim:Saturnus triginta. Verum exactior horum explicatio, ad alias diſciplinas pertinet: Noſtro autem inſtituto fuerit ſatis demonſtraſſe, quemadmodum ſidera nobis tempora & annos ac dies diſtinguant: In ſigna etiam ſunt, quoniam ex his, inquit Philo Iudæorum diſertiſſimus, de quo abijſſe in prouerbium ſcribit diuus Hieronymus,aut Plato philonizat,aut Philo platonizat, & beatus Ioannes Chryſoſtomus, poſſumus dinoſcere omnia: Etenim nauclerus ad horum curſum obtutus dirigens, nauim inter impetuoſos procelloſi maris fluctus, ad optatum perducit portum, Agricola quoque ex ijs diſcit,quando rudem campum proſcindere incumbat, ſerere & metere proficiat, vnde beatus Auguſtinus: Non illa,inquit,ſigna quæ obſeruare vanitatis eſt, ſed vtique vtilia, & huius vitæ vſibus neceſſaria, quæ vel nauclerus obſeruat in gubernando, vel omnes homines ad præuidendas aëris qualitates, per æſtatem, & hyemem, & autumnalem vernalemque temperiem.

Lib. de opificio mundi.

Homil. 6. ſuper Geneſim.

Lib. 2. de gen. ad lit. cap. 14.

Ex cæli diſpoſitione quæ prædici valeant?

CAPVT VIII.

SErenitatem aëris, tempeſtatum procellã, pluuiarum abundantiam, cæteraque eius farinæ ſimilia, ex ſignis cæleſtibus colligere licet futura: ſed tamen cauendum, ne ſic intelligatur, quaſi per aliquam artem exiſtimarit in longum tempus illa poſſe prænoſci, & ex aſtris prædici: Sed per ſolem & lunam, tempeſtatum ſerenitatumque ſigna dari intellexit, cum per aërem circunfuſum & obiectum, varius eorum color & ſplendor apparet, quorum nautæ & agricolæ obſeruantes, præſagire pluuias norunt futuras, eaſque duraturas vel breui ceſſaturas, quemadmodum Iridem ſignum pluuiæ dicimus eſſe. Ad hanc rem adſtruendam profert illud Matthæi, hodie tempeſtas eſt, rutilat enim triſte cælum, annectit & octa alia ſigna, qualia commemorat Ariſtoteles in libris Metheororum. Hunc ſequutus diuus Ambroſius, non vult ſuperiora Moyſi verba: In ſigna & tempora, ad aliquam artem, futura multo poſt tempore prædicendi pertinere, vnde ait: Aërem quoq; nonnulli etiam docti & Chriſtiani allegauerunt ex

Cap. 16.

Lib. 4. hexa. cap. 7.

runt ex ortu Lunæ ſolere mutari. Sed ſi id mutationis lunaris quadam fieret violentia, ad omnes ortus eius ſemper vel plerumque pluuiæ funderentur, nam quæ arte quapiam futura dicuntur, oportet vel ſemper vel vt plurimum euenire, aut ars figmentum eſt euanidum. Subijcit denique: cum ante dies paucos eſſet ſermo de pluuia, quæ fore vtilis diceretur, ait quidam, Ecce neomenia dabit eam: & quamuis cupidi eſſemus imbrium, tamen eiuſmodi aſſertiones nolebamus eſſe veras, denique delectatus ſum, quod nullus imber effuſus eſſet, donec precibus Eccleſiæ datus, manifeſtaret non de initijs lunæ ſperandum eſſe, ſed de prouidentia & miſericordia creatoris: hactenus ille, Qui ſi perſuaſum habuiſſet hanc eſſe naturam aſtrorum, qua perſpecta poſſent probabiliter futuræ aëris affectiones arte prædici, nunquam artem bonam & diuinitus conceſſam improbare voluiſſet. Et profectò qui huius artis ſunt profeſſores, non ſolum hallucinantur interdum, ſed ſubinde falluntur, ex quo manifeſtum euadit artem minimè eſſe dicendam: Vnde veteres prognoſticorum conditores, non ſigillatim quid quoquo die eueniret, prædicebant, ſed generatim duntaxat circa ſingula nouilunia, idque ferè hac adiuncta particula moderabantur (ſecundum tempus) In hyeme ſcilicet more brumalis rigoris, In æſtate more æſtiualis ſerenitatis, videbant nimirum illi ad ſingulos dies artem non poſſe ſuam extendi. Exiſtimo autem has prędictiones & Ephimerides falſas eſſe, & paſſim operam ludere: Si quis namque ex diametro, cum ſingulis præſagiorum in prænoſticationibus poſitorum articulis pugnare vellet, diuerſumque notare, forte non minus à veritatis ſemita, quàm iſti Mathematici ſua præſaga mente exorbitaret. Humanæ etiam naturæ noxiæ ſunt, ſiquidem homines ab illis incertis & fallacibus diuinationibus magis quàm à diuina prouidentia pendere conſueſcunt, Quę nos ſemper præueniat & ſequatur. Amen.

Prognoſticorum priſcorum praxis.

DISTIN-

DISTINCTIO DECIMAQVINTA.

De opere quintæ diei.

CAPVT I.

DIxit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis. & volatile ſuper terrā, ſub firmamento cæli. Reptile dicitur quicquid repit,proprieq; de animantibus verificatur, quæ non pedibus,ſed ventre gradiuntur, vt ſunt vermes, ſerpentes, lacertæ, ſtelliones & teſtudines: Reptile autem animæ viuentis, more Hebraico dictum aiunt, pro reptile viuens: Volatile dicitur quicquid volat. Aquarum verò nomine quidam hoc loci non ipſum aquæ elemētum, ſed aërem iſtum craſſiorem & vaporibus permixtum intelligendū opinantur.quòd aues in aëre degant, quem earum habitationi rerum opifex deputauit. Sed hoc argumētum nihil euincit: Potuit enim Deus animantibus ex aqua cōditis ſurſum ſe ſuſtollendi ac ſubleuandi in aëra,virtutem tribuere:nam & aqua ſua habet volatilia ſicut experientia docet, eandem ergo intelligamus aquam, quæ piſces & volatilia produxit: quorum creationem fuſius deſcribens ſanctus Moyſes: Creauitque Deus, inquit, cete grandia. Non vana alicui debet videri quæſtio, ſi inquiramus cur peculiariter Dominus piſcium certam exprimens ſpeciem dixerit, Creauit cete grandia,& non etiā cum de animantibus agitur & auibus,creauit leones, pardos aquilas, elephantes,&c.ſed generatim duntaxat enuncians dixerit, Creauit beſtias terræ & volatilia cæli: Cauſa eſt quod ſcriptura inſigniora,maiora,& notabiliora enūtians dixerit, & minora generatim vno verbo omnia comprehendat: Itaq; cete ſpeciatim meminit, quod beluæ marinæ ſint immenſæ molis & magnitudinis, adeò vt annotauit ſanctus Ambroſius,in Athlantico mari inſulis ſimiles ſint,& excelſum quemuis terræ montem ſuperent, nec ſit vlla terreſtrium animantiū magnitudo, quæ earum moli valeat comparari. Hiſce annexuiſſe non diſpliceat lepidam Iudæorū fabellam, qui plus quàm cimmerijs tenebris offuſi,ad ſuæ veſaniæ cæcitatem,qua plenis buccis Meſſchiam nōdum veniſſe affirmant, ſcripturam producunt: In illa die viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, grandi

Lib. 5. Hexa. ca. 11.

Vaſta piſciū magnitudo.

Eſaiæ 27.

Iudæorum lepida fabula. grandi & forti, super Leuiathan serpentē vectem, & super serpentem tortuosum, & occidet cetū qui in mari est. Hac sententia freti somniant Deum in ipso nascentis mundi exordio, duo cete prægrandia inter reliqua creasse, marem & fœminam, quorum vastam molem magnitudinemque cum admirabundus aspexisset Deus, timuit ne crebriori similis speciei procreatione, vniuersę mundi machinæ essent perditionis periculo, eiq; multa inferrent detrimenta, Quocirca fœminam peremit, ac corosorio sale conditam, conuiuio affluentibus dapibus instruendo, nec non tempestate aduentus Messchiæ Iudæis apparando, reseruando reposuit. Atqui hæc fabula vel cæna nondum est celebrata: Nondum enim sumus, inquiunt, ad splendidum illud conuiuium citati, & humeris gentium secundum eundem vatem, ad solum natale deportati, ergo Messchię tempus nondum aduenit. Quis quæso non videt hos etiam meridie tanquam horribilibus tenebris palpitare? Quis non compatiatur Iudaicæ gentis cæcitati? quæ si vel Israëlitici nominis teneret dignitatem, & sacras literas non obcæcato corde percurreret, Esaias haud obscurè genuinam panderet ipsis veritatem: Non etenim disputat de mundi initio, aut splendido conuiuio, sed potiùs de extremo supplicio, testibus, Cyrillo, Hieronymo, & Ambrosio, A capite siquidem 24. vsque ad 27. disseruit de sæculi consummatione, electorumque beatitudine, capite autem 27. tractat quæ pœna maneat ipsum Leuiathan, qui methaphoricôs signat diabolum, quem in illa die, id est, vltimo iudicio ex isto caliginoso aëre deturbandum cum suis satellitibus occidet, non per naturalem corporis mortem, sed morte secunda infernalibus pœnis æternaliter ipsum aliosq; cruciandos mancipabit, à quibus nos præseruet qui est benedictus in sæcula.

Esaiæ 61.

In Commentariis, lib. 5. de fide, cap. 1.

De opere sextæ diei. CAP. II.

Dixit quoque Deus: Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta & reptilia, & bestias terræ secundum species suas, &c. Prius terram diuerso genere arborum ac fruticum, plantarumque varietate adornarat: Nunc diuersas animalium species, ex ea nasci efficaci iussu præcipit, hęc autem omnia propter futurum perficit hominem, ad cuius vsum, vtilitatem & ministerium omnia sunt condita. Nec imaginaria comminisci debemus, instar Origenistarum, portenta ferarum. sed vt verba sonant, sunt intelligenda, secundum diuum Basiliū & Ambrosium, Cælum, inquit, legimus, cælum intelligamus, non spiritualem naturam: terram legimus, terram intelliga-

Homil. 9. Hexa.

Lib. 2. cap. 6. hexa.

intelligamus, non materiam primam. Creata quidem hoc die fuêre animantia etiam venenosa, fera & rapacia, lupi, leones, tigrides, serpentes, sed homini nisi peccasset, nocere non potuissent? Quæ res scripturarum testimonio probari posse videtur, nam adductis ad Adam cunctis animantibus, non resiluit, non expauit, sed cunctis nomina imposuit: Nec Euam serpens perterruit, sed familiariter cum ea sermonem miscuit. An autem feritas bestijs ita fuerit naturalis, vt in inuicem etiam dentes acuissent, non absurdum videtur diuo Augustino: Ast illis in libris multa inuestigãdo disputat, nec definiẽdo determinat, vide diuum Thomam. Quare aliam eiusdẽ sententiam, amplectendã satius fore ducimus, vbi sic ait, Illud etiam nõ est consequens, vt ideo intelligatur in allegoria tantũmodo, quod herbæ virides, & ligna fructifera, omni generi bestiarum & omnibus auibus, & omnibus serpentibus, in libro Geneseos dantur in cibum, quia sunt & quadrupedia, & volatilia, quæ solis carnibus viuere videantur, fieri enim posset vt alerentur ab hominibus etiam de fructibus terræ, si propter obedientiam, qua ipsi homines Deo sine vlla iniquitate seruirent, mererentur omnes bestias & aues omni modo habere seruientes: Itaq; & scripturę consentaneum est, Dedi, inquit, vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quę habent in semetipsis semẽtem generis sui vt sint vobis in escam, & cunctis animãtibus terrę, omniq; volucri cæli: & doctrinæ diui Augustini, ante lapsum nulla voraci rapacitate cõtra se mutuo sęuijsse, nec alijs alias escam fuisse, sed his quæ terra pariebat ali potuisse.

Animalia nisi peccasset homini nocere nõ potuissent.

Lib. 3. de ge. ad literam cap. 16.

1. Parte quæst. 96.

Lib. 1. retract. 10.

Animalia qualia fuissent ante peccatum.

Humana creatura quàm præstet cæteris creatis.

CAPVT III.

INter ea quæ condita sunt in terris, homo non tantum naturæ dignitate, & conditionis nobilitate antecellit, verumetiam quod naturæ suæ dignitatem intelligere valeat: Reliqua etsi pulcra sint, & authoris bonitatem ac sapientiam euidenter ostendant, tamen dum sibijpsi incognita sunt, ornatus sui præcipuum fructum non sentiunt. Sol inexplicabilis quidem est pulcritudinis & virtutis, at illam ipsam suam excellentiam & virtutem non intelligit, & nullam ex sua pulcritudine vtilitatem accipit: Homo autem & intelligit naturæ propriæ dignitatem, & finem in quem Deus eum plasmauit, vt nimirum naturæ & conditionis suæ dignitatem cognosceret, & immarcessibilem futuræ gloriæ coronam perciperet.

Non qui-

Non quidem vt sui amore captus, in superbiam erigatur, ac in seipso, propriam considerando pulcritudinem requiescat, & quasi regnum in se erigat, sed vt ad gratiarum actionem excitetur, & in feruentiorem sui conditoris amorem rapiatur. Insuper vt seriò consideret, quàm indignum sit, tam nobile figmentum Dei, terrenorum affectuum sordibus, & peccatis contaminari, ac rursus, vt ex comparatione primordialis institutionis, clarius præsentis temporis miseriam peccato contractam agnoscat, agnita in se ardentius exuscitet illius vitæ desiderium, in quo est ab omni miseria perfecta securitas. Sunt & alia, quæ hominem ab aliorum omnium creatione separant. Primò quidem, quod omnia reliqua Diuino duntaxat iussu sint condita: Dixit enim Deus, fiat lux, &c. Cæteraque omnia ad solum Diuinæ iussionis verbum creata prodierunt: Hominis autem ipsius plasmatio singulari constituta est consilio, vtputa de cuius formatione, priusquam conderetur diuinitus tractabatur, Faciamus, inquit Deus, hominem ad imaginem, &c. Non quod Deus consilio, vel deliberatione egeat, aut successiuam de suis considerationem operibus habere debeat, vel deniq; quod plus consultauerit, aut deliberauerit super homine faciendo, quàm de alijs creaturis, quasi hoc fuerit magis difficile: Sed quia per hoc Moyses significare voluit, hominem præ reliquis omnibus excellentissimæ esse dignitatis. Discernit & hoc hominem ab alijs, quod addit Moyses, cum conditum esse ad dominium, principatum, & gubernationem omnium aliorum. Vt præsit, inquit, piscibus maris, & volatilibus cæli, bestijs, & omni reptili. Quinimo sanctus Moyses, alibi docet, Solem, Lunam, & omnia astra, ad eius ministerium esse creata.

Dignitas hominis.

Deuter. 4.

Homo quare nouissimè creatus.

CAPVT IIII.

MAgna inuadet aliquem fortasse admiratio, quare postremò à formatione omnium creandorum, Deus hominē dignitate naturæ omnia creata antecellentem creauerit. Cui facere satis nititur quadriphariam diuus Ambrosius: Quemadmodum, inquit, mensa prius affluentibus dapibus instruitur, omniaque parantur, antequam conuiua introducatur, ita Deus ordinatissima dispositione omnia creauit, quę iam creata vsui hominū concessit. Hanc etiam rationem habet Gregorius Nicenus. Alia ratione nouissimè creatus est, quia cùm homo esset in palæstra constituendus, vt validum aliquando

Epistola 38. ad Horontianum.

Lib. de homine, cap. 2.

cùm

cum vigili hoste faceret conflictum, Deus huius agonis instaurator, premia, quibus militem animosiorem redderet, quasi suspendit, quādo capacissimam cælorum amplitudinem super caput athletæ certantis extendit. Tertia, in omnibus rebus præstantiora sunt principia & finis, si domum consideres, potiora sunt fundamenta & culmina, si agrum, plantatio, & maturæ messis collectio; Ita in principio creauit Deus cælum, stupescendis siderum fulgoribus adornatum, nouissimè plasmauit & hominem, qui quodammodo cælestis creatura foret in terris, vt sicuti Deus regnat in cælorum sublimibus: ita ipse imperaret inferioribus, secundum beatum Ioannem, ab aureo eloquendi profluuio, Chrysostomum appellatum. Quartò, creatus est vltimò, quia vniuersis tanquam rex, & gubernator erat præficiendus, & velut nauclerus prouidus, ad fœlicitatis portum vniuersa dirigeret eius capacia, in puppi constitutus. Cui suffragatur alia eiusdem alibi posita sententia, quod instar regis in mundum omnigena rerum varietate adornatum, tanquam in palatium sit inductus.

Pluscul is de causis homo vltimò est creatus.

Lib. 1. de prouiden. Dei, tomo 5. & homil. 8. super Gen.

Deus quomodo requieuit.

CAPVT V.

IN præsentia dissimulandum non est, quod legimus Deum, septimo die complesse opus suum, & requieuisse. Siquidem Manichæi, teste beato Augustino, calumniantur nouo testamento prælibatam aduersarij sententiam. Cùm Christus in Euangelio dicat, patrem suum vsque modò operari, quoniam post illos sex dies, noua permulta fecit, & plura facere præualet, nam in primis sequutum est illud nouum & admirabile Sacramentum, de quo Propheta vaticinatus est, fecit Dominus nouum super terram, fœmina circundabit virum, opus videlicet Dominicæ incarnationis, nostræque redemtionis. Post illos etiam dies, miracula ante assumtam carnem plurima patrauit, & in populo Israhelitico, homo factus est. Deinde nouos quotidie generat homines: multaque post diem septimum, ex putrefactione sunt orta, quæ antea in primordiali creatione formaliter non prodierant. Sed perfacilis est solutio, si obtutus mentis dirigamus, ad horum, & Iudæorum errorem, qui rebantur sic Deum, septimo die requieuisse, vt inde nihil prorsus operaretur, cùm requieuerit ab omnibus, de nouo causaliter, materialiter, vel similitudinaliter creandis, vt paulò post manifestius euadet, non ab operatione conseruationis, gubernationis, vel

Genes. 2.

Lib. cont. Adimantum, cap. 2. & de ge. cont. Manich. cap. 22.

Ioā. 5. cap.

Obiectio.

Hier. 41.

Solutio.

rerum creatarum administratione, de quibus intelligenda est, præmissa Apostoli sententia. Hæc tamen requies non est accipienda, tanquam Deus instar fabrorum prius laborasset, & nimia fatigatione exhaustus, laboreque euisceratus, vires quiescendo collegisset, quia dixit, & facta sunt, ipse vtique verbo sempiterno ac voluntate efficaci mandauit,& creata sunt. Profecto doctores quidam sic quiescere exponunt, vt sit desiderij sui finem assequutum esse, cùm enim quippiam desideramus, neque id assequuti sumus, inquietus est noster animus. At inquis, isto modo non septimo primum die, sed ab æterno requieuit in seipso, semper beatus existens. Verum septimo die requieuisse dicitur, non in operibus, sed ab operibus, vt eo significaretur, ne tum quidem cum opera tam admiranda fecisset, in alio quàm in semetipso requieuisse: Ex quo discimus non fecisse Deum opera sua, ex aliqua indigentia, sed consummatis operibus, ne tum in vlla re alia, quàm in sua omnibus modis absoluta perfectione, beatissimè ac suauissimè conquieuisse. Hoc modo intelligit diuus Augustinus, cuius sententiam libentiùs recito, quod Apostoli verbis magis congruere videatur: Itaque, inquit, relinquitur Sabbatismus populo Dei: qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut & à suis Deus: Festinemus ergo ingredi in requiem illam: Quo loco insinuat illam Dei requiem, qua in semetipso requiescit, non in operibus sed ab operibus significare sanctorum requiem: quæ non in seipsis, nec in vllo creato opere, sed in Deo requiescunt, sicut lætitia domus, lætitiam significat eorum, qui lætantur in domo, etiamsi non eos domus ipsa, sed alia quæpiam res lætos efficiat, multò magis, si eadem domus pulcritudine sua lætos efficiat habitatores, vt non solum eo loquendi modo læta dicatur, quo significamus per id, quod continet, id quod continetur, sicuti theatra plaudunt, prata mugiunt, cùm in illis homines plaudant, in his boues mugiant, sed etiam illo, quo significatur per efficientem, id quod efficitur, vti læta dicitur epistola, quæ significat eorum lætitiam, quos legentes efficit lætos. Conuenientissimè itaque cùm Deum requieuisse commemorat scriptura, significatur requies eorum, qui in illo requiescunt, & quos facit ipse quiescere, licet hic non sit genuinus literæ sensus, quemadmodum enim post opera completa quieuit, ita & nos post opera nostra significauit quieturos. Vtraque quidem sententia verbis congruit Apostolicis, sed alteram altera magis congruere, is inueniet, qui Augustini lectionem,

Deus vt quieuerit.

Lib. 4. de Genes. ad lit. cap. 10. & 11. tract. 17. in Ioã. & 11. de Ciuitat. cap. 8.

Hebr. 4.

Quies Christi super fontẽ.

nem, Apostolicæ lectioni coniunxerit. Quia Augustinus, nec non Ambr. pulcerrimè philosophantur, super eo quod legitur apud Ioannem, Christum fatigatum hora sexta quieuisse sic super fontem. Difficultatis nonnihil hic oritur propter 70. Interpretes, hi enim Deum, sexto die perfecisse opus suum legunt, quam lectionem nonnulli sequuti, nostrum quoque textum ad eum sensum trahere nisi, sic exposuerunt, Septimo die.i. sub sextæ diei finem compleuit opus suum, siue adueniente septimo die: Itaque illis placet septimo die Deum opus consummasse suum. Reuerendiss. Antistes Petrus Lombardus, Magister Sententiarum passim appellatus, duas in medium producit expositiones: Prior est, Septimo die perfecit opus, quia licet eo die nullam condiderit creaturam, nonnihil tamen operis benedicẽdo fecit, sicuti facere dicitur aliquid, qui Deo templum dedicat: Posterior, compleuit. i. completum & consummatum vidit. Alij verbum compleuit, negatiue exponunt hoc sensu, compleuit die septimo, id est, nihil noui operis die septimo adiecit, sic Angelicus doctor, & meo quidem iudicio rectè, Nam complere opus suum, is rectè dicitur, qui eo absolute cessat operari: Quieuit igitur inquantum opus primordiale compleuit, quamuis enim potuisset plura fecisse, vel adhuc facere, nihil tamen de cætero fecit, vel creando facit, quod illis primis sex diebus non præcesserit. Nihil, inquit Sapiens, sub sole nouum fit. Nihilominus varia est huiusmodi rerum præcessio. Quædam namque sunt, quæ præcesserunt in principijs actiuis, & materialibus facta, vti sunt de patre, & matre similia indiuidua, iuxta illud: Sæpe solet similis filius esse patris. Secundò quædam præcesserunt, secundum similitudinem speciei, ex principijs disponentibus, vt quando ex nihilo à Deo anima humana corpori iam organizato infunditur, vnde sanctus Augustinus: Si Deus nihil noui creando producat, sed tantum gubernando conseruat, quomodo quotidie nouas creat animas? Et respondet Deum quieuisse, non quia creauit, quod nondum erat, sed semel creata in exordio numerosius producendo. Tertiò quædam virtualiter præcesserunt in suis causis, sicut in principijs actiuis, generatione æquiuoca, veluti sunt quædam animalcula ex putrefactione generata, de quibus sanctus pater: Quæ de animalium, inquit, gignuntur corporibus, & maximè mortuorum, absurdissimum est dicere, ab initio ea esse creata, quando animalia primitus creata sunt, nisi quia inerat omnibus animatis corporibus, vis quædam naturalis, & quasi præseminata materia, & quodammodo initiata primordia

Tract. 15. in Ioan.
In prolog. lib. 2. de Spiritu S. & ser. 31. Ioannis 4.
An 6. aut 7. die quieuerit Deus?
Eccles. 1.
De varijs præcessionibus rerum.
Epistola quæ est 28. Numero.
3. de Gene. ad literã, ca. 14.

futurorum animalium, quæ de corruptionibus talium animalium, pro suo genere ac differentijs, per administrationem ineffabilem, omnia mouentis incommutabilis creatoris, in æternum benedicti, erant exoritura.

Quomodo benedixit Deus diei septimæ, alijsq́ creaturis.

CAPVT VI.

Benedicere bipharium accipitur. NOmenclatura benedictionis, bipartitam in sacris literis asciscit significationem, aliquando namque in bonam, interdum in malam vsurpatur partem, In malā quidem accepta, significat blasphemare, aspernari, nam Iob, capite secundo, Satan dixit, videbis quod in faciem benedicet tibi, & rixosa mulier consorti, sancto nempe viro, Benedic Deo & morere, id est, blasphema, vel procella angustiarum obrutus, maledic
Tract. 12. in Ioan. Deó, sic beatus Augustinus, sic etiam translatum legit magis secundum sensum, quàm verbum Sanctes Pagninus, cum alioqui Hebraica veritas habeat, nisi in faciem benedixerit tibi: per Antiphrasim, ergo hoc loci pro maledicere vsurpatur, secundum
Libr. cont. mendac. ad cōsen. ca. 10. eundem Augustinum, & sanctum Gregorium. Quemadmodum alibi pro eo, quod nos legimus: Benedixit Nadab, Deum & Regem, Hebręi transferunt, blasphemauit, & Chaldaica translatio
Lib. 2. moral. 6. Ionathæ habet verbum, gaddef, quod significat contemsit: Sic verbum thaab, accipitur in bonā partem, vt significet desiderare,
3. Reg. 21. concupiuit anima mea desiderare. Verū apud Amos Prophe-
Psal. 118. tam, secundum translationem Hieronymi, in malam partem, vt
Cap. 3. significet detestari & abominari, detestor ego superbiam Iacob. Secundò, benedicere vsurpatur pro laude Dei. Aliter tamen benedicitur Deus ab homine, aliter homo à Deo, Deus ab homine benedicitur, cum dignis laudum præconijs extollitur, vnde Re-
Psal. 23. 57. & 102. gius Psaltes: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus, &c. Et alibi: In Ecclesijs benedicite Deo Domino. & iterum, Benedic anima mea Dominum. Homo benedictionem à Deo assequitur, quando gratiæ suæ dona impartitur, vnde notādum quod aliqui sint perfecta benedictione repleti, vt sancti in patria:
2. Corin. 9. Qui semināt in benedictionibus, de benedictionibus & metent.
Matth. 25. Quidam in plena maledictione, vt dānati. Ite maledicti. Aliqui in mundo, & hi sunt mixti: Quidam namque benedictionibus replentur, vtpote gratia iustificati, atque ab omni labe peccati lethiferi immunes. Quidam maledictionibus saturātur, vt pec-
Prouer. 10. catorū sordibus mācipati, benedictio Domini super caput iusti, (inquit)

(inquit) os autem impiorum operit iniquitas. In huius figuram Deus benedixit Adæ, in statu innocentiæ, simul autem atq; peccauit eidem maledixit, maledicta terra, &c. Triplex autem Dei benedictio est nobis necessaria, Præueniēs quæ est misericordię, qua pręuenit conuersionem, Adiuuans quæ est gratiæ, qua prouehit conuersum; Tertiam per gloriā cōsummat. Nisi triplicem istā nobis elargitus fuerit benedictionem, terra nostra fructum salutis proferre nequibit. Ideo S. Abraham, has tres promeruit, teste B. Ambrosio, vnam post victoriā ab hostibus reportatam, qua nepotem tyrannidi exemit, potenterq; macte virtute liberauit: Secundā, quādo mutato nomine signaculum circūcisionis accepit: Tertiam, quando in signum futuræ redemtionis, filium offerre non dubitauit. Aliquando accipitur quoque benedicere pro gratias referre, sic S. Moyses, benedicas Deum cùm saturatus fueris. & alibi, Benedixit omnis Ecclesia Deum. & iterum: Benedicite Deum cæli. i. ei gratias agite, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Et alius quidā sanctus, benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum. i. ei gratias agā. Deinde benedicere est, bona alicui imprecari, aut tribuere: Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, benedixitq; ei. Et postea, In semine tuo benedicentur omnes gentes. i. in Christo salutem habebunt, qui secundum carnem ex semine Abrahæ natus est. Vltimò sumitur pro sanctificare, benedixit Dominus diei Sabbathi, hoc est, sanctificauit illum, & Aaron extendens manum ad populum, benedixit ei, id est, sanctificauit: Christus Seruator noster accepit panem, & benedixit, id est, transsubstantiauit. Contingit autem aliquando benedicere, & sanctificare homines, quandoque res inanimatas, & hoc tam à Deo, quàm ab hominibus: Deus siquidem benedixit hominibus, vt prælibatū est. Et etiam homines benedicunt hominibus, qua prælati subditis benedictionē impartiūtur. Sic benedixit illis Simeon, quāquam enim minor in maiorem agere res vetet, & proinde gloriosam virginem matrem, multis parasangis præstantiorem benedicere non potuerit, sicut nec simplex sacerdos benedictionem facere præsente Episcopo præsumit, ne Episcopum sanctificare videatur: tamen Symeon vita & merito superiori, imposito sibi munere officij, benedixit. Nec ista benedictio, seu manus impositio, ceu euanida est respuenda, quasi pileum penetrare nequeat, sed humili corde poplitibusque flexis requirenda, quippe quæ Spiritus sancti gratiam conferat, secundum beatum Ambrosium, quoniā benedictio describitur esse sanctificationis & gratiarum votiua collatio, qua elucet magna ministrorū Ecclesiæ dignitas,

Genes. 3.
Triplex benedictio est nobis necessaria.
Libr. 1. de Abrahā, cap. 8.
Gen. 14. 15. 17. & 22.
Deut. 8.
1. Paral. 29.
Tobiæ 4. & 12.
Psalm. 15.
Genes. 1. & 22.
Benedicere multa significat.
Genes. 2.
Leuit. 19.
Matth. 26.
Benedicūtur res animatæ, & inanimatæ, à Deo & hominibus.
Episcopo præsente, simplex sacerdos non debet benedicere.
De benedict. patriarch. cap. 2.
Benedictionis descriptio.

dignitas, vti namque Apostoli visibiliter manuum impositione, ita isti inuisibiliter: ac tam magna est ista dignitas, vt nemo eam, ante Christi aduentum assequutus fuerit, nec manuum impositione Spiritum sanctum dare valuerit, vnde admirabundus Sapiens dicebat: Quis continuit spiritum in manibus suis? quasi dicat, nullus. Clausa quippe erat tum gratia in manu Dei, sed tandem manum ad petitionem Dauidis compressam extendit: Emitte manum de alto, & eripe me, & libera me de aquis multis. Et alibi: Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate, Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Atque istud, cùm primis veritatem habet in Sacramentis Dei, adeò vt si spiritum vitæ amiseris peccato, dicas Sacerdoti, Domine, filia mea, id est, anima mea modò defuncta est, veni impone manum tuam, & viuet. Nec solum in Sacramentorum administratione, mystica dona conferuntur, sed etiam simplici manuum presbyteri impositione & benedictione, piæ mentis affectu suscepta, peccata venialia abluuntur, quare antiquitus laudabili ritu, Episcopum discedere non patiebantur, nisi benedictionem ipsius obtinuissent, vti sanctus Augustinus quoque pontificatus apicem nondum assequutus, facere adsolet. Res autem inanimatæ etiam à Deo benedicuntur, & hominibus, Deus siquidem benedixit diei septimæ, piscibus maris, & auibus, non ita reliquis bestijs & herbis. Diuus Augustinus benedictionem censet ab alijs repetendam: sed magis placet, quod in nullo genere rerum, tanta sit fœcunditas, quàm in piscibus præsertim, & auibus, vnde quidam sic vertunt, vt dixerit Dominus ad pisces, copiosè effundite vos: Videas enim carpionem vnum, vnica vice quatuor, aut quinque milia carpionum effundere. Alij dicunt, non meminit benedictionis terrestrium, quia Deus serpenti erat maledicturus, sed prior creditur probabilior. Homini autem benedixit, quia nulla est species animantium, quæ sic per vniuersum orbem diffundat se, ac multiplicet propagatione, vt humana natura, atque sic vbique locorum à Deo conseruatur. Quibusdam in locis inuenias camelos, non equos, desunt alijs oues, alijs capræ, Lupos nullos alit Anglia. Benedixit etiam diei septimæ, non quintæ, non tertiæ, quia sicut dies reputatur malus, non ratione sui, sed mensuræ actionis malæ, secundum Apostolum, Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt: ita dies est benedictus, quòd sit mensura sancti alicuius operis; Nec aliud est, diem aliquem benedicere, & sanctificare, quàm diem tali actioni cõsecrare. Quoniam igitur Deus omnia ad instructionem fecit, hominem solo

verbo

Marginalia: Prouer. 30. — Psal. 103. & 143. — Sapien. 1. — Matth. 9. — *Benedictio venialia dimittit.* — 1. *quest.* 1. *cap. dictum.* 22. *Ciuit. Dei, cap.* 8. — *Lupos ignorat Anglia.* — Ephes. 5.

verbo non instruxit, sed opere: Sicut namque sex dierum curriculo operationi, septimo quiescendo, intēdit, ita homo ex creaturarum contemplatione, ad cognitionem sui conditoris excitari septimæ diei relinquebatur. Quia etiā princeps huius mundi, hominum saluti & vitæ, tam spirituali, quàm corporali inuidet, multa nociua rebus humano vsui deputatis adinuenit, vt ipsis, & spiritualiter, & corporaliter noceat, ideo Ecclesia instituit res benedici in virtute Dei, vt inimici prauitas eradicetur, & fideles in bono statu, & quiete conseruentur: Quamuis enim omnis creatura Dei, bona sit, tamen ad effugandam inimici virtutem, benedictionibus (quarum tenorem reperire licet multipliciter in Sacerdotali Romano) sacerdotum sanctificatur, vt ibi subnectit Apostolus, Creatura sanctificatur per verbum, & orationem, scilicet sacerdotis. Originem autem sumsisse videntur, istæ rerum inanimatarum benedictiones à Christo, qui panem Eucharistiæ, & eos, qui quinque milibus hominum pascendorum suffecerunt, benedixit.

Res quare benedicātur?

Ioannis 16.

Origo benedicendi res inanimatas.

De tempore creationis mundi.

CAPVT VII.

HAud vacantis operę fuerit, breuibus explicuisse, quo anni tempore prima affulserit genitalis mundi hora. Rabbi Eliezer namq;, ac sequaces eius, Septembri initia mundi attribuerunt, quoniam tunc maturescentibus fructibus, cùm inclusis seminibus, absolutius fuisse Dei opus, secūdum scripturam, Dei perfecta sunt opera, videtur: hancque tanquam sententiam probabiliorem (nempe hominem in statu ætatis perfecto productum, quo posset propagationem perficere, tunc enim vnumquodque videtur perfectum, cum simile sibi propagare valet, quod etiam in fructuum ratione adstruendum est, qui suis fuerunt seminibus grauidi) existimat, vndecunque doctissimus pater Nicolaus Lyranus. Rabbi, Iosue autem cum sua schola, nec non Strabone: videtur mundi principium Martio adscribendum, tum quia pubentes herbæ succrescant, & arbusta siluescant, tum quia arbores cum suaui florum fragrantia, illis in locis maturos fructus proferant. Nec sacris literis hæc sententia, etiam dissentanea reperitur, si Martius principium mensium apud Moysen consideretur, A qua sententia non est alienus diuus Athanasius, inquiens, Quare vicesimoquinto die mensis Martij, in vtero virginis clausus habitare cœpit Christus, & Deus noster, veniens in terram? Responsio.

Mundus quo anni tempore creatus?

Deuter. 32.

In cap. 7. ge. & 12. Exod.

Exod. 12.

Quæst. 17.

Quia eodem die in mundi principio; Deus creauit Adam. Hinc est, quod in hoc ipso mense omnes arbores & herbæ, animalia item ad proferendum fructum, & ad liberos procreandos commouentur, tanquam à Deo hoc tempore creatæ sint: hæc ibi.

DISTINCTIO

DECIMASEXTA.

De corporis humani plasmatione.

CAPVT I.

Homo quomodo microcosmus.

INsignis ille humani generis conditor, hominem quasi alterum plasmauit mūdum, vnde microcosmi nomenclaturam accepit: Quem namque si supinum statuas, expansis manibus, si fixeris in vmbilico circinum, quia is locus cētri habet rationem, circumagasque, orbem conficies absolutum, extrema digitorum in manibus, pedibusque contingendo. Hic potissimum duabus cōstat partibus, anima rationali & humana carne, secundum beatum Athanasium, cuius vna pars nempe anima, ex nihilo conditur, Altera ex præiacente materia, nempe limo terræ Sinechdochicως conficitur. O homo quid corpore tuo vilius? quid cerebum, nisi puluis aqua temperatus? quid labia & genæ, nisi terra tincta, sanguineque infecta? quid venter & ilia, nisi putredinis massa? O homo impressa animi consideratione attende, quid sis, si discere ex scriptura recusas, vel doceant te excrementa. Quid etiam vestium splendore gloriaris? nunquid lutum aut nix vestium ornatu circumamicta gloriari poterit? Atqui magis perstringendo: Nunquid fur funiculo colli quo suspendendus est, aut carceris ergastulo reclusus, gladio caput præcisuro iactabundus extolli poterit? Non vtique. Nónne vestimenta sunt euidentia transgressionis argumenta? quid igitur nos vestibus pro pœnitentia post præuaricationem adiectis, supercilium prodimus? deinde licet ex duobus conflatus sit homo, non tamen ab anima, sed à corpore nomen seruat ipse suum. Adam siquidem est, quasi de terra sumtus, homo quasi ab humo, vt nominis & conditionis memor, supercilium instar pauonis squalidos pedes considerantis poneret, qui sicut quatuor cōnectitur literis, ita quatuor componitur elementis, non quod aliqua eius pars assignari valeat,

In Symbolo.

Homo vnde dictus, eiusq; fastus elidi-tur.

Pauonis conditio.

Homo 4. literis componitur quare.

valeat, quæ sit aqua, aut terra, sed præclarus nostri corporis fi-
ctor permixtione quadam, ex aqua, igni, aëre, terræque con-
temperata, indito insuper acuto salsoq; fermento, succi plenam
ac mollem cõflauit carnem, Augustino & Ambrosio testibus, *Ser.1.de ver-*
quæ ducentis quadraginta octo (vti quibusdam placet) ossium *bis Domini.*
basibus quasi suffulta, homini os sublime dedit, quorum dispo- *Lib. 3. off.*
sitissimæ organizationis rationem, videre est apud diuum Ba- *cap. 3. homo*
silium, & Ludouicum Cęlium. Hęc caro sua generalitate totam *quot ossibus*
hominis naturam complectitur aliquãdo. Videbit, inquit Pro- *cõstet, homil.*
pheta, omnis caro pariter, & alius quidã: effundam super om- 11. *Hexa.*
nem carnem, id est, hominem. sic apud Ioann. Verbum caro fa- *Lib.2.lectio-*
ctum est. Sic & anima generalem interdum subit significatio- *nũ antiqua-*
nem, sic dicũtur cunctæ animæ Ægyptum ingressæ, & vniuersæ *rum, multis*
animæ, in naui leguntur fuisse ducente septuaginta sex. Et alibi: *capitibus.*
Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. i. omnis Esaiæ 40.
homo. Verũ non minus absoni quàm absurdi emerserunt erro- Iohelis 2.
res, super tam nobilis naturæ creatione. Nonnulli namq; potis- Ioan. 1.
simam hominis partẽ angelis referunt acceptam, qui vocantur Genes. 46.
Seluciani. Alij, nempe Platonici, dijs minoribus corpora defe- Act. 27.
runt accepta. Paterniani autẽ & Venustiani mentiuntur à lũbis Rom. 13.
ad pedes vsq; partem corporis fecisse diabolum, superiorẽ verò *Haresi* 59.
partem, Deum. Manichæi fabulantur corpora humana cælitus *&* 85.
mirãdo aborsu discussa, descẽdisse. Antrophomorphitæ fingunt *Lib. 2. cont.*
Deum manibus hominẽ, reliqua verbo plasmasse. Huius generis *Iulia. cap.* 11.
alia portentosa monstra, reperiũtur passim dementasse multo- *lib. 5. cap. 5.*
rũ animos, quæ magis imbribus lachrymarũ sunt deplangenda, *lib. 6. cont.*
quàm operosius recẽsenda, cum euidentius nihil sit, quàm quod *Mani. cap.8.*
quidam dixit, Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerũt Iob 10.
me totum in circuitu: qui est benedictus in sæcula. Amen.

Homo quomodo ad imaginem Dei factus?

CAPVT II.

HAud suffecit Deo Adam in rerum natura existere, aut in mundo creatum esse, nisi eum ad imaginem & similitudinem suam efformasset, sic namque legimus sanctum Moysen de Deo scripsisse, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: Quæ sententia non est intelligenda de Deo & angelis, quasi Deus consulturus ab angelis requirat, quẽadmodum hominem nobilitet, vt Iudæi somniant, cum identitas naturæ in particula (nostram) insinuetur. Nec legitur etiam ad imaginem tuam, quasi soli filio loqui videatur, vti quidam

1. *Parte quaest.* 93. *art.* 5. exposuerunt, secundum diuum Thomam: sed nostram non patris solius, aut filij, aut Spiritus sancti solius, sed ad imaginem superbenedictæ Trinitatis, Patris & Filij, & Spiritus sancti. Nec vt prius dixit, fiat, sed faciamus, ad insinuandam personarum vnius deitatis trinitatem, secundum beatum Augustinum. Hæc tamen imago non est intelligenda, secundum corporis lineamenta, vt Manichæi existimauerunt, nec etiam secundum vires & potentias, quas habet cum reliquis animantibus communes, sicut sunt, esse, & viuere, sed quibus reliquis præstat, nimirum intellectu mentis, & liberi arbitrij potestate. Exponitur autem præmissa bipharian sententia, ita tamen, vt vtraque elucidatio eodem recidere queat: Priori, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, id est, ad nos tres tanquam ad vnum exemplar, ita vt sancta Trinitas, siue tres personæ, aut ipsa diuina essentia vocetur imago, id est, exemplar ad quod factus est homo. Quemadmodum pictores, alijque artifices, exemplar sibi præfixum habent ad quod operantur, quodque operando intuentur, vt rite ipsum in imagine exprimant: Ita Deus exemplar est hominis. Atque hæc non est propria imaginis vsurpatio, cum accipiatur pro suo correlatiuo, siquidem propria significatione ad exemplar refertur: Quo modo videntur Moysen magis intellexisse prisci patres, Basilius, Chrysostomus, Hilarius, Augustinus: huncque sensum approbare videtur præpositio (Ad) cum dicitur, ad imaginem nostram. Alij prælibatam intelligunt scripturam, vt non Deus ipse, sed homo dicatur imago, hoc sensu, faciamus hominem ad imaginem nostram, id est, qui sit imago natura, siue ad hoc, vt sit imago nostra: Atque hoc modo, licet præpositio (Ad) refragetur, imago propriè accipitur. Producunt etiam similem loquutionem huius sententiæ defensores, Genuerat Adam filium ad imaginem & similitudinem suam: Verum hæc loquutio non necessario in eum accipitur sensum: Potest etenim rectè intelligi, Adam filium genuisse ad imaginem suam impropriè, id est, ad suum exemplar. Quemadmodum omne animal cupit sibi simile generare. Attamen hi duo sensus licet verbis discrepent, nihilominus re ipsa coincidunt; Ambo hoc enim, dicere intendunt, sacram Triadem seu essentiam diuinam exemplar esse hominis: hominem autem naturæ illius diuinæ imaginem, quamuis vnus propriè, alter impropriè hoc prætendat: Propriè namque loquendo omnis imago est similitudo,

Lib. 3. de Ge. ad literam, cap. 19. lib. 12. Trinit. cap. 6. & 7. lib. 6. de ge. cap. 12.

Homil. 10. Hexa. Homil. 8. in Ge. In 1. cap. Ge. cap. 16. de Gen. ad lit.

Genes. 5.

ſimilitudo, at non ediuerſo: Multa enim inter ſe ſimilia ſunt, quorum tamen neutrum eſt imago alterius. Exemplo res clareſcat. Duo oua ſunt inter ſe ſimilia, tamen neutrum eſt alterius imago: duo homines ſunt ſibi ſimiles, tamen neuter alterius gerit imaginem. Ad hoc namque vt ſit aliquid alterius imago requiritur, vt ſit de ipſo expreſſum, vel ſaltem ad illius imitationem expreſſum, vt imago ſit quaſi imitago. Sic filius propriè cenſetur imago patris, quòd ab eo ſit genitus ad ſui ſimilitudinem. In cupro etiam deprehenditur imago Regis, ad Regis ſiquidem imitationem eſt expreſſa, & ſtatua lapidea eſt imago hominis. Inſuper ad imaginem requiritur, vt ſimilis ſit exemplari, in eo quod exemplar habet proprium, vnde ſi quis argento imaginem exprimat, quæ non magis Regem, quàm alium aliquem repræſentet hominem, non eſt illa Regis imago, quamuis imperitus aliquis conatus ſit forte imaginem Regis exprimere, ad hoc enim vt aliquid ſit perfecta & abſoluta alicuius imago, requiritur, ſecundum diuum Bonauenturam & Thomam, vt eam perfectè exprimat ac repræſentet, vt videlicet ſit æqualitas naturæ & accidentium. Vnde ſi Rex quiſpiam formoſus, fortis, ſapiens, filium generet deformem, debilem, imprudentem, dicetur quidem filius imago patris, ſed impropriè. Quibus conficimus, vnicam duntaxat perfectam Dei Patris eſſe imaginem, nempe vnigenitum eius filium, eiuſdem cum ipſo naturæ: Nulla autem creatura eſt perfecta Dei imago, ſicut nec imago Regis argento impreſſa, Regis perfectionem abſoluit. Multo minus irrationalis creatura quantumcunque pulcra, eſt imago Dei credenda, quia ratio imaginis poſtulat vti prælibauimus, vt exprimat id quod proprium eſt exemplaris, vel vltimam differentiam, vel proprium accidens. Cum igitur omnes res præter rationalem creaturam, in aliquo ſint Deo ſimiles, videlicet quod ſint, viuant, & ſentiant, non autem in intellectu, ſapientia, libertate arbitrij, & huius farinæ alijs, quæ Deo propria ſunt, nomenclaturam imaginis Dei non merentur. Sola autem rationalis creatura imago eſt Dei, homo & angelus quia in illa, id quod optimum & excellentiſſimum in Deo eſt, ſaltem aliquo modo reperitur, etſi nulla ratione in illa perfectione qua in Deo eſt: hinc omnibus irrationalibus & inanimatis creaturis ſimul ſumtis, vnus homo multis partibus, ſecundum beatum Auguſt, præſtat. Id autem quod in creaturis irrationabilibus Deo ſimile inuenitur eſſe, viuere, & ſentire, vocitant doctores diuinitatis veſtigium non imaginem.

De diſcrimine imaginis & ſimilitudinis.

Imago quaſi imitago.

In primum diſt. 31.

In ſcripto primæ diſt. 28. quæſt. 2.

Coloſſ. 1.

Lib. 83. quæſt. 51.

imaginem. Vestigium namque hominis non dicitur simile homini, nec hominis similitudinem propriè repræsentat: sed est causæ effectus, vti ignis causa fumi. sic vestigium hominis alicuius vel bestiæ, niui lutóve impressum, aliquem fuisse indicat, qui pedem niui lutóve suum impresserit. Eundem ad modum irrationalia Deum referre creduntur.

Imago Dei in quo sita?

CAPVT III.

NVnc disputationis series exigit, qua in re hominis imago sit constituenda: quod satis liquebit ex scripturæ passu, quam prælibauimus, simul enim atq; Deus dixisset: Faciamus hominem ad imaginem, &c. protinus subiecit: Vt præsit piscibus maris & volatilibus cæli. Igitur per id homo Dei imago significatur, teste diuo Augustino, quo irrationabilibus omnibus præest, & super omnia dominatur. Quod non facit per corpus, cursus velocitatem, fortitudinem, &c. In his enim à multis bestijs homo superatur: sed per intellectum, mẽtem & rationem, vti perpulcrè docet beatus Augustinus ex Apostolo, Renouamini, inquit, spiritu mentis vestræ, & induite nouem hominem, qui secundum Deum creatus est. Si nouum hominem induere, qui secundum Deum creatus est, sit mente renouari: omnibus est in cõfesso, quod ipsa mens sit Dei imago, ad Deum ceu ad exẽplar formata. Rursum, Induite nouum hominem eum qui renouatur in agnitione secundum imaginem eius qui creauit illum: ergo vbi nempe in mente Deus cognoscitur, imago est quærenda. Alij imaginem ad liberum arbitrium referunt, quod penè cum priori coincidit, mẽs enim, siue intellectus, radix est libertatis: quæ duo ita iugiter connexa existunt, vt vbi sit mens, ibi sit & libera, secundum sanctos, Ambrosium, Basilium & Hieronymum. Solus Deus, inquit, est in quem peccatum cadere non potest. Cætera cum sint liberi arbitrij, iuxta quod homo ad imaginem & similitudinem Dei factus est, in vtramque partem flecti possunt. Ex istis colligere promtum est, hominem esse bestiarum dominum, omniumq; rerum corporalium: naturaliter enim illud præesse debet quod est prestantius, quod omnia alia dirigere, & in suum quæque finem ordinare nouit, quod homo intellectus acrimonia ac rationis energia præualet. Atque hinc fit, plerosque Doctores asseuerare imaginem Dei in homine in hoc consistere, quod omnibus rebus corporalibus sit præfectus, & Deo dominandi prærogatiua

[Margin notes: 1. De ge. cõt. Manich. cap. 17. & 12. de Trinit. 7. — Ephes. 4. — Coloss. 3. — Imago Dei, quid? — Lib. 8. Hexa. 6. Homil. 9. Hexa. Epistola ad Dama.]

rogatiua quasi similis: vt sicut Deus omnibus rebus dominatur, ita homo omnibus corporalibus præponatur, secundum diuum Ioannem Chrysostomum. Quæ sentẽtia parum à priori discrepat, quæ imaginem Dei propriè & essentialiter in hominis mente, intellectu, seu ratione cõstituit. Chrysostomus autem assignat insignem imaginis Dei in homine effectum, definitq; imaginem per suos effectus: sicut quædam sunt definitiones rerum per proprias causas internas, quædam verò per effectus. Et hoc modo etiam ipse Moyses imaginem Dei in homine definire videtur, & in eo constituere vt omnibus præsit, qui est effectus mentis ac rationis. Verũenimuero diuus Epiphanius prohibet definire, in quo sitũ sit, quod est ad imaginem Dei, resoluens hominem, nec secundum corpus, nec secundum animam, nec secundum mentem, nec virtutẽ, esse imaginem. Vultque soli Deo cognitum esse, in quo sit imago Dei, nobis verò sufficere, credere omnes homines esse ad imaginem Dei, etsi qua in re illam Dei imaginem gestẽt, cognoscere nequaquam valeamus. Reprehendit etiam eos qui dicũt in eo esse ad imaginem, quod omnibus rebus dominetur: itaq; omnibus præfatis Doctoribus contraire videtur. Ast, saluo vbique saniori iudicio, non videtur Epiphanius cum præmissis pugnare, sed hoc duntaxat velle, in eo quod homo ad imaginem Dei factus dicitur, plurima comprehendi, quæ exactè non exprimuntur, per hoc quod homo mente aut libero arbitrio, dicatur esse Dei imago, aut in dominio quod super omnia exercet animantia. Nam cum homo dicitur imago Dei secundum mentem, intellectum, & libertatem arbitrij, veritas quidem panditur, & principalis ratio imaginis explicatur: cæterum ibi non manifestatur corpus humanum participare etiam de imagine Dei, in eo quod mente & ratione gubernatur. Præterea cum corpus humanum præ corporibus omnium animantium, habeat staturam, membra, vires & organa maximè rationi congrua: non absurdè corpus methonymicωs imago Dei appellari potest, imaginem enim Dei optimè significat, eaque perspicuè in corpore relucet, secundum doctrinam diui Augustini: Non immeritò, inquit, exterior homo dicitur particeps similitudinis Dei, non solum quia viuit, sed quia ad mentem se regentem conuertitur. Et alibi, Corpus nostrum sic fabricatum est, vt erectum indicet nos meliores bestijs, & Deo similes. Hoc quoque non est dissimulandum, quod Gennadius in operibus beati Augustini profert, nempe imaginem in æternitate, similitudinem in moribus inueniri: Quoniam posterius iuxta superius dicta à vero

Heres. in Ancorat. epistola ad Ioannem Hierosl. episcopum.

Lib. 83. quæst. 51. & Lib. 1. de gen. cont. Mani. cap. 17.

De Eccles. dog. cap. vlt.

non

non deuiat: Prius autem etsi vtrumque verum sit, sicut enim Deus nunquam interit, ita anima eiusque intellectus & ratio nunquam esse desinit, attamen non est in illa propria imaginis ratio, nam & corpus electorum, post resurrectionem, immortale erit, & cælum iuxta substantiam suam incorruptibile, in quibus non est tamen imago Dei constituenda.

Imago Dei, an magis viro sit, quàm mulieri?

CAPVT IIII.

QVamuis scripturis postponendis consentaneum sit, virum & fœminam æquè mentem & rationem ac libertatem arbitrij habere, tamen vir præ muliere aliquid habet, in quo effectus imaginis Dei magis elucet, nimirum externum dominiũ & prelationem. Mulier siquidẽ naturaliter etiam ante peccatum viro subiecta fuit: Vir autem nulli creaturæ ex natura sua, præterquam soli Deo suberat, & propter hoc exter-
1. Cor. 11. num in viro magis quam in muliere apparens, dixit Apostolus, Virum esse imaginem & gloriam Dei, non mulierem, sicuti perbenè annotauit Ioannes Chrysostomus, eo loci, & in Genesim. Præterea alia quadam ratione vir Deum repræsentat, qua non mulier: Ex viro namque totum genus humanum originem traxit, fecitque, inquit, ex viro omne genus homi-
Actor. 17. num inhabitare super omnem terræ faciem. Rursum, sicuti vir Deum repræsentat, vt est omnium causa efficiens, ita etiam repræsentat eum, vt est omnium causa finalis, non autem mulier, quæ creata est propter virum tãquam finalem causam, non
12. De Trini. cap. 7. vir propter mulierem. Diuus Augustinus aliam etiam significationem attendit: ob quam vir potius sit imago Dei quam mulier, quia videlicet designat vir, superiorem rationem, mulier inferiorem: at dilucidior est magisque ad literam Chryso-
Quæst. 21 & 106. stomi, quam dedimus, expositio. Nequaquam autem hic Apostoli sensus ad Genesim est applicandus, quemadmodum author quæstionum veteris & noui Testamenti, apud Augustinum facit, quasi mulier non sit ad Dei imaginem facta, sed vir solum: qui existimat firmiter se hoc ex Paulo probare posse, cum ipsa Genesis prorsus oppositum habeat, tam videlicet mulierem quam virum ad imaginem Dei creatam esse: Creauit, inquit identidem, Deus hominem ad imaginem suam, masculum & fœminam creauit eos. Ac mox effectum illius imaginis diuinæ explicans, subnectit: Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus. Quocirca non est idem

sensus

sensus Pauli & Moysi, nec Apostoli sententia est ad principium Geneseos referenda. Pari modo hallucinatur Commentarius in epistolas diui Pauli, Ambrosio adscriptus, Sancti de hoc mundo iudicabunt. Ex his autem, multisque alijs probabiliter colligitur, eundem esse authorem illius commentarij, & quæstionum veteris & noui testamenti: verus siquidem Ambrosius tam mulierem quàm virum, ad Dei imaginem creatam esse non ambigit.

In 1. ad Corinth. cap. 6. & 11.

Lib. 6. Hexa. cap. 7. & 8.

De discrimine imaginis & similitudinis.

CAPVT V.

SImilitudinis vocula, non perperam accipitur genus imaginis, omnis enim imago, similitudo est, at non ediuerso, atque ita similitudo imperfectius quippiam dicit, quàm imago. Hinc Magister §. D. Imago, inquit, est in alijs omnibus perfectionibus scilicet naturæ, iustitia, sapientia, bonitate. Similitudo in essentia, quia anima etiam immortalis & indiuisibilis est. Vides hoc loco similitudinem esse genus imaginis: nam & corpus nostrum post resurrectionem immortale erit, & cælum incorruptibile, attamen in his non est imago Dei, sed tantùm similitudo. Huic dissentaneus non est diuus Bernardus, qui similitudinem in eo constituit, vt anima simplex sit, nec aliud ipsi sit esse, quam viuere, item immortalis liberique arbitrij. Imaginem autem in eo, quod intelligens sit, & recta sapiat. Atqui saluo meliori iudicio, non videtur eum ad modum similitudo in Genesi accipienda: Si enim per similitudinem genus intelligas, battologia & inepta quædam nugatio in verbis Moysi offendetur, dicentis in persona Dei, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: Nam similitudo hoc sensu iam ante in imagine comprehensa fuit, quid igitur opus pluribus, si vnum sufficiat, & imago similitudinem includat? sicut homo animal, perinde ac si dixeris, faciamus aliquid, quod sit homo & animal? Alia proinde adducenda est melior expositio, texturique conformior, qua similitudo accipitur, non vt sit genus imaginis, sed potius vt sit perfectio imaginis, vt sensus sit, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, id est, faciamus hominem ad imaginem nostrã non qualemcunque, sed ad imaginem, apprimè nobis similem, faciamus inquã, vt homini nostra sit imago, non quę naturam nostram obnubilet vel obscurè exprimat,

Imago & Similitudo differunt.

Serm. 80. & 81. super Cant.

exprimat, sed euidentiori claritate manifestet eius perfectionē. In quo autem similitudo consistat, & quæ sit diuinæ imaginis in homine perfectio: bellè admodum demonstrat Ioannes Damascenus, libri secundi plusculis capitibus. Assentitur alijs patribus eam in virtutibus & gratia Spiritus sancti constituenti-

Lib. 3. cont. Valēt. ca. 20. bus, sic enim habet sanctus Ireneus: Quod perdidimus in Adam, hoc in Christo Iesu recepimus: Quid illud est quod in Adam perditum, Christus restaurauit, nisi iustitiam, pietatem, cæterasque virtutes quibus Deo famulamur? *Lib. 5.* Et alibi distinguens inter corpus, animam, & spiritum, quæ tria qui habet, pronunciat ad imaginem & similitudinem Dei esse creatum, si autem Spiritus sanctus defuerit, animalem esse hominem, & imaginem quidem Dei habere, sed non similitudinem. *3. Ser. de pœnitentia.* Sanctus Cyprianus quoque tractans scripturam, Estote perfecti sicut pater vester cælestis perfectus est, Tunc, inquit, erimus perfecti, si similitudo quam Adam peccando perdiderat, luceat in actibus nostris. *Lib. de dignit. hominis, cap. 3.* Quid hic aliud nomine similitudinis, quàm pietatis opera intelligit? Diuus Ambrosius, exponens illud Psalm. 48. *Homil. 10. Hexa. lib. 2. cap. 12. orthodo. fidei.* Homo cum in honore esset, non intellexit. Vbi disertè docet similitudinem, quam homo in creatione accepit, in virtute consistere. His suffragantur, beatus Basilius, Ioannes Damascenus, & Hieronymus, ad illud, Tu signaculum similitudinis. *In 28. cap. Ezechielis.* Vbi similitudo Dei est, inquit, ibi est plenitudo sapientiæ. Sanctus Bernardus licet præfatis locis aliud sentiat, docet quoque *Sermone 1. de annunciatione. & lib. de lib. arb.* imaginem Dei esse in libertate arbitrij, similitudinem autem in libertate beneplaciti & consilij, id est, in libertate à miseria, si enim homo iustus perseuerasset, nullam miseriam, nullamque pœnam sensisset.

Imago Dei an peccato amissa?

CAPVT VI.

TAntum abest amissio imaginis Dei per peccatum, vt homo imaginem Dei, etiam in nefandissimis peccatis existens retineat: Quantumcunque enim homo se peccatis *Genes. 9.* subdat, nō perdit mentē, aut intellectū, neq; arbitrij libertatem, in quibus cōsistit. Deinde apud Moysen legitur, Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem Dei quippe factus est homo. *Imago manet in impijs.* Cuius passus nō est tantum sensus, Si quis iustum occiderit, verum etiam si quis iniustum & scelestū priuata peremerit authoritate: fundetur sanguis illius, ergo in-

ergo insinuat scriptura, etiam in impijs esse imaginem Dei, quam reuereri oporteat. Et Iacobus Apostolus: Lingua maledicimus homines, qui ad imaginem Dei creati sunt, non bonos duntaxat, sed & malos, quibus tamen maledicere non conuenit: Quia autem Origenes Adamantius, docuit hominem peccato vniuersa perdidisse, & imaginem posuisse, propterea à Catholicis patribus, hæreseos est notatus, prout videre est in Epistola Epiphanij, ad Ioannem Hierosolymitanum, de erroribus Origenis, quam diuus Hieronymus è Græco in Latinum transtulit. Quibus adstipulatur idem Hieronymus, Epistola ad Pāmachium, quæ orditur, Si iuxta Paulum. Nihilominus si quandoq; inueniatur apud doctores Ecclesiæ, imaginem Dei peccato amissam, atque deletam esse, non debet quis illo dicendi genere offendi, quandoquidem in sacris eloquijs, vocula imaginis, non omnino idem interdum est, quod in Genesi intelligitur, sed vsurpant scripturæ sacræ, subinde imaginem pro imagine simul & similitudine, siue pro imagine, quæ sibi coniunctam habeat similitudinem, id est, iustitiam, pietatem, sapientiam, omnemq; virtutem. Sic accipiendo imaginem non est inconueniens, asseuerare, per peccatum, imaginem amissam esse, quia similitudo amissa est, nec iam est imago ornata virtutibus. vnde Apostolus: Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis. Et alibi: Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Et alio in loco, Induentes nouum eum qui renouatur in agnitione Dei, secundum imaginem eius, qui creauit eum. Quemadmodum ergo ibi imago sumitur, vt etiam similitudinem includat, cuius amissæ ratione, ipsa imago deperdita esse dicitur. Simili phrasi vsi offenduntur, subinde doctores & prisci patres, dicentes hominem peccato, Dei imaginem exuisse, quia nimirum decorem imaginis & perfectionis amisit pulcritudinem & ornatum, qui in iustitia & pietate, omnique virtute consistit, deposuit. Cyrillus lib. 11. in Ioannem, cap. 26. & lib. 12. cap. 56. Basilius super illud Psal. 48. Homo cùm in honore esset. Ambrosius lib. 6. cap. 7. Hexaëmeron. Adam, inquit, vbi lapsus est, deposuit imaginem cælestis, & sumsit terrestris effigiem, nec non Augustinus in Psalmum 70. concione 2. de spiritu & litera. cap. 29. & lib. 6. de Genesi ad literam cap. 27. & 28. Hanc imaginem, inquit, in spiritu mentis impressam, perdidit Adam per peccatum. At facile fuerit, has conciliare sententias, ex ijs quæ habet idem Augustinus, vbi retractat supradictam sententiam, dicens: Adam imaginem Dei, secundum quam factus est perdidisse

Epist. cap. 3.
Origenes proscribitur.
Imago diuersimodè accipitur in scriptura.
1. Corin. 15.
Ephes. 4.
Coloss. 3.
Libr. 2. Retract. ca. 24.

peccato, non sic accipiendum est, tanquam in eo nulla remanserit, sed quemadmodum Regis effigies nummo insculpta, si in cænum deijciatur, inquinatur quidem, sed non aboletur: ita imago Dei crimine quouis deformatur, vt reformatione opus habeat, obnubilatur siquidem intellectus noster, adeoque offuscatur, vt ne Deum cognoscat, nec cognoscere satagat. Quis est,
Exod. 5. & 32. inquit Pharao, plusquam cymmerijs tenebris obductus, Deus, vt audiam eum? Et postea: Hi sunt dij tui. Memoria quoque adeo
Lib. 2. cap. 9. cont. Academicos. infirmata est, vt Augustinus dicat eam esse infidelem cogitationum custodem, nihil enim nobis est, quàm bonorum obliuisci facilius. Voluntas etiam non est omnino ademta, sed ita defor-
Libr. 14. de Trin. cap. 4. 8. & 16. mata, vt nihil valeat in bonum, nisi gratia adiuta, vnde Augustinus: Incipiat, inquit, illa imago, ab illo informari, à quo est formata, non enim seipsam reformare potest, sicut potuit deformare.

DISTINCTIO
DECIMASEPTIMA.
Anima quid, & qualis operationis?
CAPVT I.

Exactiori methodo hominis naturam sanctus Moyses descripsit, quando dixit, formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem: Quibus verbis partes hominis substantiales expressit, indicans ex duabus naturis corporea, scilicet & incorporea, illum fuisse compositum, velut inter vtramque medium, & veluti quoddam, secundum
Lib. 2. ortho. fid. cap. 12. Ioannem Damascenum, visibilis, & inuisibilis naturæ vinculum: Et corpus quidem ex terra compegit, ne fortè ob animæ excellentiam, & donorum Dei in illam exuberantiam, menti eius aliqua irreperet superbia. Quoniam originis istius consideratio materiam hominibus præbet, reprimendæ elationis: quam Sapiens retundere volens: Quid superbis, inquit, terra & cinis? Matura autem consideratione expende, ad quantam animi humilitatem, suique deiectionem magnum illum Patriarcham Abrahamum adduxit impressa huius rei considera-
Genes. 18. tio. Nam pro Sodomitis apud Deum intercessurus, loquar, ait ad Dominum, cùm sim puluis & cinis. Potest autem describi hoc mo-

hoc modo, vt sit spiritus per se viuens, immaterialis, immortalis, secundum beatum Augustinum, vel sic: Anima est substantia incorporea corporis sui vita, inuisibilis, inlocalis, passibilis, rationalis. & immortalis. In primis substantia dicitur incorporea, quoniam si id appelletur corpus, quod substantiam habet, anima est corpus, cùm per se subsistat, at si propria acceptione corpus vsurpetur, vt physicas comprehendat dimensiones, longitudinem, latitudinem, siue profunditatem, corporea, secũdum sanctum Augustinum, nequaquam censeri debet. Corporis sui vita, quod manifestum euadit ex comparatione corporis vitales adhuc auras carpẽtis, & cadaueris. Deinde opticos habere neruos, organaque visus, profuerit nihil, nisi anima vigorem suæ adhibuerit operationis, ob cuius in homine diuersitatem, diuersas sortitur appellationes. Anima siquidem dicitur, quando corpus vegetat, vigoremq; præstat, quo sine corpus instar trunci iacet, cum verò corpori adest, pellit quodammodo putores corruptos, nam omnis caro in putredines, protinus deflueret: nisi quodam animæ vinculo, quod animæ bruti commune est, remaneret. Vocatur autem Spiritus, dum cælica contemplatione sursum fertur; Sensus dum sentit, Animus dum sapit. Mens dum intelligit: Ratio dum discernit, Memoria quando recolit, Voluntas volendo. Ista tamen non substantia, vt nominibus discrepant; Cùm in homine non plures, vt Iacobus, alijque Syrorum opinati sunt, secundum libr. de Ecclef. dog. sed vnica hisce operationibus, & varijs potentiarum proprietatibus sit distincta. Ab hac etenim manus accipiunt, quod operentur secundum sanctos, Athanasium, Augustinum, & Bernardum, oculi vt videant, aures vt voces & sonos hauriãt, pedes vt incedant. Potest quidem manus gladium capere, os toxicum delibare, non tamen an ista noceant intellexerint, nisi mens dijudicet. Probatq; Athanasius exẽplo à lyra sumto, cuius harmonia est incomposita, si artifex neruos non ex arte pulsauerit, ita sensus sunt incompositi, nisi anima se illis ducem præbuerit, & quid faciendum, quidve fugiendum sit, dijudicarit. Nec anima præfata in corpore operatur instar naucleri in puppi, sed pars ipsius corporis non ambigitur essentialis. Constat enim ex fide resurrectionis, naturale bonum animæ esse, adhærere corpori, eique esse coniunctum. & contra naturam esse diuortium pati: Atqui nauclerus, non semper naui adesse concupiscit, hæreticum autem est, & Origenicũ, asseuerare animam nõ habere naturale desiderium ad corpus, sed inuitam, velut cárcere circũdari. Liquet idem fide, quæ nobis est de Christi incarnatione,

Anima quid de spiritu & anima. ca 13.

Anima est actus corporis physici organici, in potẽtia vitam habentis. 2. de anima.

Epistola 28. ad Hieron.

Anima ratione diuersarũ operationum diuersa sortitur nomina.

Cap. 15. & 19.

Oratione cõt. idol.

Tract. 14. in Ioan. 6. de Trin. cap. 6. Ser. 143. de tem. Serm. 6. de aduen.

Exemplo probat quod docet.

co ipso nãque, quo est homo factus, rectè contra Apollinaristas collegerunt orthodoxi patres, eum & animam & mentem habuisse, nec non intellectũ, vnde diuus Athanasius, anima rationalis & caro vnus est homo, & Clemẽs quintus in Conc. Viennensi aduersus quosdam philosophastros, hæreticũ esse definit, asserere animã rationalem nõ esse formã corporis substantialem. Inuisibilis est quippe, quæ non delectatur exterioribus, sed corpori inhęrens, quasdã semitas habet, quibus foras prodeat, & ea quæ extra eius substantiam sunt vel benè vel malè concupiscat. Præsidet namq; in homine tãquam Rex in solio, secundũ beatũ Augustinũ, cui foris quasi adstat consiliaria honestissima virtutum corona: ab altera parte adest huic inimica numerosa illecebrarũ caterua, vt alterã quam velit deligere & pręferre queat. Inuisibilis etiã est, quia nemo eã oculis corporeis quantũuis lynceis assequi pręualet, nec à corpore migrantẽ aduertit. Nõ enim anhelitus aut aëris respiratio est naturalis animę cõditio, sed retractionis aëris defectio, est solũ animæ egressæ significatio. Illocalis quoque est, quia incorporea, mole non distenditur per spacium loci, sed in vnoquoque corpore tota est, & in qualibet eius parte tota, nec est in maiori corpore maior, nec in minori minor, sed sicut mons æqualis est in paruo oculo Petri, & in maiori oculo Pauli, ita de anima sentiendum est. Quod autem tota sit in singulis partibus, exemplis demonstrari solet, Nam radij solares nequeunt in partes diuidi, sed sunt in toto aëre & in qualibet eius parte integri. Pari modo in speculo, vna integralis relucet imago, quod si multas in partes confregeris, nihilominus singula fragmẽta perfectã repræsentabunt imaginẽ: sic Apostoli in die Pentecostes receperunt Spiritum sanctum, & singuli non partẽ eius, sed totum, (qualis & quantus est ille sanctissimus spiritus) se cordibus fideliũ & integrum infudit. Non tamen arbitrandum est, quod quemadmodum alimentum ventrem, vel flatus vtrem, ita anima corpus impleat, sed vt calor illocaliter inest igni, qui absque controuersia est visibilis, sed calor inuisibilis & sensibilis, & quodammodo ignem viuificãs, ita anima corpus visibile, occulta quadam vi viuificãs. Est pręterea passibilis, quia aliud est, artificiosum esse, aliud inertem, aliud lętum, aliud tristem: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Ascíscit autem istas imperfectiones, ignorantiam, obliuionem, & eius farinæ alia, ne Deus aut pars Dei, vt quidam statuerunt, reputaretur, teste beato Ioanne Chrysostomo, & Thoma. Immortalis etiam est, vt lucis meridianæ fulgoribus clarius ex sequentibus euadet manifestum.

In Symbolo.

Anima est substantialis forma & pars hominis.

Tract. 8. in epist. Ioãnis. 34. in Ioannem.

Libr. 15. de Trini. ca. 26.

Anima egreditur de corpore, quomodo?

Homil. 11. ad populum Antiochenum.

1. Parte. quest. 76.

Anima

Animæ an omnes simul creatæ?

CAPVT II.

ABstrusa quædã res est intellectualis anima, & sibipsi non satis cognita, vnde & variè de ea exortæ sunt opiniones. Et quidē, quod originē concernit animarũ, alij per creationem eas donari volunt: alij propagatione traduci à parentibus, & vtraque iterum multipharíam secatur. Siquidem inter illos qui creationem non inficiantur, alij Deo, alij angelis eam acceptam ferunt. Atqui posteriorem sententiam ceu erroneam supra refutauimus. Inter eos qui Deũ solum animarum agnoscunt conditorem, magna rursum sententiarũ est varietas: quidam namq; traductas cominiscuntur ex substantia Dei, & esse quasdam diuinæ essentiæ particulas: alij ex nihilo creatas asserunt. Prior sententia Gnosticorum fuit, quorum antesignanus fuit Carpocrates, teste Ireneo: Hũc etiam errorem sequuti sunt Manichæi. Adferebunt autem in sui erroris patrocinium, illud Moysi, Inspirauit in faciē eius, spiraculum vitę. Cum flat aut spirat homo, inquiũt, de se flatum emittit, ergo Deus de se suaque substantia, spiritũ hominis emisisse intelligendus est, quando in faciē eius spiraculũ vitæ, per quod anima significatur, inspirasse dicitur. Sed toto cælo aberrãt, nõ enim flatus aliquid est hominis, sed emissio attracti prius aëris quē ab humana substantia diuersum esse, omnibus est contestatissimũ. Profecto horũ si vera esset sententia, neq; in errorē deflecti, neq; ad malum pertrahi rationalis natura vnquã posset, vtpote eãdem cum Deo sortita naturã, qui per Prophetã ait, Ego Deus, & non mutor. Aut certè fatendũ esset, ignorantiæ aut iniquitati Deũ posse fieri obnoxiũ, sicut anima rationalis his subiecta est miserijs. Hos dãnat diuus August. sanctus Leo, & Conc. Braccarēse. Si quis, inquit, animas humanas vel angelos credit ex Dei substãtia, sicut Manichæus & Priscillianus crediderunt, anathema sit. Porrò, inter eos, qui ex nihilo animas creari contendunt: quidam somniant omnes simul à principio vna cum angelis productas fuisse: alij paulatim eas creari affirmant, ad singulorum hominum creationem. Et rursum, inter eos qui simul creatas docent: aliqui opinantur eas sua sponte ad corporis cõtubernium venire: alij Dei ordinatione corporibus immitti. Inter hos posteriores, nonnulli asserunt quasdã earum in alio sęculo per pietatē Deo adhæsisse, easq; ad angelicorũ spirituum ordines assumtas esse: alias verò per inobedientiam à Deo recessisse, & in pœnam suę

Libr. 1. ad Hære. ca. 24.

Anima nõ est ex parte Dei.

Epistola 146. ad Consentium.

Epistola 93. pca. 5. & 10. 1. Cap. 5.

Stultitia magna hæretico-

Præuaricationis, ad corpora demitti, aut meliora aut viliora, Pro qualitate peccati vniuscuiusque. Imo Manichæi confingebant animas descendere ad minima quæque bruta, ideoq; nulla mactanda, teste beato Augustino, ne fortè anima patris in gallina occidatur. his omnibus opponendus Psalmographus: Qui finxit, inquit, sigillatim corda eorum. Non enim sigillatim animas producit Deus, si vt illi volunt, omnes sint ab initio simul creatæ. His consentaneus est Cyrillus, & Augustinus. Aduersus Origenem verò & Priscillianum peculiariter militat quod de duobus fratribus, Iacob & Esau, ait Apostolus: Cum enim nōdum nati essent, aut aliquid boni egissent, aut mali, dictum est, maior seruiet minori, vbi apertè docet, dum ad Rebeccam horum liberorum matrem quæ iam paruulos in vtero gestabat, ista dicerentur, nihil adhuc boni vel mali eos commisisse. Non ergo ad punienda commissa prius peccata, animæ eorum in corpora tanquam in carcerem detrusæ sunt, vnde idem Apostolus corpus humanum non carcerem sed indumentum appellauit, & tam arcto dilectionis vinculo ait coniunctam illi esse animam, vt nolit ab eo separari. Sed & sanctorum animæ iam corporibus exutæ, magno leguntur teneri desiderio recipiendi iterum corporis sui. Quomodo igitur veritatem obtinebit, carcerem animæ esse corpus humanum, quod ipsa tantopere desiderat? Denique si ob commissa prius peccata, animæ demittuntur ad corpora: dicendum erit etiam Christi animam peccato aliquando fuisse obnoxiam, quod impium est vel cogitare, munda enim manus sit oportet, quæ aliorum sordes abstergere properat. Istud docet diuus Augustinus pluseulis locis, & concilium Braccarense, Si quis animas humanas dicit prius in cælesti habitatione peccasse, & ob hoc in corpora humana in terram deiectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit. Docuit insuper Origenes, cælum, Solem, Lunam, Stellas, animatas & rationales quasdā virtutes esse, teste Nicephoro Callisto. Quē errorem notās diuus Augustinus, quid stultius, inquit, dici possit, quàm istum Solem, vt in vnico mundo vnus esset, non decori aut saluti rerum consuluisse Deum, sed potius euenisse, vt vnica anima sic fortè peccarat, ac per hoc, si centum animæ sic peccassent, centum Soles haberet hic mundus. Præmissis erroribus vicinus est alius quidam, dicentium animas transire de corpore in corpus, qui fuit Pytagoræ, quem sequuti sunt hæretici Albanenses, & Albigenses. Atqui iste error facilè conuellitur. Si enim cuiusque nostrum anima in alio prius corpore vixisset, non posset non esse memor quorūdam, quæ ibi gessisset. Nam qui ad

rum, gallinas non comedentium.
Lib. 2. de animabus cōt. Manich. & lib. cont. Adimāt. ca. 12.
Psalm. 32.
Lib. 1. in Io. cap. 9.
Libr. 1. de peccat. merit. & re. ca. 22.
Rom. 9.
Lib. 2. cont. Pela. & Cælest. 2.
Libr. de prædest. sancto. prim.
De gratia & lib arb. ca. 7. tract. 8. in Io.
Epistola 105. ad Sixtū, & 106. ad Paulinum.
1. Canone 6.
Libr. 17. cap. 17.

qui ad decrepitam senectutem peruenerunt, etiam frequenter ea memoria repetunt, quæ à teneris vnguiculis gesserunt. Et diues epulo cum iam post mortem sepultus esset in inferno, non fuit immemor eorũ quæ in hoc sæculo antea contigerant. A quo nos præseruare dignetur animarum plasmator. Amen.

Quales Patres affirment animam esse ex traduce?
CAPVT III.

HVius opinionis assertores profert nõnullos Diuus Hieronymus, qui sic habet: Tertullianus, Apollinaris, & maxima Occidẽtalium pars, ex traduce animas esse autumãt, vt quomodo corpus ex corpore, ita anima nascatur ex anima. At Tertullianum in primis non mirum est, illud de anima sentire, quod corporali generatione propagetur, cum existimarit animã esse corporeã, & in longum latumq; extendi cõtrahiq;: quo quid peruersiùs dici potest, inquit diuus August? Nec hoc solũ in ipso admiratione dignum est, cũ ipsum Deum omnium creatorẽ, non nisi corporeũ opinetur: Ob quę & similia, hæreticorũ contubernio associatus est, nec eius sentẽtia alicuius debet esse roboris, sicut nec Appollinaris, qui ab Ecclesia præcisus est, quod Seruatori nostro animã rationalẽ recusarit. Quæ sit autem maxima pars Occidẽtalis, quã D. Hieronymus pronunciat huic opinioni calculũ addere, nõ vsq; adeò constat. Sancto Augustino placet accipiamus præmissa epistola, de maxima parte Christianorum. Posset nihilominus de maxima parte scriptorum occidentaliũ, qui pauci erant, intelligi, siquidem extat quidam in operibus D. Hieronymi dialogus, vbi recensentur inter illos, qui traducem animarum defendunt: Victorinus, Apollonius, Arnobius, Gaudiosus, qui fortè sunt occidentales, quorũ ipse meminit. Solis luce clarius est ergo qui sint illi, qui traducem animarum affirmant, vel hæretici nempe aut certè obscuri: Quorum ceu non bene fundatam instar Augustini in alia causa, licet reijcere sententiam.

Epistola. 27. inter August. ad Mar.

Epistola 157.

Epistola 19.

Quales Patres fuerint dubij in præmisso argumento?
CAPVT IIII.

IN hac controuersia neutram amplectuntur sentẽtiam, nec se in alterutram partem determinant, sed in vtramque fluctuant. Diuus Augustinus cui vsq; ad mortem definita hac in re non fuit sententia, imò temerariũ arbitrabatur in alteram deflectere partẽ, sine maiori quam ipsi erat instructione: liquido

constat istud ex quatuor libris de origine animæ, ex professo conscriptis, quibus rationabilem ambiguitatem super hoc doctrinæ capite demonstrat, Vbi res naturaliter obscura nostrum modulum vincit, inquit, & aperta scriptura non subuenit, temerè aliquid hinc definire humana coniectura præsumit. Vnde vehementer hallucinantur, qui tradūt Augustinum in illorum concedere sententiam, qui asseuerant animas cum corporibus propagari. Hanc eius ambiguitatem amplexatus est diuus Gregorius, & Rabanus, nec non Eucherius. Ratio cur Augustinus in hac quæstione hæserit dubius, constituitur prælibata epistola: Conabatur namque Pelagius hæreticus ex isto principio, Anima non est ex traduce, subdolè fidem de peccato originali demoliri. Si anima, inquit, ex traduce non est, sed sola caro tantum habet traducem peccati, sola ergo pœnam meretur. Quam consequentiam Zozimus Papa hæreseos condemnauit, vt ibidem annotauit Augustinus, qui nunc hanc, nunc illam probabiliorem duxit, sine discrimine sententiam. Quoniam enim obtutus mentis ad peccatum originale dirigebat, animam ex traduce præferebat, sicut patet ex verbis eius: His, inquit, quantum pro tempore potuimus pertractatis, omnia paria vel penè paria, ex vtroque latere rationum, testimoniorumque monumenta pronunciarem, nisi eorum sententia qui naturas ex parentibus creari putant, de Baptismo paruulorum præponderaret. Tempore verò succedente alium inuenit modum, contrahendi peccatum originale, quam per traducem animarum, quo inuento magis in illorum sententiam inclinatus fuisse videtur, qui non ex traduce, sed Dei creatione animas credunt productas. Qui est benedictus in sæcula. Amen.

Lib. 2. ca. 13. & 14. lib. 2. retract. 45. & 56. Epistola 157. quæ est ad Optatum. Lib. 2. de peccat. merit. cap. vlt. Epistola 53. cap. 7. lib. 2. de instit. cler. cap. 53. Origo ambiguitatis in Aug. super traduce. Lib. 10. de gen. ad lit. cap. 23. Lib. 2. de peccat. mer. cap. vlt. Lib. 5. cont. Iul. cap. 3. epistola 28.

Scripturis & rationibus liquet animas non esse ex traduce.

CAPVT V.

QVæstio hæc quo clarius elucescat, non ignorandum est, animam indiuisibilem ac incorpoream esse, omnisque diuisionis ac partitionis expertē. Et proinde hic in quæstionem vertitur. Vtrum ex anima parentis veluti accendatur anima prolis, quemadmodū ex vna candela sine lucis detrimento, aut flammæ, alia candela accenditur, prout Augustinus pertractat. Tertullianus & alij qui fingunt animam ex anima propagari, hoc intelligunt tanquam ex causa efficiēte, aut ex causa materiali, sicut corpus prolis est ex corpore parentis, aut panis ex farina,

Epistola. 157. quæ est ad Optatum.

ex farina, vel vtroque modo, quod videlicet anima parentis sit efficiēs & materialis causa animæ prolis. At nō potest dici anima patris esse causa materialis animæ prolis, tanquam ex ipsa producatur anima prolis: manet etenim anima patris in patre, & anima filij alia & discreta est, ab ipsa, quare anima patris non est materia ex qua sit anima filij credenda. Sed neque aliquid animæ patris, est materia animę prolis, anima enim patris omnino simplex & spiritalis est, ab omni diuisionis partitione immunis. Rursum nō potest anima patris, dici causa efficiens animæ prolis, nulla enim creatura aliquid facere potest, nisi ex pręiacente materia. Soli quippe Deo ex nihilo aliquid producere proprium est. Si ergo anima parentis causa efficiens est animæ filij, necesse est assignare materiā, ex qua anima patris animam filij efficiat: at nulla potest assignari materia animæ, igitur in parente nō est illi causa efficiēs. Adde quod semen humanū facillimè corrūpatur, & generationi fiat inutile: proinde animæ si in semine lateant, interibunt, quoniam seminiales rationes quæ in rebus sunt, nihilo firmiores sunt, teste beato August. rebus in quibus sunt. Scriptura quoque sacra satis indicare videtur, in humano semine non latere animam, dum Moyses sanciuit pœnam in eum, qui mulierē impregnatam sic vt aborsum patiatur, percusserit. Distinguit enim inter figuratū & non figuratum fœtum, & si quidem figuratus fuerit, percussorem tanquam homicidam puniri pręcipit, animam, inquit, pro anima. Si autem nondum fuerit anima rationali animatus, pecuniariam mulctam statuit: vbi indicat lex, fœtum in vtero materno, antequam animetur non esse hominem, propterea haud dubiè, quod nondum acceperit rationalem animam, ac proinde dici non potest, cum semine eam transmitti, quoniam si verè transmittitur, nunquā in vtero materno erit fœtus sine anima, quod præallegato scripturæ testimonio, apertè repugnat.

Lib. 6 de ge. ad lit. cap. 9.
Exod. 21.

Priscorum patrum pro eodem argumento testimonia.

CAPVT VI.

SAnctissimi iuxta ac doctiss. Patres concordi consensu tradiderunt animas, non esse ex traduce, sed creatione singulis infundi, inter quos primum obtinet locum, sanctus Hilarius, Quasi verò ex virgine, inquit, si tantum assumsisset corpus, assumsisset & animam, cum anima opus Dei sit, carnis generatio semper ex carne sit. Et infra: Sicut ex virgine assumsit corpus, ita

Lib. 10. de Trinit. prope finem.

pus, ita ex se sibi animam sumsit, quæ nunquam ab homine originem gignente præbetur. Et diuus Ambrosius, Considera inquit, quia ex Adam corpus assumsit, non animam, Anima non ex anima. Et alibi, Ex nullo homine generantur animæ. Et iterum, Intelligit id quod in primo Adam factum est, in omnibus deinceps similiter hominibus fieri: Quemadmodum Adæ anima ex nihilo creata est, ita omnium animæ, nó ex materia aliqua, vel creata origine, sed ex nihilo, dum nascuntur, à Deo creari, & in faciem inspirari. Et beatus Cyrillus: Omnis homo inquit, ex nihilo secundum animam ad esse producitur. Et iterum, Ex eo tempore cœpimus esse, quo in hunc mundum venimus, & tunc ex nihilo in hunc mundum venimus, contra Originem, qui asserebat animas fuisse, priusquam in corpora & in hunc mundum venirent. Et alibi instruit Monachos contra hæresim Nestorij: Quærebant Nestoriani an Maria genuisset diuinitatem, quod cum negarent Catholici, & assererent diuinitatem longè ante Mariam fuisse, inferebant illi, non posse igitur eam dici matrem Dei. Iam, inquit sanctus Cyrillus quod si hoc inde consequitur, iam nullum patrem aut matrem debere dici patrem vel matrem filij sui. Quemadmodum, inquit, parentes non animam dant proli suæ, sed tantum corpus. Si igitur verè dicuntur parentes hominem generare, cum tantùm per generationem homini corpus præbeant, ita Maria rectè dici potest Theothocos, id est, Dei genitrix, quia Christum secundum humanam naturam genuit, quæ ita cum diuina in vna persona, in ea vnita fuit, sicut anima & corpus in quolibet vniuntur homine, secundum Athanasium, in Symbolo. Pari modo diuus Ioannes Chrysostomus: Anima, inquit, nec generat, nec generatur, & nullum agnoscit nisi creatorem. Eiusdem sententiæ est author quæstionum veteris & noui testamenti, apud diuum Augustinum, & Bernardus, nec non Hugo de sancto Victore, cum Haymone, super duodecimum caput ad Hebræos: hos omnes sequitur Magister Sententiarum, cum vniuersis, quod equidem sciam, scholasticis.

Lib. de parad. cap. 11. de Noë & arch. cap. 4. & 25. & epistola 21.

Lib. 1. in Ioannem. ca. 9.

Tom. 4. epistola 1.

Maria Theotocos quomodo dicitur, cũ deitatem non genuerit.

Homil. 23. in Matth.

Quæst. 23.

Ser. 2. de nata. Domini.

Lib. 1. de sacra. part. 7. cap. 3.

Hactenus non videtur fuisse hæreticum (saluo meliori iudicio) animas esse ex traduce.

Capvt VII.

Diuersa

Diuersa scripturarum testimonia ita diuus Augustinus soluit, vt non possit ex illis creatio animæ certo statui, aut propagatio prorsus destrui, tamen probabiliorem imò iam certam duco scientiam, animas organizato corpori creando infundi & infundēdo creari, quod est in masculis circa quadragesimum aut 45. diem. In fœmellis secundum quosdam circa 84. diem Nec alteram tamē prorsus tanquam hæreticam possim condemnare. Quod autem huius sit sententiæ non est vsque adeo morandum, potissimum cum alleget librum de Ecclesiast. dogmatibus, qui nullius est authoritatis: est enim liber ille non Augustini, sed (prout etiam magister aliquoties annotauit) Gennadij presbyteri Massiliensis scriptoris obscuri, qui & in hoc opere & in libro de scriptoribus Ecclesiasticis, quædam habet non sanæ fidei, Sentit enim cum Cassiano aduersus Prosperum. Magis autem vrgeret illud quod profert Magister ex diuo Hieronymo, si vere esset Hiero. quo anathematis vinculo illos condemnat, qui animas ex traduce dicunt. Anathema autem illis tantum dicitur, qui periculosè circa fidem naufragantur. Verum hęc in diuo Hiero. non reperitur sententia quin potius contraria, licet enim verum esse arbitretur, animas non esse ex traduce, sed nouas singulis in natiuitate à Deo creari, nō existimat tamen contrariam sententiam, quæ animas ex traduce dicit, esse hæreticam, aut contra fidem, quod apertissimè constat ex epistola D. Hieronymi ad Augustinum, breui quidem sed neruosa, vbi ad hunc modum scribit. Duobus libellis tuis, quos meo nomine dedicasti eruditissimis, & omni eloquentię splendore fulgētibus, ad tempus respondere nō potui, non quo quicquam in illis reprehendendū putem, sed quia iuxta Apostolum vnusquisque in suo sensu abundet, alius quidem sic, alius verò sic. Certè quicquid dici potuit, & sublimi ingenio de scripturarum sanctarum hauriri fontibus, à te positum & dissertum est. Sed quæso reuerentiam tuam, parumper patiaris me tuum laudare ingenium. Sanè meritò & grauiter esset in Augustino reprehendendum, quod de re fidei diceret se dubitare, & neutram sententiæ partem velle amplecti, cum nō minus hæreticum sit, de articulo fidei dubitare si accedat pertinacia, quā apertè amplecti hæresim. Nimis vehemens fidei zelator extitit D. Hieronymus, nec vllo modo passus fuisset, vel in minimo quod ad fidem attinet, ambigere. Præterea si existimasset hæresim esse animæ traducem, siue propagationem sentire, non dixisset ibi, vnumquemque in suo sensu abundare, hoc enim Apostolicum dictum in opinionibus problematicis tātum veritatem habet, nulla verò

Epistola. 28. & 57. Lib. 2. ad Renatum. 14. & 15.

Anima quando corpori infunditur?

Distinctione 18. §. H. huius libri.

Anathema quid?

Epistola 30.

nulla verò ratione in fide, cuilibet suæ rationi fidere licet. Ad hæc non diceret Hieronymus: Nos inter nos eruditionis causa disserimus, si quæstiones illæ, de quibus agebatur ad fidem pertinuissent. In his enim, quæ fidei sunt, non eruditio magna requiritur, sed simplex veritas, firmusque assensus. Nec dubium, quin ipse diuus Hieronymus in idiotis, indoctisque hominibus laudet fidem, perfidiam autem etiam in eruditissimis detestetur. Licet diuus Thomas quoque idem cum Magistro, hæreticum sentiat: hoc tamen non concludit Gregorius, vnde argumentum D. Thomas sumsit, quia alteram partem non damnat tanquam hæreticam, sicut nec Hugo de sancto Victore. Propterea sententia diui Thomæ videtur deficere, quia si Adam non peccasset, genuisset filios immortales, qui mori & interire non potuissent, neque enim in eis pœna, sine culpa esse potuisset. Et tamen filij illi secundum corpus originem habuissent corruptibilem, nempe in Adam, qui potuisset, si voluisset peccare, itaque mori. Si ergo ex illo semine corruptibili Adæ filij orti fuissent incorruptibiles, qui mori non potuissent: Igitur esse potest, quod aliquid naturaliter habeat originem corruptibilem, & ipsum tamen sit incorruptibile, sic anima potuisset à generante causari, & tamen immortalitate non priuari. Non ergo videtur hæreticum, maximè cum nulla Concilia hoc declararint, aut Patrum scripta palam docuerint.

1. part. quæst. 118. art. 2.

Libr. 7. Epistolarum, cap. 53.

Lib. 1. de sacram. in part. 7. cap. 3.

De animæ immortalitate.

CAPVT VIII.

Haud dissimulandum est, quosdam fuisse, qui dicerent animas perire cum corpore, inter quos fuit Aratus, vti indicat liber de Ecclesiasticis dogmatibus. Item hac nostra deploranda tempestate, Seruetus, & Ioannes Deuckins, qui authoritate Ecclesiastes, qua dicitur, Vnus est interitus hominum & iumentorum, brutis se animantibus non præferunt, quibus ad viuificationem, cælitus anima infunditur, sed sicut cum corpore bestiarum orditur, ita ipsarum interitu protinus moritur: secundum beatum Gregorium. Sed clarior est veritas Hebræa, quàm nostra translatio, nam Santes Pagninus sic transtulit, Euentus filiorum hominum, & euentus vnus est eis. Rabbi Abraam, hunc versiculum docet esse secundum cogitationes filiorum hominum, qui non habent sapientiam, nec intelligentiam, qui videntes accidens vnum esse homini, & animali, putarunt illa eundem habere spiritum, nec præstare hominē, cæteris animan-

Cap. 16.

Cap. 3.

Libr. 11. moral. cap 3.

Explicatur scriptura, vnus est interitus, &c.

animātibus. Huius ſententia eſt diuo Hieronymo maximè conſentanea, qui nequaquam exiſtimat animam interire cum corpore, vel vnum homini & beſtijs parari finem, cùm ex ipſo contextu manifeſtum ſit, ipſum Sapientem loqui, in perſona impiorum, de quibus alibi. Præterea non agit potiſſimum de anima, ſed de humano corpore, quia ſequitur, de terra facta ſunt, & in terram pariter reuertuntur. Si etiam intelligatur de anima, abundè ſoluit diuus Ambroſius, & liber quartus Dialogorum, apud diuum Gregorium. Huius rei pleniorem faciat fidem, exemplum à beato Auguſtino adductum, qui ſcribit de Gennadio, famoſiſſimo medico, apud Carthaginenſes, & Romanos, quod adoleſcens dubitauerit, vtrum vlla animæ eſſet vita poſt mortem, nihilominus erat in pauperes Chriſti largiſſimus, cui dormienti iuuenis tandem miro candore refulgens apparuit, dicens: Sequere me, quem cùm ſequeretur, deuenit ad quandam Ciuitatem, vbi reſonabant ſuauiſſimę cantilenæ ſupra conſuetam, notamq; ſuauitatem, & ſciſcitatus angelus, iuueni, reſpondit eſſe Sanctorum, Beatorumque hymnos. Expergefactus medicus, tantum de illo, quantum de ſomno cogitauit, vnde iterata vice præfatus iuuenis ei apparuit, qui cognitus inquiſiuit, an in ſomnis, & modo videret, & annuenti proponit: Scíſne clauſos oculos, & ocioſos in corpore tuo, nihilque te illis oculis videre? reſpondit medicus, optimè. tunc ille, Qui ergo ſunt iſti oculi, quibus me vides? Et obmuteſcenti expoſuit: ſicut, inquit, oculi carnis tuæ, vtique in dormiente, nunc vacant, nec aliquid operantur, & ſunt iſti, quibus me conſpicis, nil agentibus oculis carnis tuę, ita anima, & vita erit poſt corporis mortem qua viuas, ſenſuſque quibus ſentias: caue deinceps, nec amplius ambigas. Hanc animæ etiam immortalitatem, contra Epicuræos tutatus eſt pro Pythagora ipſe Ouidius, quando cecinit: Morte carent animæ. Nec obſtat quod dicitur, Solus Deus habet immortalitatem, quia ſolus, ſecundum Auguſtinum, habet immutabilitatem. Deinde quidam dogmatizārunt animas in morte hominis interire, ſed vna cum corpore in vniuerſali reſurrectione reſuſcitandas. Hic error, teſte Euſebio Cæſarienſi, in Arabiæ partibus exortus eſt: Cuius proinde ſectatores, Auguſtinus, Arabicos appellat. Hic error facilè conuellitur ex ſcripturis ſacris: Nam diues epulo poſt mortem in inferno ſepultus, memoratur: Lazarus autem quondam pauper, angelico miniſterio delatus in ſinum Abrahæ, vbi & pauperem vidit, & agnouit diues, ac ſupplex ei factus eſt, quem antea in hoc mundo deſpexerat, vt intelligas, non de corpore, quod ex ſe ſenſus & rationis

Marginalia: Sapien. 2. — *De bon. mor. cap. 9. & 10.* — Cap. 4. — *Epiſtol. 100. ad Euodium.* — *Viſio mirabilis animæ poſt mortem corporis exiſtentis.* — *Libr. 15. Metamorphoſ.* — 1. Timot. 6. — *Epiſtola 174. ad Paſcentiū.* — *Lib. eccl. hiſt. 6. cap. 26. & 27. hæreſ. 83.* — Lucæ 16.

Matth. 22. omnis expers est, sed de anima ibi sermonem esse. Rursum Sal-
Exod. 3. uator Sadducæis disserens, adducto scripturæ testimonio, Ego sum Deus Abraham, &c docet animas corporibus exutas nequaq; interijsse, sed adhuc superuiuere: nō, inquit, est Deus mor-
Heres 86. tuorum, sed viuorū. Tertius error fuit dicētium animas homi-
Sap 3. & 5. num post mortem in dæmones conuerti, quem D. Augustinus
Apocal. 6. Tertulliano tribuit: Atqui huic sentētię repugnat, quod de ani-
Matth. 25. mæ immortalitate dictum est, quam comprobāt scripturæ diuersæ: Nam si in dæmones vertātur, in aliā haud dubiè speciem transeunt, desinuntque esse quod erant, sicut aërem interire & corrumpi dicimus, dum in aquam mutatur. Animæ autem immortales sunt, non ergo in dæmones verti possunt, quod ipse etiam Saluator satis significare curauit, animas reproborum à dæmonibus discriminando, quando dicturum se reprobis asseruit: Ite maledicti in ignem æternum, qui pręparatus est diabolo, & angelis eius. Aliud igitur dæmones sunt, aliud reproborum animę Imò non solum non morte carent, sed nec corpori-
Iob 12. bus vnitæ corruptibilibus, secundum temporis tractum consenescunt, quin potius, vt habetur apud Prophetam: In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. Nec impedit quod vires & potentiæ animæ deficere in corpore veterascente incipiant puta clarè videre, sine obliuione intelligere, &c. quia hæc non contingūt ex parte animæ per se, sed per accidens, eo quod anima indigeat organis corporalibus, tanquam instrumentis in suis operationibus, quibus debilitatis, minus expeditè anima suas exequi præualet operationes, quemadmodum sapiens faber, si habeat instrumenta obtusa, & rubiginosa, non tam expeditè operari potest, sicut in aptis instrumentis, sic se res habet in anima & corpore senio confecto. Plura super his legere, qui desiderat, Alphonsum de Castro, tractatu de anima requirat. Ad gloriam illius qui viuit, & regnat in sæcula. Amen.

De animæ pretiositate.

CAPVT XI.

ANimam Deus cum primis sibi ratione creationis bipha-
Hierem. 18. riam vindicat, Priori compositionis. Ecce, inquit Pro-
Ezech. 18. pheta, sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea. Et alius quidam, Omnes animæ meæ sunt, & sanctus Iob: Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu: posteriori ratione formæ & imaginis. Sicuti etenim Deus est trinus in personis, atque essentia vnus, ita anima ra-

ma rationalis in se vna, potentijs, memoria, intellectu, & voluntate realiter distinctis, tripartita diuisione secatur. Quemadmodum etiam Deo immortalitas conuenit, ita animæ, Iustorum namque animæ in manu Dei sunt, & non attinget illos tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace: Deus quoque oculis quãtumuis lynceis comprehendi non potest, ita nec anima, vtpote spiritus qui inuisibiliter discedendo, cadauer (vt præmissum est) relinquit. Deinde Deus, sicut non dubitatur vbique locorum existere, cælum terramque replere, ita anima toto humano corpore, & singulis eius partibus creditur vigere: Ac etiam vt in diuersis operatur diuersa creaturis, sic anima diuersimodè operando, in aure actum audiendi, in oculo videndi, totum corpus viuificat. Secundò ratione emtionis, in qua tria sunt considerãda: Primò siquidem aliquid offerimus pro re comparãda, Christus obtulit, quo in cælo & in terra melius non fuit: Venite, & comedite, ait, panem meum & bibite: Si quis enim manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Nec obtulit duntaxat, aut grande præparauit conuiuium opiparis dapibus instructum: sed dato pretio redemit: Si enim aurum, argentũ, Sol & Luna, in vna constituerentur lance, alteraq; anima rationalis poneretur libræ, multis hæc modis præpõderaret, tantumq; pendere animæ lancem putandum est, vt terrã mariaq; deprimeret: Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? & si vniuersus mundus vni nequeat comparari animę, multò minus pluribus aut omnibus. Atqui pretiosus Christi sanguis prępollet adeò, vt si vna gutta, vtpote infiniti ob Deitatem coniunctã valoris, imponeretur vni bilãci, omnesq; animæ in altera bilãcis libra, infinitis partibus hic præponderaret. Non enim corruptibilibus, auro & argẽto, nos Deus redemit, sed pretioso sanguine agni immaculati, quem effundere voluit, ne hæc periret. Noli negligere homo, quod Deus tãti te fecit, noli commaculare quod Deus ita expurgauit: Emti estis, inquit, pretio magno, tã magno, vt mille mũdis, omniumq; peccatis quantũuis enormibus & execrabilibus, affluctissimè satisfecisset. Non ergo venalis est exponenda, quod faciunt opum auari, furtis intenti: Nec impignoranda, quod fit, non rem alienando aut dominium transferendo, sed vsum concedendo, quẽ ad breue temporis spacium dæmones concedunt, vt senio assuefactos in barathrum damnationis præcipitent, lutumq; deliciarum ac vanitatum porrigunt, vt animæ salutem auferãt, secundũ B Ioãnem Chrysostomum. Sunt qui cõmutant voluptatibus. Nã Valerius Maximus,

Anima Diuinæ vnitatis Trinitatem repræsentat.
Sapien. 3.
Hierem. 23.
Matth. 16.
1. Petr. 1.
1. Corin. 6.
Homil. 35. ad populum Antiochen. libr. 1. cap. 4.

Maximus ait, infantem elephantino capite natum, & Horatius refert pictorem humano capiti ceruicem addidisse equinam, sic permultos eheu videre est corpore humano, sed mente pecuina. Alij gratis & nihilo contemnunt animas, vt inuidi omnium miserrimi: Cupidus namque corradit thesauros, & diuitias, quibus aliquo modo licet non saturetur, pascitur: lubricus prætendit voluptates, superbus honores quos ambit, gulosus varia ciborum fercula, quibus stercus conficere, teste beato Hieronymo, etiam dentibus satagit: inuidus nil nisi cordis rancorem, quo iugiter roditur, obtinet. A quibus omnibus emundare nos dignetur, qui pro nobis sudauit, & alsit. Amen.

De Paradiso.

CAPVT X.

PLantauerat autem Dominus Deus, Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat.

Lib. 8. de ge. ad lit. cap. 1. De Paradiso diuersi diuersi dixerunt, secũdum diuum Augustinum: Quidam namque corporalem duntaxat, admiserunt Paradisum: alij Metaphoricum, & spiritualem tantum: Tertij spiritualem & corporalem simul constituerunt. Corporalem paradisum non agnoscit Origenes, quod de ipso contestantur Epiphanius & Augustinus. *Homil. 13. in Exo. to. 1. lib. 2. hæres. 52. Hæres. 43.* Cuius sententia veritatem si haberet, omnia quæ passim antecedunt, vel subsequuntur, spiritualiter forent intelligenda. At omnibus est contestatissimum, mundum esse corporalibus dimensionibus dilatatum, homines & bestias non esse ænigmaticas: sequitur ergo paradisum corporalem aliquem esse credendum, teste diuo Augustino, & Ioanne Damasceno. *Lib. 14. Ciuit. cap. 26. lib. 8 de gen. ad lit. cap. 5. & 6.* Inficias tamen ire, nemo debet, quin interdum Paradisus vsurpetur, pro bonæ conscientiæ tranquillitate, pro beato Cælicolarum cœtu, & etiam Abrahæ sinu, quemadmodum docet beatus Augustinus, vbi docet eruditè visibilem & corporalem fuisse Paradisum: tamen spiritualiter aliquid significasse. *Lib. 2. orth. fid. cap. 12. 12. de gen. ad lit. cap. 5. & 34. 13. Ciui. Dei, cap. 21. & 11. Galat. 4.* Sicut Sara & Agar, significant duo testamenta: tamen erant vera fœminei sexus corpora. Petra etiam Christum præfigurabat, tamen in deserto monstrabatur, quæ copiam aquarum effuderat, sic Paradisus metaphoricam licet sustineat significationem, tamen in Genesi, non genus loquutionis figuratarum rerum fuit, sicut in Cantico Canticorum, sed omnino gestarum sicut in Regnorum libris. Epiphanius in Epistola cõtra Episcopum Hierosolymitanum, ait se carneis oculis conspexisse, aquas Nili, qui vnus est fluuiorum, è Paradiso manãtium.

Ait in-

Ait insuper,se bibisse de magno Euphrate,aquas non spiritales, sed quæ manu tangi poterant, & ore sorberi. Satis ergo perspicuum est corporeum, & terrestrem locum esse oportere, vnde fluuij manant corporei, quod & cæteri Patres Catholici tradiderunt, Ad gloriam tantæ benignitatis & maiestatis. Amen.

De loco Paradisi.

CAPVT XI.

VErumenimuero vtile & iucundum fore arbitramur, de sanctarum intelligentia scripturarum, & primæuæ conditionis nostræ dignitate, ad quam Paradisus pertinet, probabiliter aliquid posse adferri, conabimur aliquid de situ & loco Paradisi (semper interim saluo meliori iudicio) explicare, quoniam non exigua est huius rei inter doctores controuersia. V.Beda namque, & nonnulli alij opinantur, Paradisum locum esse montosum,tanta altitudine eleuatum, vt etiam orbem attingat lunarem.Sed hæc sententia stare non posse videtur, quia terra quantumuis montosa,elementum ignis non transcendit. Alij sub æquinoctiali constituunt, sed dubium est, an hæc pars incolam permittat, quòd inter torridas zonas existat. Alij rursus eum reijciũt extra orbem habitabilẽ,& proinde hominibus inaccessibilem.Sed nec probabile hoc videtur: quoniam ne ipse contenderet,aut posterorum eius aliquis,vana præsumtione irrumpere,lustrareq; Paradisi amœnitates,quas iam preuaricãdo amiserat, moliretur: collocauit Deus ante Paradisum voluptatis Cherubim,& flammeum gladium,atq; versatilem,ad custodiendam viam ligni vitæ. Adam profectò non legitur post trãsgressionem extra Paradisum transpositus, & quasi in alium orbem translatus, quin potius omni miseria circundatus legitur emissus & expulsus.Nec dicit,deposuit Deus Adam & Euam in terram, sed emisit eos de Paradiso,& habitare fecit eos,non sub Paradiso,sed contra Paradisum.posuitque Cherubim custodire introitum,non ascensum,ligni vitæ.Huic scripturæ sensui consentaneus est libellus de ligno intitulatus (nisi sit apocryphus) qui commemorat Seth,filium Adę peditem,tria semina,quibus postea sancta crux est fabrefacta, ab angelo impetrasse. Nec obstat diluuium, quia sicut miraculosa tãta fuit cathaclismi inundãtia,ita mirabili ordinatione Dei,potuit hic locus præseruari, queãdmodum scriptura docet, quod Ægyptus percussa sit horrore palpabilium tenebrarum,Israëlitis clara luce gaudentibus. Exod. 10.

Genes. 3.

Tempestate diluuij, quid de Paradiso sentiendum?

Exod. 16. Rursum Dominus, eisdem panem cælitus missum ad mãducandum præbuit, quẽ tamẽ Iebuseis & Amorreis nõ administrauit. Alij dicunt eum constitutum in plaga orientali, circa Mesopotamiam & Babylonẽ, quod & vocula Eden, siue Micheden comprobat, quæ inter varias, quas ascíscit significationes, etiã significat orientem, locum, & regionem, qui ob id appellatur Eden, quia in illa terræ regione, & est modò, & fuit, maximè dum Paradisus sua integritate vigeret, omniq; splẽdore vernaret, ob loci cum amœnitatem, tum etiam fœcunditatem, summa voluptas: Hinc in sacris literis Eden, inter orientales regiones collocatur, nam egressus Caim à facie Domini, habitauit profugus in terra, ad orientalem plagam: Atque hanc sententiam post Iosephum, ceu probabiliorem classici ferè doctores amplectuntur.

Genes. 4. 4. Reg. 19. Ezech. 27. *Lib.* 1. *Antiqui. cap.* 2.

De quatuor Paradisi fluminibus.

Capvt XII.

NOnnulla oritur ex quatuor istis fluminibus difficultas, quæ Moyses commemorat, inquiens, fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomẽ vni Physon, ipse est qui circuit vniuersam terram Euilath, vbi nascitur aurum, & cætera quæ subsequuntur. Quorum duo postremi, Tygris, atque Euphrates satis noti sunt omnibus, oriuntur enim ambo ex Armenia maiore, & Euphrates, longo quidem tractu per Seleutiam tandem Babylonem alluit. Tygris verò attingit tandem Tesiphontem, potentem Ciuitatem, postea autem in vnum tandem concurrunt fluuium, & exonerant se in mare Persicum. At de primis duobus maior est difficultas, Iosephus enim & diuus Hieronymus in quæstionibus Hebraicis, opinantur Physon illum esse fluuium, qui Græcis triuiali vocabulo dicitur Ganges, in quem secundum Plinium vndeuiginti dicuntur fluere amnes. Gion verò appellatur Nilus, qui inundat fermè totam Æpyptum, potissimum sole in Cancro existente, huius ortus ignoratur, teste Lucano, dicente, Arcanum natura caput non prodidit vlli, nec licuit populis paruum te Nile videre. Quare quorundam neotericorum est sententia dicentium, nomine Paradisi, non aliquã certam terrę circa Mesopotamiam & Babylonem esse portionem, sed totum terrarum orbem: Ex isto autem Paradiso quatuor scaturire flumina. Quam quidem interpretationem eo probant, quo Adæ & Euæ in Paradiso

Euphrates. *Tygris.*

Physon. *Lib.* 6. *naturalis hist. cap.* 18.

Gion siue Nilus.

Libr. 10. *Pharsaliæ.*

Quidam Paradisum accipiunt pro tota terra.

radiso habitantibus dicitur, Crescite & multiplicamini, & replete terram; vnde conficiunt idem esse Paradisum, & tellurem, quoniam habitaturi in Paradiso, erant terram repleturi: Atqui hæc sententia nimium à veritatis semita exorbitat: Si enim totus mundus, seu vniuersis orbis terrarum sit Paradisus, non debuisset Moyses illa solum quatuor commemorare flumina: Sunt enim & alia fortassis, quædam æquè insignia, quemadmodum in nostra Europa Danubius. Deinde scriptura testatur Adam eiectum esse de Paradiso: An est vsquam extra vniuersum orbem expulsus? Præterea, inquit Moyses: Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradisum voluptatis, igitur non est creatus Adam in Paradiso, sed alibi de limo terræ Damascenæ formatus. Et reliqua quæ priori demonstrata sunt articulo. Ad argumentum autem ipsorum. Replete terram, id est, Paradisum, in quo estis conuersaturi. Dicendum quod indubiè replessent homines vniuersam terram, nihilominus in hac tota terra, locus erat quidam deputatus à Deo, primo parenti, & fortè filijs eius, qui fuissent omnium principes, qui non fuisset passim omnibus communis hominibus. Probabile sanè esse videtur, vt quemadmodum Deus honorauit Adam, tanquam hominum omnium principium, omniumque patrem, ita & in eo etiam illum peculiariter honorare voluisse, quòd insignem illi cum cæteris filijs dederit habitationem. Hæc omnia quæ nunc de fluminibus hisce dicta sunt, ad oculum patent in charta, seu mundi Topographia, & in illa quæ sancti Pauli peregrinationem continet, ad quam studiosum lectorem remittimus.

Adam in Damasc. vel prope, est plasmatus.

De ligno vitæ.

CAPVT XIII.

QVum infra latior huius rei instituẽdus sit tractatus, obiter hic tantum est annotandum, duplicem esse effectus huius ligni sententiam. Diuo Augustino namque visum est, lignum istius fructum sæpius fuisse accipiendum, & ob hoc, lignum vitæ dictum, quod contra vetustatem daret stabilitatem, nec sinebat humidum radicale, seu calorem natiuum debilitari, qui calor, ne in primis parentibus redderetur infirmior, sed vigens semper, valensque existeret, fructus ligni vitæ comestus valebat, atque ita senectutem arcebat, quæ ex caloris natiui, secundum Augustinum, diminutione proficiscitur.

Lib. 13. Ciuit. cap. 20. lib 6 de Ge. ad lit. 25. lib. 8. cap. 5. lib. 1. de pecca. mer. & remiss. cap. 3. & lib. 2. cap. 20.

Alijs placet iſtud vitæ lignum ſemel duntaxat ſumendum fuiſſe, eamque vim & energiam habuiſſe, vt ſemel ſumtum, poſſet hominem in ſtatum immortalis vitæ transferre. Non tamen illud lignum ſimpliciter immortalitatem cauſabat, quia virtus quæ animæ inerat, non cauſabatur ad conſeruandum corpus, ex ligno vitæ, cum virtus cuiuſque corporis ſit finita. Nec etiam aliquatenus credendum eſt, prothoplaſten Adam alicui ſubiacuiſſe defectui, ante præuaricationem, quia vitæ lignum dicitur mortem inhibuiſſe, ſubintelligendum namque eſt, non quæ eſſet, ſed quæ fuiſſet, niſi lignum vitæ præueniſſet, ita quod præueniendo ſuccurreret defectui non reſtaurando. Non etiam obſtat quod apud Moyſen legitur: Nunc ergo ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum: quia ſecundum Thomam Caietanum, æterna dicuntur interdum diuturna, ſicut montes æterni. Nec huic expoſitioni multum refragatur dictio Hebraica, Leolam, quæ ſignificat non ſolum quod eſt ſempiternum, ſed etiam longum tempus: ſic cecinit Regius Pſaltes, Miſericordias Domini in æternum cantabo, id eſt, longo tempore, toto huius vitæ meæ curriculo. Et alibi, A ſæculo fregi iugum tuum, id eſt, à multo tempore, quia eadem hiſce locis ponitur dictio.

Lignum vitæ quomodo cauſa eſt immortalitatis?

Geneſ. 3.

Super 1. parte D. Thomæ, quæſt. 97. art. 4.

Æternū longum ſignificat tempus.

Pſalm. 102.

Hier. 2.

De ligno ſcientiæ boni & mali.

CAPVT XIIII.

FVit & alterum lignum, quod erat interdictum, non quòd malum aut noxium eſſet, cum omnia eſſent valde bona à Deo creata, ſed propter puræ & ſimplicis obedientiæ meritum (quæ grandis eſt rationalis creaturæ virtus, ſub creatore conſtitutæ) prohibebatur, nam vbi nullum tangebatur malum: profectò, ſi prohibitum attingebatur, ſola ſecundum Auguſtinum inobedientia peccabatur. Iſta autem arbor cuius comeſtione delictum eſt, non ab initio eſt vocata arbor ſcientiæ boni & mali, vt hoc nomen ei à natura quam ei Dominus indiderat conueniret, ſed poſtea ab euentu eiuſmodi nomen accepit, ex promiſſione diaboli, qui illis poſt deguſtatum pomi ferculum ſcientiam boni & mali pollicebatur. Non quin ante eſum inter bonum & malum diſcreuerint, ſed quia hoc poſtea infœlici experientia didicerint, quemadmodum fures addiſcunt, quantum furari ſit malum, quantaque pœna dum

Lib 13. ciuit. cap. 20.

Lib. 8. de Ge. cap. 5. & 6.

Vnde ſcientia boni & mali?

dum suspenduntur dignum. Extiterunt tamen quidam contentiosi, teste beato Ioanne Chrysostomo, docentes Adam à comestione ligni nactum esse scientiam boni & mali, quod est extremæ dementiæ. Qui namque animantibus indidit, secundum sanctum Augustinum, nomina, quique prophetiæ prærogatiuam fuit assequutus admirabilem, quam de muliere pronunciauit, dicendo, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quomodo ignoraret quid bonum, quidve malum? Quam tamen virtutem ista nacta sit arbor, meritò quis inquisierit, cuius comestio oculos aperuerit? Et respondet beatus Ioannes Chrysostomus prælibato loco, nec non beatus Augustinus, quod non est existimandum, primos parentes instar canum cæcos esse creatos, & (quod non ambigitur absurdius) non crescendo, sed peccando visum adeptos, quia ista apertio non corporaliter, sed spiritualiter est intelligenda. Quemadmodum namque Agar Saræ ancilla, quæ sitiente plorante que Ismahele, apertos aduertit oculos, conspexitque puteum, cui prius nequaquam clausi erant oculi. Et discipulorum in via ambulantium oculi perhibentur aperti, vt panis fractione Dominum cognoscerent. Sic primos homines intelligere debemus attentos esse factos, ad intuendum & cognoscendum, quid iam noui in suis corporibus accidisset, quæ vtique corpora obtutibus quotidie nuda subiacebant, alioquin quomodo mulier vidisset lignum esse oculis ad videndum speciosum? Hæc tamen memini me viuę vocis oraculo publicè in Conuentu nostro Louaniensi, ante 6. annos enucleatius exposuisse.

Homil. 16. super Gen.

Lib. cont. aduers. Leg. & Proph. ca. 14.

Oculorum apertio Adæ.

Lib. 1. cont. 2. epistolas Pel. cap. 16.

Lib. 1. de pec. merit. & re. cap. 22.

Lib. 4. cont. art. sibi fal. impos. & lib. 1. de nuptijs, cap. 5.

Lucæ 24.

DISTINCTIO DECIMAOCTAVA.

De formatione mulieris.

CAPVT I.

POstquam Deus humani generis principem condidit, conditumq; in amœnissimo Paradisi horto constituit, adduxit ad eũ omnia terrrę animantia, cũctasq; volucres, vt singularum bestiarum naturam perspiciẽs, congrua illis nomina inderet. Appellauitque Adam nominibus cuncta animalia, id est, singulorum animalium tam terrestrium quàm volatilium naturam, qualitatesq; & proprietates exactè cognouit. Sed (res omni admiratione digna) dũ Adam omne animantium genus perspexisset, aduertit quælibet habere suum adiutorẽ, quo speciẽ suam multiplicare, & simile sibi in natura producere posset, omniaque geminata, sexuque dispari plasmata. At cum ad semetipsum oculos reflexisset, summa tenebatur admiratione, se solũ esse, cui non erat à Deo simile adiutoriũ cõcessum quicum ipse differere ac familiariter agere posset, suamque (id quod potissimum est) naturam ac speciem propagare, quippe cui dictum erat: Crescite & multiplicamini. Immisit ergo Dominus Deus, cũ hac de re Adam admirabũdum cerneret, soporem in ipsum, cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus costã quam tulerat de Adã in mulierẽ, adduxitq; eam ad Adã. Quod vbi cognouisset cum ingenti admiratione hęc in verba erupit: Hoc nũc os ex ossibus, & caro de carne mea. quasi dicat: nũc demũ intelligo consilium Dei, cur mihi ab initio nõ dederit similis naturę ad propagationem sociam, nimirum de meipso sumendus erat adiutor meus. Ita me honorare voluit omnipotens Deus, vt omnium hominum vnũ essem principiũ, totumq; genus humanum ex me originem duceret. Quod est contra Thomã Caietanum, in Commentarijs super Genesim, qui nòn rem gestã, sed parabolam esse cõtendit, affirmans Euã non fuisse Adamo tẽpore posteriorem, sed simul eodemque temporis momento ambos de terra fuisse productos. Verum hæc est sententia erronea repugnans non solum communi omnium Patrum Catholicorum sententiæ, sed

Pulcra speculatio Adæ, super muliere formanda.

etiam

etiam ſcripturæ ſacræ. Quoniam Apoſtolus Paulus docet, ex vno factum omne genus hominum. Rurſus mulier gloria viri eſt, non enim vir ex muliere, ſed mulier ex viro. Et Eccleſiaſticus: Deus creauit hominem. Et poſtea formationem hominis exprimens, Creauit, inquit, ex ipſo adiutorium ſimile ſibi: hic audis non de terra, ſed primo homine ſumtam eſſe Euam: & proinde non eſt parabolica phraſis, ſed propria & genuina, qua mulieris formatio à Moyſe deſcripta eſt. Verũtamen quia inuſitata eſt iſta mulieris formatio, inquirendum eſt, quæ fuerit huiuſmodi productionis cauſa. Vt laudemus Deum in ſæcula. Amen.

Actor. 17. 1. Cor. 11. Cap. 17.

Mulier quare de latere viri.

CAPVT II.

DE formatione mulieris ex coſta Adæ, inſtituit Magiſter §. E. tractatum, at non ſatis, vt videtur, fœliciter: Vult ſiquidem contra communem Doctorum ſententiam, de ſola coſtę materia mulierem abſq; adiectione alterius cuiuſquã materiæ puta aquæ, terræ, limi, &c. à Deo formatam eſſe, & potentia ſua vnicam illam coſtam ita extenſam, vt ædificandæ mulieri ſola ſuffecerit. Verum contra, (bona ipſius venia) dicimus mulierem de coſta eſſe formatam, coſtamque eſſe in mulierem ædificatam, extrinſecæ materiæ, aquæ, terræ, limi, vel cuiuſcunque alterius, ſicut Deus nouit, adiectione. Sicuti dicitur vinum fieri ex vite, non quod ex ſola vitis ſubſtantia, tantum vini emanet, maior enim eſt quantitas vini, quod de vite ſumitur, quàm ipſa vitis, ſed quia vitis materiam ſiue telluris ſuccum ad ſe trahit, cumque virtute ſua naturali in ſui naturam, hoc eſt, vinum cõuertit. Haud diſſimili ratione de parentibus & nos grandæui & magni nati eſſe dicimur, nõ quod tam magnam de parentibus ſubſtantiam ſumſerimus, ſed quod illud ipſum quod de ipſis accepimus, adiectione alimentorum tam magnum fecerimus. Vnde ſi bonum eſſet argumentum Magiſtri: Mulier accepit plures ſui corporis partes de adiecta materia, quàm Adæ coſta; ergo potius de illo addito quàm de coſta, facta eſſe dici debet: Sequeretur non rectè dici vinum eſſe de vite factum, quoniam in vite plus de humore terræ eſt, quàm vitis ſubſtantia: Neque nos valeremus rectè dici de parentibus noſtris geniti, ſed potius de pane, vino, cæteriſque alimentorum nutrimentis, longè autem plus ſubſtantiæ per corporalis pabuli alimenta nobis adiectum eſt, quàm de genitoribus

Exemplo probat quod docet.

Magiſtri ſententia à veritatis ſemita exorbitat.

acceperimus. Aptè tamen nostra genesis parentibus adscribitur, licet enim quantitate exiguum sit, quod de parentibus sumsimus, virtute tamen est magnum: quoniam quicquid per alimenta adiectum est, in suam illud naturam conuertit, non enim manent alimenta quæ sumimus in sua substantia, sed commutantur in substantiam aliti, quod nobis de sua substantia parentes dedêre. Quod autem assumit Reuerendiss. Antistes in suæ opinionis confirmationem, de multiplicatis quinque panibus, nihil efficit. Non enim illi panes absque alterius materiæ additione multiplicati sunt, sed dum panes diuiderentur, Christus sua virtute diuina, vel ex aëre, vel ex nihilo creatione materiam adiecit, eamque in prioris pânis naturam conuertit: quemadmodum docet sanctus Augustinus, Nam illi quinque panes, inquit, quasi semina quædam erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo qui terram fecit, multiplicata.

Tract. 24. in Ioannem.

Obiectio. At iam obijci potest contra prælibata, Cum Deus hominem primitus creauit, non fecit eum turpi monstrositate notabilem, vel qui membrũ aliquod haberet superfluum, ergo quando costa illa ei detracta est, imperfectus fuit & monstrosus, cum ad integritatem eius & decorem pertineret? Indubiè nihil fuit in prothoplaste vitiosum aut superfluum. Absit vt aliquid Deus in operibus suis perperam instituisset, & nihilominus post extractam ex eo costam, æquè perfectus & absolutus permansit, vt ante quia costa illa fuit de perfectione & decentia Adæ, non quatenus homo erat seu quoddam indiuiduum, sed vt erat totius humani generis principium.

Diluit obiectum.

Quare de costa dormientis formata mulier?

CAPVT III.

COnsideratione opus habet quæstio, qui & quomodo Eua sit creata, & dicit scriptura, Deum immisisse in Adam soporem, non ad mitigandum quem sentire potuerat dolorem, secundum beatum Augustinum, sed vt ipsius mens per extasim particeps fieret tanquam angelicæ curiæ, & ingrediens sanctuarium Dei nouissima intelligeret. Vnde continuo spiritu prophetię plenus sacramentum hoc magnum eructauit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Abstulerat siquidem Deus ipsius dormientis lateri costam, quam ædificauit in mulierem, fortasse angeli ministrare potuerunt in costæ abstractione, secundum beatos Augustinum & Thomam, formare tamen mulierem nequaquam, quia nullam valent creare naturam,

Super Psal. 56.
9. De Gen. ad lit. cap. 15. & 19.
1. Part. quæst. 92.

naturam, & proinde nec costam transsubstãtiare,& in formam muliebris sexus humanam reformare: hac potissimum causa, vt homo solum in Deum tenderet, quem diligendo suum creatorem agnosceret, ac etiam ne creatura aliquid iuris in homine haberet,quo illi obligatus, magis quàm Deo maneret. Legitur autem de costa tribus de causis ædificata, quarum, prima est: vt vnicum demonstretur principium, quo nihil commodius contra discordiæ vitium, cum existit, explodendum, vel cum nondum inualuit,cauendum,teste beato Augustino. Altera est, vt indicetur, quam chara mariti & vxoris debeat esse coniunctio, reciprocaque dilectio, vt ei inseparabilius adhæreat, dum agnoscit eam ex se productam, vnde sanctus Moyses, De viro sumta est: quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Tertia causa de costa lateris est formata, quod non costa,sed carne oppletum,quatenus ostẽdatur Christus factus esse infirmus, vt roboraret ecclesiam. Vnde diuus Augustinus:Dormit Adam,vt fiat Eua,moritur Christus vt fiat Ecclesia,& de latere dormientis fit Eua,quia dormiente in cruce Christo, lancea percutitur latus, vt profluant, quibus formatur ecclesia, sacramenta. Dicuntur autem sacramenta magis profluere de latere, quàm de pedibus, propter conuenientiam in significãdo, quia simul aquæ & sanguinis riuuli emanare cœperunt. Sanguis, quo redemti sumus, & spiritualiter quotidie refocillamur. Aqua qua abluti quotidie regeneramur, & profluxit quidem de iam mortuo, in quo conuenienter exprimitur sacramentorum confectio & institutio,quæ robur efficaciamque sortiuntur, per somnum Adæ, hoc est, mortem Domini in cruce,de cuius mortui latere,vitalis sanguis & aqua perennis profluxit,quia sacramenta in duobus,nimirum in verbo & elemento, sunt etiam pariter instituta: Christus namque reliquit Patrem seipsum exinaniendo, vsque ad formam serui, nec non matrem Synagogam, & adhæsit vxori suæ sacrosanctæ Ecclesiæ, quæ sumus nos, non solum quotquot hic sumus Christo fœliciter in hac ecclesia, ciuitate, prouincia, regione initiati, sed in vniuerso terrarum orbe: quoniam à solis ortu vsque ad occasum, est laudabile nomen Domini, hanc licet meretricem offenderit,virginem fecit. In fide siquidem est virgo, in carne paucas habet, in fide omnes virgines & integras habere debet. Aptaui vos, inquit Paulus, vni viro virginem castam exhibere Christo, hæc, inquam, virgo quanquam sit, parit tamen plurimos, quæ virginem imitatur Mariam, quæ Dominum peperit, & virgo inuiolata permansit. Quod mihi

Angelica qualis potestas?

Lib. 12. Ciuit. Dei, cap. 21. & 22. nec non 26.

Sacramenta vnde manarint?

Tract. 9. in Ioan.

Sacramenta magis de latere quàm pedibus profluunt.

Christus ecclesiam meretricem, fecit virginem.

& omnibus in palæstra dimicantibus, præsenti impetret, semper gloriosa & benedicta. Amen.

Mulier quomodo viri socia, eiq́; quomodo subiecta.

CAPVT IIII.

STatuere mulierem viri sociam, militare videtur, contra doctrinam Pauli Apostoli, adhortantis mulieres quatenus viris se submittant suis, eosque dominos exemplo Saræ, quæ viro suo Abraham sedulò obtemperabat, dominum etiam illum appellando, agnoscant. Cui respondendum, mulierem viri sociam esse in tribus videlicet, in generatione, in educatione prolis genitæ, nec non in administratione rei familiaris seu regiminis domus. In quibus ita socia est viri, vt tamen illi debeat esse subiecta, & ab eodem regi. Quemadmodũ verbi gratia inferiores Pastores, & qui Episcopo sunt à consilijs, vna cum eo populum regunt subiectum, sed sub Episcopo. Et Episcopi vna cum summo Pontifice orbem regunt Christianum, sic tamen vt simul à Pontifice etiam ipsi regantur. Inquantum igitur mulier socia fuit viri, de latere viri sumta est: inquantum verò ex viro tanquam principio existit, (decet enim vt qui ab altero originem trahat, ei subdatur à quo procedit) præcipitur ei, vt se submittat, eumque dominum præfectum, ac rectorem agnoscat suũ. Qua de re perpulchrè disserit diuus Augustinus: Præesse debent, inquit, qui consulunt, subesse quibus consulitur, hoc naturalis ordo præscribit, sic Deus hominem condidit. In pœnam autem peccati mulieris factum est, vt viri authoritas regendique potestas mulieri grauis sit ac molesta, quæ alioqui gratissima ac iucundissima ipsi fuisset, si non peccasset. Sicut omnibus nobis molestum & graue effectum est, benè agere, Deo seruire, & mandata eius capessere, id quod fuisset ante peccatum longè suauissimum. Quemadmodum si peccatum non fuisset, parturijsset mulier sine dolore, atque sine molestia fœtum protulisset. Peccato verò effectum est, vt vtrumque grauem habeat pœnam coniunctam. Multiplicabo, inquit, ærumnas & conceptus tuos, in dolore paries filios tuos, &c. Vbi quod semel positum est (In dolore) in consequentibus resumi ac subintelligi debet, hoc pacto, Sub viri potestate eris in dolore, ipse dominabitur tui, cum dolore. Sic Apostolus dicit legem præcipere vt mulieres viris sint subditę, vnde colligitur ex institutione Dei viros præesse fœminis. Neque verò ea solum ex peccato pœna est sequuta, quod naturalis illa

Mulier in tribus est viro æqualis & socia.

Mulier quare viro subdita.

19. Ciuit. Dei, cap. 14. & 15.

lis illa & æquissima mulieris subiectio pœnalis, illi grauis & molesta effecta sit, verumetiam illud accessit mali, vt virum sæpenumero duriora quædam, & per se, re vera, grauia remedia adhibere necesse sit, vt vxorem vel obiurget, vel seuerius cum ea agat, quo vel sic in officio eam contineat. De hac pœna scribit beatus Augustinus: Quod maritum habeat dominum mulier, id meruisse culpam non mulieris naturam. Dominum intellige qui duris, & ex se molestis remedijs cogat mulierem ad exequendum quod sibi ex officio incumbit: Nam quòd habeat virum mulier consulentem sibi, & quæ honesta sunt præcipientem, non id ex peccato accidit, sed ex institutione diuina profectum est. Sed enim hæc seueritas, quæ à viro adhibetur, vt eam in officio contineat, non debet cum arrogantia adhiberi, vt existimet se vxorem suam tanquam seruam aut mancipium tractare posse, sed quæcunque dura adhibet, in bonum mulieris dirigere debet, non suam, per hoc declarare potestatem, aut proprium quærere commodum. quemadmodum parentes proles castigant, non sui gratia, sed salutis ergò prolium. Vnde omnis illa pœna quam à viro sustinet mulier, multum eam adhuc à serua distinguit. Seruus enim ita domino suo comparatus est, vt eo possit (non respiciendo an illi hoc bonum sit & vtile) in vtilitatem vti propriam, quemadmodum iumenta, nostro seruitio sunt mancipata. Quò autem hæc melius intelligantur, aduertenda est triplex præpositura. Vna, qua quis consulit alteri, vel aliquid præcipit, qui item ex animi sententia suscipit consilium vel præceptum. Sic amicus amico consulit: qualis & ea præfectura primæ fuit institutionis, qua Adam vxori suæ ante peccatum præerat. Alia præfectura est, qua quis ita regit & consulit alteri vt regimen eius alteri molestum ingratum sit, & ita quandoque durum, vt ex se molestum adhibere necesse est, vt consilium bonum subiectus suscipiat. Ad hunc modum pater regit filium, & maritus post peccatum vxorem. Tertia præfectura est merè seruilis, qua videlicet quis alteri in propriam vtilitatem præcipit, nullam habens salutis eius rationem. Quod quidem dominium in eos tantum exercere est licitum, quos ceu pecora licet interficere. Vnde Christianis huiusmodi dominium est omnino illicitum, & prohibitum, ita vt si quos illi habeant huiusmodi seruos, non possint eos graui pœna efficere, vel dura seruitute affligere, nisi ad bonum salutemque ipsorum, qui nisi flagris adigantur, pietati operam dare recusant.

Lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 37.

Vir quomodo reget mulierem.

Præfectura triplex.

Nota quod quidam regũt officio consulendi, alij cupiditate dominandi.

DISTIN-

DISTINCTIO
DECIMANONA.
Homo si non peccasset, morti obnoxius non fuisset.
CAPVT I.

CErta & inuiolabili fide, omnibus confitendum est Christianis, quod si Adam legem Dei præuaricatus non esset, acerbam mortem nunquã gustasset. Si Eua eandem transgressa non esset, peccante Adam, à mortis vinculo immunis fuisset. Fuit tamen quodammodo mortalis, poterat enim mori,
Pelagij error. non autem mortalis, vt Pelagiani opinati sunt, hoc est, moriendi necessitati subiectus, quam sustinere comminiscebantur hominem, non peccati merito, sed necessitate naturæ primitus à Deo institutę. Atq; illa verba comminationis Diuinæ ad Adam directa: In quacunque die comederis ex eo, morte morieris, de spirituali interpretabãtur morte, quòd eodem die, quo de ligno
Mors propter peccatum inflicta. prohibito comederant primi parentes nostri, mortui non sint, sed per multos postea annos superuixerint. Sed hãc eorum elucidationem excludit diuus Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis super Genesim, docens Symmachum apertius transtulisse, mortalis erit, id est, necessitati mortis subiectus. Hoc autem intelligi de morte corporali debere, edocent alij scripturæ loci: Sic namque Paulus loquitur, corpus mortuum est propter peccatum: Spiritus autem viuit, propter iustificationem.
Roman. 5. & 8.
Quibus hic scribebat, adhuc superstites vtique erant, attamen corpora eorum iam censebat mortua, non alia dubio procul causa, quam quod moriendi subiacerent necessitudini. Qemadmodum alibi ait: Per vnum, inquit, hominem, peccatum intrauit in hunc mũdum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt: Ergo secundum Apostolicam declarationem, quo die deliquit, mortuus fuit Adam, vtpote moriendi necessitati subiectus. Quibus locis & hoc occurrit notandum, causam mortalitatis huius, non tribui corporis constitutioni, sed merito peccati: Nam mortuum est, inquit, corpus, non propter fragilitatem terrenam, seu quia de terræ puluere formatum est, sed propter peccatum, quo mors in hunc mundum intrauit. Quemadmodum hunc locum rectè expendit

expendit D. Augustinus, qui etiam alibi obijcit, quod in pœnam præuaricationis Adæ dictum est, Terra es, & in terram ibis. Neque enim secundum animam, inquit, sed secundum corpus terra est, & morte eiusdem corporis erat in terram iturus. Quibus etiam obijciendum, quod Sapientiæ primo scriptum est, Deus mortem non fecit. Et capite sequēti: Creauit Deus hominem inexterminabilem: Inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Et rursum Apostolus, Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, vbi resurrectionem corporum gloriosam, quæ nobis merito Christi Iesu Seruatoris nostri continget, illi opponit morti, quam Adam inuexit. Resurrectio autem, cuius eo loci meminit Apostolus, non animarum est, quæ nunquam moriuntùr, sed corporum, quæ vt de puluere sumta sunt, ita rursum in puluerem resoluuntur: Quare & oppositam huic mortem ad corpus referre oportet. Attulit ergo corporibus nostris Adam, merito suæ præuaricationis, moriendi necessitatem, vnde Concil. Mileuitanum: Quicunque, inquit, dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita vt siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.

Lib. 1. de pec. mer. cap. 3. & 4.

1. Corin. 15.

Cap. 1.

Adam an mori potuisset, si non peccasset?

CAPVT II.

NE quis autem Sophistam hic agat, de sensu composito, & diuiso, Scimus iustum Adam potuisse peccare, & proinde mori: Quæstio, inquam, est, An Adam in innocnetia permanēre, & iustitia, simul in eo poterat locum habere mors? Hoc indubiè sanioribus scholasticis est in confesso, quod in eo nulla potuerit esse pœna, vel mors, si non peccasset. Siquidem Deus instituit hominem primum, non vt creaturam seruilem, qui pro necessitate, & vtilitate aliorum posset occidi, sicut bruta animātia, sed instituit eum tāquam dominum quendam, quicum tanquam socio, & altero quodam domino ageret, ita vt nihil pœnæ, afflictionis, vel molestiæ illi inferret, sine merito culpæ: secundum quam primam Dei institutionem, homo non poterat, non esse beatus, & omnis miseriæ expers remanere, si Domino Deo suo obsecundasset. Hinc diuus Augustinus, Illa, inquit, lex per quam mali miseram, boni beatam vitam merentur, non potest non incommutabilis, æternaque videri: habebat lex, hominem bonum manētem, non posse esse miserum, igitur

Lib. 1. de libr. arb. cap. 6.

Lib.3. de lib. arbit. nec mori poterat, si in obedientia perstitisset. Vnde & alibi: Si peccatis detractis miseria perseuerat, inquit, aut etiam peccata præcederent, rectè deformari diceretur ordo, atque vniuersitatis administratio. At impossibile est vniuersi administrationem, sub omnipotenti Deo deformari: Res igitur fieri non sinit, hominem, si non peccet, mori. Hinc asserit idem, sententiam illam Pelagianorum, qua ponunt mortem in paruulos transire, & non peccatum, constituere Deum iniustum, & inordinatum: Si enim propterea, inquit, morimur, quia ille mortuus est, ille autem mortuus est, quia peccauit, pœnam dicunt transire sine culpa, & innocentes paruulos iniusto iudicio puniri, trahendo mortem sine meritis mortis: Quam Augustini sententiam Concil. Arausicanum, & Fulgentius, nec non quotquot contra Pelagianos calamum strinxêre, amplexi sunt. Quia igitur Deus ipse, non potest hominem miseria aliqua afficere, sine peccato, quia iustus est, & nemo alius inuito hoc valet, quia omnipotens, restat impossibile esse hominem primum mori, si non peccaret, alioquin Deus iniustus, aut non omnipotens constitueretur. Vnde Gregorius re & nomine Magnus: Ad hoc homo in Paradiso positus erat, vt si se ad conditoris sui obedientiam vinculis charitatis astringeret, ad cælestem angelorum patriam, quandoque sine carnis morte transiret. Sic namque est immortalis conditus, vt tamen si peccaret & mori posset. Et sic mortalis est conditus, vt si non peccaret, etiam non mori posset, atque ex merito liberi arbitrij, beatitudinem illius regionis attingeret, in qua peccare vel mori non posset. Et si præceptum, inquit alibi, seruare voluisset, etiam carnę spiritalis futurus erat, peccando factus est etiam mente carnalis. His adijciendus est sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Seraphicus doctor, sanctus Bonauentura, (cui herbam hoc in libro Sententiarum secundo, præ cæteris Scholasticis porrigendam ducimus) qui sic habet: Si ergo, inquit, pœna deordinata est, nisi præcedat culpa, & corporis dissolutio, non potest animæ puræ & innocenti non esse pœna, inconueniens videtur, & contra ordinem iustitię Diuinę, quod corpus hominis in statu innocentiæ dissolueretur.

Lib. 4. cont. 2. epistolas Pelag. cap. 4.

Cap. 12.

Lib. 4. moral. cap. 25. lib. 9. cap. 19.

Adam potuit mori, & potuit nõ mori.

Lib. 5. moral. cap. 25.

Bonauenturæ commẽdatio.

Distin. 19. art. 2.

Immortalitas primi hominis, an ex esu ligni vitæ, vel aliundè fuisset?

CAPVT III.

Impræ-

IN præſentiarum reſtat diſputādum, an immortalitas, quam Adam habuiſſet ſi non peccaſſet, fuiſſet illi ex ſolo ligni vitæ vſu, an ex ſola interna qualitate, an vtroque ſimul: Quæ vt ritè ſoluatur quæſtio, conſiderandum eſt, de ligno vitæ, eiuſque effectu, diuerſas eſſe patrum ſententias. Prima eſt Gloſæ ordinariæ ad illud Geneſeos, faciamus hominem. & citatur à Magiſtro §.D. Lignum videlicet vitæ ad hoc eſſe datum, vt ſemel duntaxat ſumeretur, poſt quam vnicam ſumtionem, plenam ſtatim & perfectam immortalitatem, ſumenti adferret, ita vt tamdiu homo à comeſtione ligni vitæ abſtinere debuiſſet, quo ad corporalibus incrementis perductus ad ætatem, quæ conditori placeret, multiplicata ſatis propagine, ipſo iubente, ſumeret de ligno vitæ, quo perfectè immortalis factus, cibi alimenta vlterius non requireret. Hanc ſententiam ſonare etiam videntur verba diui Chryſoſtomi, qui exiſtimat hominem primum, nunquam vſum fuiſſe ligno vitæ, quādoquidem, ſi de illo guſtaſſet, perpetuam immortalitatem conſequutus fuiſſet. Verum quia ſcriptura cōcedit veſci ligno Paradiſi, præterquam arbore ſciētiæ boni & mali: Et dicitur Adę poſt peccatū, ne ſumat de ligno vitæ, & viuat in æternum: Longè probabilius apparet ipſum, vt immortalis factus fuiſſet, debuiſſe de ligno vitæ ſæpius edere, quodq; non protinus poſt primam eius ſumtionem immortalis fuiſſet effectus. Quemadmodum verbi gratia, nunc Euchariſtiā, quæ alterum nobis eſt veluti vitæ lignum, frequenter accipimus, nec tamen confeſtim poſt ſumtionem ad vitam perpetuam peruenimus, licet eo nos venerabile ac tremendum hoc Sacramentum diſponēdo ducat. Nec mirum ſi lignum vitę ad immortalitatem hominem diſponebat, quia mirrha & balſamus à putrefactionis fœtore conſeruant. Nec huic aduerſari putandum eſt, quod Magiſter §.E. ex Auguſtino adducit, talem nempe cibum, illam præſtitiſſe arborem, quo corpus hominis ſtabili ſanitate firmaretur. Neq; enim ibi vult dicere, illud lignū ſumtum, tam ſtabili ſanitate mox firmaſſe hominem, vt iam deficere aut mori, nulla ratione potuiſſet: ſed quod lignum illud ſumtū, corpus hominis ſtabili ſanitate ad tēpus firmaſſet, donec videlicet idem iterum ſumendum fuiſſet. Quemadmodū Heliæ corpus ſubcineritius panis ſtabili admodum ſanitate firmabat, cuius fortitudine quadraginta diebus & noctibus ambulabat: Ita lignum vitæ ſæpius ſumtum præſtitiſſet homini ſtabilitatem contra vetuſtatem, & humidum radicale cōſeruaſſet, cuius conſumtione paulatim homines ad decrepitæ ætatis fragilitatem deficiunt. Alia eſt opinio, quæ arbitratur lignum vitæ ſua ſolius

Prima opinio.

Homil. 18. in Gen.

Euchariſtiæ effectus.

Ligni vitæ effectus.

Secunda opinio.

solius virtute, quæ illi, vel naturaliter inerat, vel diuinitus assistebat, homini potuisse immortalitatem adferre, ita vt siue homo peccasset, siue non peccasset, modò hoc ligno subinde pro arbitrio vti potuisset, non fuisset corporaliter moriturus. Huius sententiæ propugnator est author Quæstionum vet. & noui testamenti, apud beatum Augustinum. Quam opinionem inter Scholasticos amplexus est Durandus: Fundamentum autem huius opinionis est textus ille scripturæ sacræ: Nunc ergo ne mittat fortè manum, & sumat de ligno vitæ, & comedat & viuat in æternum, supple eijciatur, vel eijciam de Paradiso eum: Emisit ergo eum Dominus de Paradiso voluptatis. Attamen quia dicit Apostolus, corpus mortuum esse, propter peccatum, & stipendium peccati esse mortem: Rursum Concil. Arausicanum docet, nostrum corpus per præuaricationis offensam Adę, in deterius esse mutatum: Denique quia turpe est, & contra ordinem Diuinæ iustitiæ, peccatum manere impunitum, rectiùs videtur dicendum illam Dei sententiam (morte morieris) post peccatum Adæ implendam fuisse, siue comedisset de ligno vitæ, siue non, corpusque eius, mox à peccato ægritudinem quandam mortiferam & necessitatem moriēdi contraxisse, vti plusculis docet locis manifestè diuus Augustinus: Mox vbi præceptum trāsgressi sunt, inquit, eorum membris, velut aliqua ægritudo lethalis, mors ipsa concepta est. Et alibi: Hæc mors, inquit, eo die accidit, quo Deus vetuit, amisso quippe statu mirabili, corpus eorum duxit morbidam & mortiferam qualitatem, quæ inest etiam pecorum carni. Et alio in loco, Natura humana hactenus in Adam vitiata, atque mutata est, vt repugnantem pateretur in membris inobedientiam concupiscendi, & ob id obstringeretur necessitati moriendi. Contra hanc veritatem complura patrum testimonia militare videntur, ex quibus apparet, si homo non fuisset post peccatum à ligno vitæ separatus, non fuisset necesse mori: breuitatis ergò, loca tantum citabo. Beatus Augustinus ita sentire conuincitur, libr. decimosexto, de Genes. ad literam, cap. 25. nec non libr. 1. contra Aduersarium Legis & Prophetarum, cap. 15. Diuus Ioannes Chrysostomus quoque homil. 18. in Genesim. Hylarius in illud Psalmi, Quoniam quem tu percussisti. Ireneus lib. 3. aduersus hæreses, cap. 37. Quibus adstipulatur beatus Cyrillus, lib. 3. contra Iulianum apostatam. His omnibus respondendum est, duas esse causas, ob quas Adam in perpetuum viuere poterat. Vnam internam corporis eius qualitatem, & quatuor humorum complexione proportionatam. Alteram lignum vitæ, quod bonam

hanc

Quæst. 19. Libr. 6. de Trinit. cap. 25. et lib. 14. Ciuit. Dei, cap. 26.

Cap. 1.

Morte morieris, exponitur.

Lib. 1. de pec. mer. et re. 16. & libr. 9. de Gen. ad lit. cap. 16. nec non libr. 11. cap. 32. 13. de Ciuit. Dei, cap. 3.

Patrum sententiæ aduersari videntur, prælibatis.

Diluuntur obiectiones ex Patribus sumtæ.

hanc corporis qualitatem conseruabat, atque fouebat: quam vtramq; rationem Augustinus loco de Ciuitate Dei, supra memorato assignat: Eo, inquit, die mutata in deterius viciataque natura, atque à ligno vitæ separatione iustissima, mortis in eis etiam corporalis necessitas facta est. Et quamuis vtramque assignet rationem, prior tamen per se sufficiens est mortis causa, ita vt illa posita, non potuerit Adam immortalis esse, quomodocunque de ligno vitæ comedisset. Et eatenus verum est, quod ait aduersus aduersarium legis & prophetarum, puniri morte corporali, fuisse à vitæ ligno separari. Quæ autem ex Cyrillo, Hylario, & Ireneo citata sunt, non plus vrgent, neque in se includunt, quàm scriptura Geneseos: Nũc ergo ne fortè, &c. vnde vero sensu illius sententiæ constituto, ipsa etiam patrum verba elucescent. Chrysostomi autem verba videntur quippiam amplius velle: at neutiquam ex eius verbis colligi potest, quod si attigisset homo post peccatum lignum vitæ, perpetuò vixisset, atque peccasset: Sed ne attingat lignum vitæ peccaturus, perpetuò nempe in æstimatione, ac ipsius opinione, hoc est, ne ea mente ligno vitæ vtatur, vt in æternum viuat, ac peccet, quemadmodum diceremus: Absolon insurrexit, aduersus patrem suum, spoliaturus eum regno: Non intendimus dicere, quod verè eum regno spoliabit, sed illam esse eius intentionem, vt eum regno eijciat. At obtutus mentis, scripturæ sacræ applicemus, ex eius enim intellectu vniuersa euadent manifestiora, ad laudem & gloriam gratiæ suæ, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Elucidatio scripturæ, Ecce Adam quasi vnus ex nobis, &c.

CAPVT IIII.

VLtimam huius periodi particulam: Viuat in æternum, Neoterici pro tempore longo accipiunt, sicut alibi dicitur: Rex viuat in æternum. Abitranturq; potuisse Adamum post peccatum, vsu ligni vitæ longo admodum tempore viuere, multoq; diutius, quàm vixit, quod ipsum Deum voluisse sentiunt, dum dixit, viuat in æternum: Verum hoc modo scripturam illam explicando, patrum priscorum locis citatis non fit satis: Loquũtur enim illi expresse, non de diuturno duntaxat tempore, sed æterno. Vnde non videtur improbabilis scripturæ sensus, quẽ D. Cyrillus & Ambrosius tradere videntur. Nec non Augustinus à cõtrario sensu procedẽdum existimat, vt videlicet

Libr. 3. cont. Iuli. libr. de el. & ieiunio, cap. 4. Lib. 1. cap. 15. cont. aduers. legis.

Ironia quid. Deus in Ironia perseueret, quæ est dissimulatio aut illusio, qua contraria ostenduntur sensui, quàm verba præ se ferant: Ecce Adam, inquit, quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum: Acerbissima profectò Ironia improperat ei Deus vanam, quam de verbis serpentis fiduciam conceperat, quasi dicat: Ecce quàm præclarus Adam est effectus, quod serpens ei cui fidem adhibuit, repromisit, factus est Deus, qui iam brutis animantibus similis est, necessitati mortis subiectus, & qui tegumentis, ac perizomatis indiget, quibus membra illecebris concupiscentiæ erubescenda contegat. Didicit certè quid sit nobis obedientiam recusare, & in diaboli verba iurare. Sed fortè quanquam in tantam sit deiectus miseriam, perspicueque cognoscat se non esse Deum, adhuc arbitratur alterum illud verum fore, quod serpens promisit, videlicet, quod non morietur. Non credit mihi fortè satis, quanquam illi iam semel atque iterum moriturum prædixi: Igitur ne seipsum falsa persuasione decipiat, separetur à ligno vitæ, extraque Paradisum propellatur, ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum, nempe iuxta eius vanam opinionem, persuadere sibi posset secundum serpentis promissionem, se nihilominus semper esse victurum. Quare Adam si fructu ligni vitæ vti semper, & vesci potuisset, priuatus iam in Deum fide ac sapientia, in animum facilè induxisset miser, ac reputasset se fructus illius adminiculo mortem semper effugere, vitalesque auras, semper carpere posse. Et sic Dominus ait, Ne viuat in æternum per Ironiam scilicet, hoc est, vt arbitratur miser, per lignum vitæ in æternum vitam protrahere posse, vt ergo quod res est, sibi persuadeat, tollatur illud cui confidit, sicque Dominus eum Paradiso expulit: eundem in modum doctores intelliguntur, dum asserunt eum de Paradisi voluptatibus deturbatum esse, ne perpetuum in eo & immortale esset malum, hoc est, ne persuadeat sibi, ac reputet se peccaminibus immortalem fore. Vnde sanctus Cyrillus, Deus, inquit, sapienter statuit, quod euenit, nempe vt Adam moreretur, vt non draconis deceptionibus in spem vanam actus fuisset, hoc est, credidisset se non esse moriturum, vt ei draco erat pollicitus, fortassis, inquit, & habitus fuisset (supple à seipso) pro Deo, si de ligno vitæ comedisset: Non intendit hic Cyrillus docere, quod semper vixisset, sed quod vana immortalitatis spe seipsum lactando, stultè sibi hoc persuaserit.

Libr. 3. cont. Iul.

Si morta-

Si mortalis homo, quæ differentia primi hominis & aliorum poſt peccatum; ſi immortalis, qualis differentia primi hominis, & Chriſti, omniumq́ ſanctorum in cælo.

CAPVT V.

FIrmiſſimè credimus & nullatenus dubitamus, primum hominem potuiſſe non peccare, fide inſuper tenemus, quod ſi non peccaſſet, mortuus non fuiſſet. Igitur potuit non mori, & perpetua vita vigere, qua ratione erat immortalis. Potuit etiam primus homo peccare, & peccauit, potuit igitur & mori, quemadmodum accidit, hacq́ue ratione erat mortalis, ſecundum doctrinam beati Auguſtini. Differt autem immortalitas illa, quam primus homo habebat ab ea, quam electi in reſurrectione ſunt adepturi, & Chriſtus nunc fruitur in cælo, per omnem modum: Nam ſicut in Euangelio legitur, qui digni habebuntur reſurrectione ex mortuis, non poterunt mori: Adæ ante peccatum aberat neceſſitas moriendi: in ſanctis autem poſt reſurrectionem aberit poſſibilitas moriendi: Aliud ſiquidem eſt poſſe non mori, aliud non poſſe mori. Non parum rurſum differentiæ eſt inter mortalitatem, quam Adam ante peccatum habuit, & eam in qua nunc omnes ſumus. Nos enim velimus, nolimus, debemus aliquando mori: ille ſic mori poterat, vt tamē facillimè eam ſi voluiſſet, euitaſſet. Apoſtolus Paulus hanc inter immortalitatem Adæ ante peccatum, & Chriſti poſt reſurrectionem, conſtituit differentiam, factus eſt primus homo in animam viuentem: Adam nouiſſimus in ſpiritum viuificantem: quorum hic eſt ſenſus verborum: Primus Adam corpus animale habuit, quod ad ſui ſuſtentationem alimentis indigebat, quod & mori poterat: Chriſtus autem poſt reſurrectionem corpus habuit ſpirituale, quod nullis ciborum alimentis opus habebat, nec mori poterat, ſecundum Auguſtinum. Quæ interpretatio, vt facilius intelligatur, aduertendum eſt parafi Hebraica dictum, factus eſt in animam viuentem, ſicut dicitur: ipſe erit mihi in filium, pro, ego ero illi pater, & ipſe erit mihi filius. Sic in præſentia: Primus homo eſt anima viuens: Animam ſume Synecdochicωs pro toto compoſito, ſicuti caro ſacris in literis crebrò vſurpatur, hoc ſenſu: Primus homo factus eſt anima viuens. Quod vt bellè intelligatur, conſiderandum eſt, in Geneſi Moyſen hominis

De corrept. & gratia, cap. 11.

Lucæ 20.

1. Corin. 15.

Libr. 13. de Ciuit. Dei, cap. 23.

diligentissime creationem describentem, triphariam eam expressisse: Primò enim dicens, hominem ad imaginem & similitudinem Dei factum, quid secundum mentem esset nempe rationalis, liberæque voluntatis exposuit. Deinde, dicens eum de limo terræ formatum, quid & qualis secundum corpus esset, elucidauit. Tertiò autem inquiens, factus est homo in animam viuentem: describit quidem hominem secundum animam, verum non est rationalis secundum mentem, sed prout corpus viuificat, sentire & respirare efficiens, itaque hominem ibi describit quatenus alimentis indiget, ad sui cōseruationem, quod illi cum bestijs est commune: Vnde rectè Apostolus colligit hominis primi corpus alimētorum fuisse indigum. Et licet Moyses hominem depingat secundum illa quæ cęteris animantibus sunt communia, subnectit tamen aliquid ab alijs discriminis. Et inspirauit, inquiens, in faciem eius spiraculum vitæ, hoc est Spiritum sanctum, quasi diceret Moyses, anima hominis ita viuificabit corpus hominis, aliorum animalium more, vt tamen insuper sit Spiritu sancto repleta, quod nullis brutorum competit animabus. Vnde iam liquet, quod etsi homo in illo statu quia animalis erat, vt cætera animalia, mori posset, tamen per inhabitantem Spiritum sanctum, poterat etiam non mori, vt illud spiraculum vitæ simile sit illi, quod Christus post resurrectionem apud Ioannem fecisse legitur, quando insufflando, Spiritum sanctum concessit. Sic Moyses intelligitur apud Epiphanium, Methodius Martyr in hæresi Origenis, dicit, Per peccatum sumus euacuati ab insufflatione Dei, impleti autē concupiscentia. Vtique non aliud per insufflationem Dei, quàm Spiritum sanctum & sancta desideria, virtutesque intelligens. Basilius super illud, homo cum in honore esset, Prorsus, inquit, homo ex naturali sua institutione quiddam sortitus est maximè æstimandum, nempe quod inspirauit illi Deus spiraculum vitæ, hoc est, partem aliquam proprię gratiæ apposuit homini, vt per hanc sui similitudinē agnosceret, eum cui similis est. Cyrillus autem, sic spiritu vitæ signatus homo, immortalitatis bonum consequutus est, quia insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ. Sic sanctus Cyprianus: Ante, inquit, Deus plasmauit, & tum insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ: Nec enim potest accipi spiritus, nisi prius fuerit qui accipiat. Illud verò, nouissimus Adam factus est in spiritum viuificantem: eodem modo quo prius membrum est exponēdum: Christus in resurrectione sua factus est spiritus viuificans. In eo autem quod dicit spiritum, designat spiritalem fuisse hominem, qui animam

Tripartita est hominis creatio.

Spiraculū vitæ quid?

Psalm. 48.

Lib. 1. in Io. cap. 15. lib. 11. cap. 26. libr. 12. cap. 56. Epistola ad Pompe.

mam haberet Spiritu sancto plenam. Vocatur enim anima viuificans, quæ corpus à mortalitate viuum facit, hoc demum est viuere, seu vitam donare, Quoniam est quædam mors ipsa mortalitas, siue posse mori. Aliud igitur est anima viuens quam habuit primus homo ante peccatum, aliud anima viuificans, quam Christus post suam è mortuis resurrectionem.

Anima viuens aliud quàm anima viuificans.

Homo ante peccatum an mortalis vel immortalis dicendus sit?

CAPVT VI.

Accipiendo mortale & immortale cõsuetudine scriptorum gentilium Latinè loquentium, pro mori necesse, & non mori posse: primus homo ante peccatum nec mortalis nec immortalis fuit. Hinc Petrus Diaconus: Eratque mors, inquit, & immortalitas in eius posita potestate, capax enim erat vtriusque, & diuus Fulgentius, nec non Maxentius, qui operibus Fulgentij solet apponi in libello fidei: Confitemur, inquit, rectum in omnibus creatum Adam, non mortalem nec immortalem, sed vtriusque capacem: Rectè vocamus mortale, quod potest mori, tamen necessariò non debet mori: Rursum Christiani nos rectè vocamus immortale, quod semper viuere potest, etsi etiam mori possit, vt hæc duo partim priuatiuè partim contradictoriè opponãtur: Quatenus enim vtrumque debet viuere, oppositio est priuatiua: Quatenus verò mortale dicitur, id quod mori potest, immortale id, quod non necessario moritur, oppositio est contradictoria. Hoc modo loquitur diuus Augustinus, Sicut, inquit, hæc ipsa caro, quam nos habemus non ideo non est vulnerabilis, quia non est necesse vt vulneretur, sic illa non ideo fuit mortalis, quia non erat necesse, vt moreretur. Huc facit quod Apostolus mortalia corpora vocet, quæ mori possunt, etsi non debeant: Viuificabit, inquit, mortalia corpora vestra, id est, auferet mortalitatem, ita vt mori non possint, non tantum auferet necessitatem mortis, sed & possibilitatem. Id enim quod necessario moritur, appellat Apostolus non mortale, sed mortuum: Corpus, inquit, mortuum est propter peccatum, id est, necessitati mortis addictum, Sic beatus Augustinus: Prima, inquit, immortalitas, cum diuo Cyrillo, erat posse non mori, nouissima erit multò maior, non posse mori.

Lib. de gratia Christi, cap. 6.
Libr. 2. de gratia Christi, cap. 13.
Mortale quid?
Immortale quid?
Lib. 1. de pecc. merit. ca. 3. & 5.
Immortalitas prima & vltima differunt.
Lib. 6. de Ge. ad literam, cap. 25.
Lib. 3. cont. Iul.

Immortalitas ante peccatum an naturalis vel supernaturalis homini fuerit?

CAPVT VII.

VT pro hoc argumento veritatis tramitem sequi valeamus, neminem fugere debet, hominē immortalem per naturam dicendum, quantum attinet ad innocentię statum, sed tamen gratia appellari potuit immortalis, quia licet à natura habuerit aptitudinem, à gratia tamen habebat dispositionem & complexionem. Quô istud euidentius pateat, haud dissimulandum est, mortem homini triphariam irrogari, primò, elementorum dissolutione ac pugna, humidi consumtionē, vel tertiò extrinseca læsione: Immortalitas ergo dicit priuationem huius triplicis modi moriendi, quantum ad actum & potentiam in beatis, qui dicuntur immortales, quia non possunt mori, quantum ad actum in hominibus institutis, dicuntur immortales, quia poterant non mori, hoc triplici genere moriendi: habebat siquidem primus homo aptitudinem hoc triplex mortis genus euadendi, per id quod habebat à natura, quoniam corpus admodum benè complexionatum, animaque de se incorruptibilis erat, quæ illud corpus regendo conseruabat, ideoque primus homo erat idoneus, qui nunquam per elementorum pugnam deficeret, licet hoc non sufficeret, quia anima peccatrix in consimili corpore hoc non præualebat, ideo donum gratiæ, datum fuit animæ, qua corpori posset præsidere, illudque regere, & elementa quasi in amicitiæ glutino custodire, & hoc donec suo authori subiaceret. Vnde diuus Thomas: non corpus eius erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem, sed inerat animæ vis quædam supernaturaliter, cælitus data, qua poterat corpus ab omni corruptione præseruare, quamdiu ipsa Deo subiecta mansisset, hoc gratiæ donum vocat diuus Ancelmus iustitiam originalem. Contra primum ergo moriendi genus, ad immortalitatem habuit Adam aptitudinem à natura, sed à gratia complementum. Pari ratione pro altera moriendi specie, vis nutritiua efficax erat ad conuertendum alimentum sibi sufficiens, quod necessariam habebat ad nutriendum virtutem, & ex hoc homo idoneus erat vt cōseruaretur in eo, sine corruptione naturale humidum, sed quia humidū radicale paulatim consumitur, nec per quodcunque alimentum reparari valet, ideo datum fuit vitæ lignum, cuius sumtione humidum radicale conser-

Triphariam mors irrogatur.

Immortalis à natura, quia habuit aptitudinem non moriendi, vt autem dispositio adsit astui, est gratiæ. 1. Parte quæst. 97. art. 1.

Iustitia originalis quæ?

Humidū radicale quomodo conseruandum.

conseruaretur, non conditione naturæ, sed conditoris ordinatione, vt prælibatum est. Tertiumquoque genus non obfuit, quia Adam sicut præualebat repellere noxia, ita præcauere norat extrinseca: & quod bestiæ aliáve animalia nocumenta illi inferre nequibant, hoc non erat ei à natura, sed spirituali Dei prouidentia, quæ ita eum tuebatur, vt pedibus eius omnia subderet, nec aliquid ipsum lædere cuperet, & cupiendo non valeret secundum diuum Bonauenturã, & beatum Thomam, *Dist. 19. lib. 2. quæst. 1.* Immortalitas ergo innocentiæ ratione aptitudinis extitit à natura, sed complementum gratia administrauit. Quærunt *1. Parte quæst. 97. art. 2.* præterea nonnulli an Adam in primo statu dormiuisset? Alexander de Hales existimat, quod non, quia, inquit, ex bono, conuenienti & leui, quem comedisset cibo, sobriè & temperatè nulli aut tenues in eo ascendissent vapores, qui potuissent somnum grauando cerebrum inducere. Atqui opposita sententia videtur vero similior, qua ad confortationis *Somnus qualis Adæ fuisset.* recreationem, somno vsus fuisset, siquidem tranquillus fuisset nullis molestis phantasmatibus perturbatus, vt nobis contingit. Vnde beatus Augustinus, non somnus, inquit, premebat inuitum: quod asserens, somnum eum vtique capere *Lib. 14. de ciuit. Dei, cap. 26.* potuisse insinuat, allegans interim eum somno nunquam opprimendum fuisse inuitum, sicut nos subinde lassati, aut alioqui malè dispositi, velimus nolimus, dormire cogimur. Et sanè qui asserunt Adam ante peccatum non dormiuisse, aduersari illi videntur scripturæ, Deus in Adam soporem (vel vt Hebraica veritas manifestius habet: grauem profundumque somnum) immisit. Neque enim vlla ratione existimandũ est, Deum ei aliquid ante peccatum immisisse quod naturaliter ei fuisset miseria. Quod si non fuisset somnus in homine nisi post lapsum, vt ille opinatur, erit somnus effectus peccati, & proinde pœna est, ac miseria, qua non potuisset hominem Deus ante peccatum afficere. Qui est benedictus, & gloriosus in secula. Amen.

DISTINCTIO VIGESIMA.

Coniunctio maris & fœminæ fuit ante peccatum.

CAPVT I.

HAc sectione dicendi ratio postulat modum, quo primi parentes si non exorbitassent, sobolem procreassent? Quæ quæstio quibusdam curiosa videri possit, at si considerarimus nos, illa in cognitionem miseriæ nostræ & pœnæ in quam per peccatum incidimus, deduci, videbimus esse admodum vtilem. Ante omnia igitur cōstitutum sit, complures in hoc doctrinæ capite hallucinari, opinantes liberos ante peccatum sine concubitu maris & fœminæ fuisse multiplicandos, id quod indubiè plurimi senserunt, quorum de numero est Gregorius Nicenus, lib. de creatione hominis, modò liber ipse non mentiatur authorem, & beatus Ioannes Chrysostomus, nec non Ioannes Damascenus, sic Euthymius, in illud Psalmi, Ecce in iniquitatibus cōceptus sum: adeoq; ipse Augustinus pluscules locis in hac hęresi fuit. Etiam Iacobus Faber Stapulensis, in cōmentario librorum Richardi de sancto Victore, de Trinitate. Dum autem sententiam quisque suam hic in particulari explicare nititur, varietate sensuum abundare comperiet. Nicenus siquidem & Damascenus fatētur quidem homines, in primo statu ante peccatum multiplicandos fuisse, at multiplicationem illam non generatione, sed creatione instar angelorum peractam iri: Augustinus autem locis allegatis existimauit homines ante peccatum non fuisse multiplicandos, sed solos Adam & Euam non plures homines mansuros. Sic enim habet de bono Coniugali, non potest, inquit, ibi esse concubitus, nisi mortalium corporum, quod alibi reuocat. Vnde sententia quam habet magni non videtur esse roboris, quod non posuerit animi sui sententiam, cuius cecinit palinodiam. Stapulensis aliud commentus est, nam si Adam, inquit, non peccasset, ex se sine fœmina similem sibi masculum peperisset. Et Eua similiter fœmellam, Quemadmodum, inquit, terra ex se ante peccatum frutices & herbas producebat, absque aliquo humano adiutorio, & mascula palmā

Cap. 17. & 18.
Homil. 20. super Gen.
Lib. 2. orth. fid. cap. 20.
De vera relig. cap. 46. lib. 2.
Ser. Domini in monte, de Gen. cont. Manich.
Lib. 1. ca. 19. de bo. coniug. cap. 2.
Cap. 2.
Lib. 1. Retract. 10. 13. 19. lib. 2. ca. 22. & li. 14. Ciuit. Dei, cap. 23.

cula palma ex se profert dactylos: Sicut etiam beata Virgo Maria, inquit, quæ peccati labe fuit immunis, ad modum primi illius status naturaliter sine virili semine ex se peperit Christum. Additque alium multiplicandorum hominum sine concubitu modum. Si, inquit, non genuisset ex se, potuissent reciproco anhelitu mutuoque flatu oris concipere, & generare, sicut Christus natus est de Maria per flatum siue Spiritum sanctum. Subnectitque quasdam equas (vt reliqua eius farinæ alia missa faciamus) vento concipere. Verum hæc figmenta apertis scripturarum testimonijs aduersantur: Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. Neque enim ob aliud ei datum est adiutorium mulieris in sexu diuerso, nisi ad humani generis propagationem. Quod autem dicit de flatu, repugnat huic, quod masculum & fœminam fecerit eos. In flatu enim non distinguitur mas & fœmina, æquè vterque flare nouit. Et iterum ille, Erunt duo in carne vna. Per flatum enim non fiunt masculus & fœmina vna caro, sed per concubitum duntaxat, & carnalem commixtionem. Præterea quod adfert. Palmam per se esse patrem & matrem, impropriè loquitur: norunt enim omnes nomen patris vel matris impropriè arboribus attribui. Vocant autem Palmam metaphoricos fœmellam, quia nisi iuuetur externo aliquo, manet sterilis, cum verò ex infectione & diligenti cultura incipit producere fructus, vocatur masculus. De terra autem quod ait sine aliquo hominum labore fructus suos prolaturam fuisse, verum est si laborem intelligas, qui molestiam homini adferret, alioquin homo operatus fuisset atque tellurem excoluisset. *Terra quomodo fuisset exculta ante peccatum.* Quod beatam Mariam virginem dicit ex se peperisse, grauis est in articulum nostræ religionis lapsus. Nunquam enim ex se illa potuit esse mater, nec hoc fuit eius natura, sed aut per virum concipere debebat, vel per Spiritum sanctum, quod ex viro esse solet, sua operatione supplentem. Historijs autem quas producit de equis solo vento generantibus, non est fides adhibenda, quandoquidem in huiusmodi equis semina, vel dæmonum opera, vel alio modo illata aliunde, (vt de Incubis dictum est) sunt credenda. Primarium autem huius erroris fundamentum, quo adstruunt non posse fieri commixtionem maris & fœminæ, sic conficiunt, Nunquam concubitus sine libidine, nec vllus vnquam inuentus est, qui de viro & fœmina est sine libidine genitus, ergo etiam, ante peccatum fuit vitiosus. At docet nos fides aliud credere de primi status excellentia, quam nunc videmus, nunquam mulier aliqua (excepta Dei

genitrice) dolore in partu caruit, ergo dolor partus in fœminis ante peccatum futurus erat. Quo delebimus scripturam, Quia
Genes. 3. hoc fecisti, in dolore paries filios. Rursum: nunquam inuentus est adultus aliquis, nisi aut fatuus aut propria malitia deprauatus, (quales nostro sæculo extitêre Adamitæ de anabaptistarum grege) quin omnino nudus maximè erubesceret potissimum in publico & coram diuerso sexu: putabimus ergo erubescentiam illam & pudorem, locum etiam in primo statu ante peccatum habuisse? Oportet igitur mentitus fuerit sanctus Moyses, dicens de primis illis parentibus: Erat vterque nudus & non erubescebant, vt perpulcrè prosequitur diuus
Lib. 2. de peccato orig. cap. 35. Augustinus. Denique negare in primo innocentiæ statu, futurum fuisse concubitum, repugnat scripturæ: Crescite & multiplicamini, nam qui istud de multiplicatione bonorum operum, iustitiæ, pietatis, virtutisque intelligunt, ad Origenistas relegandi sunt, qui Allegoriis suis sensum Moysi euerterunt. Quanquam nihilominus hoc ipsum ex eodem capite refutari possit: Nam hoc idem, Crescite & multiplicamini, expresè dicitur bestijs, de concubitu & multiplicatione speciei per commixtionem vtriusque sexus. Idemque dicitur filijs Noe post peccatum. Vnde euidenter elicitur, modum propagationis humani generis, quantum attinet ad substantiam actus, vnus idemque fuisset & ante & post peccatum, in integris & iam corruptis hominibus, quanquam in qualitate
Matth. 19. plurimum differant. Rursum dictum illud Adæ adhuc recti:
1. Corin. 6. Erunt Duo in carne vna, locum habet in corruptis homini-
14. De Ciuit. Dei cap. 23. bus post peccatum, vti liquet in sacris eloquijs, eadem igitur fuisset commixtio viri & fœminæ in substantia, quæ modò est secundum Augustinum. Qui autem adseuerant Dominum ideo eos fecisse masculum & fœminam, quia peccaturos præsciuit, ponunt Deum homins ante peccantum vltorem ob præuisum scilicet peccatum, ac proinde Deo iniustitiæ notam inurunt. Iuxta illos enim sexuum distinctio ad generationem est miseria hominis, quando opinantur omnem concubitum viri & mulieris esse per se malum, aut fieri non posse sine libidine. Atqui dicere diuersitatem sexuum esse ex peccato, catholicæ fidei aduersatur, de resurrectione mortuorum: Si enim distinctio sexus est in homine propter

Honestus & castus fuisset concubitus ante peccatū.

1. Corin. 15. peccatum, ergo in resurrectione tolletur, vbi omnes peccati effectus abolebuntur, & mors ipsa absorbebitur, teste Apostolo. Prout latè prosequitur diuus Hieronymus contra errores Ioannis Hierosolymitani. Ad has autem absurditates de-

uoluitur

uoluitur homo, dum non conſiderat qualitates malas propter peccatum in naturam bonam inductas.

De commixtione primi & integri ſtatus & qualis.

CAPVT II.

Homo primo innocentiæ ſtatu, in cunctis operibus ſuis totus fuit rectus, nunquam in actu aliquo libidinem vel tædium ſentiens, nos etſi peccata aliorum toleramus, hoc cum tædio quodam facimus. Rurſum viri ſancti licet non peccent, dum prolis deſiderio actum coniugalem exercent, tamen fœdam patiuntur libidinem: Adam nihil huiuſmodi. vnde quando proles generanda fuiſſet, ita honeſtè & caſtè ad honorem Dei hoc perfecturus erat, vt nihil in illo opere fœdæ concupiſcentiæ fuiſſet experturus. Ex iſtis iam inter nuptias illius ſtatus primi, & noſtras, plurimæ oriuntur differentiæ. Primò enim ex rectitudine illa Adæ in cunctis operibus, ſequitur, quod nunquam niſi ex recta ratione expetiuiſſet concubitum. Vnde nunquam niſi deſiderio prolis habendæ concubuiſſent. Nunquam vir niſi vnicam habuiſſet vxorem, quæ nunquam è viuis diſceſſiſſet. Quoties autem nunc congregantur inter ſe coniuges, non prolis habendæ gratia, ſed ex incontinentia ad explendam libidinem? quoties etiam fornicationes & adulteria perpetrentur indies, norunt qui fecibus mundanis occupantur. Ex eadem illa primi ſtatus rectitudine conſequitur, quod nulla fuiſſet in commixtione libido, vel inordinatus concupiſcentiæ motus. Nunquam præterea membra genitalia ad congreſſum mota fuiſſent, niſi quando eis libuiſſet: iam ſolicitari ſe aliquando ſentiunt, etiam quando concumbere interdum diſplicet. Nec vnquam vir rem habere voluiſſet, niſi & mulier idem exoptaſſet: nunc cum vnus pietati ſe dedere deſiderat, alter debitum coniugale importunè poſtulare non ceſſat. Quia vero coniuges illi in primo ſtatu, iuſtitia & rectitudine præditi fuiſſent, omni quoque ex parte quoddam fœlicitatis regnum in cordis penetralibus ſenſiſſent, guſtaſſentque: Solet ſiquidem iuſtitiam ſemper fœlicitas tanquam præmium aliquod ſequi, ſicut iniquitatem miſeria. Hinc in concubitu nullus pudor aut verecundia fuiſſet, nec puduiſſet illos concubitus etiam

Concubitus primorum parentum, qualiter non erubeſcēdus.

etiam omnibus cernentibus & præsentibus: Vnde de Adam & Eua scriptum reperimus, Erat vterque nudus, & non erubescebant: Neque enim plus turpitudinis, aut pudoris membris tunc inerat genitalibus, quàm nunc sit in facie, manibus & pedibus. Quare sicut modò audemus omnibus faciem exponere, manus monstrare, pedes denudare, sic tum temporis membra genitalia ostendere non erubuissemus, & coram omnibus ijs ad generationem vti. Rursum in illo tempore non fuissent aliqua obscœna verba, nec vitio datum fuisset de concubitu miscere sermonem, sed absque omni pudore, membrorumq; inordinato concupiscētiæ motu, de his rebus loquuti fuissent, quarum iam non nisi præfata venia audemus mentionem facere, teste beato Augustino. Denique nullus fuisset irritus seminis iactus, nec vllus concubitus, quem non sequeretur conceptus: Nunc crebro ex concubitu non concipit mulier, & dum concipit, subinde vel perit semen, vel varijs modis, ne partus sequatur, impeditur. Et magna profectò huius coniugij miseria est, illum ex concubitu non sequi effectum, ad quem potissimum est ordinatus.

Omnem concubitum conceptus fuisset sequutus. *Lib. 2. de nupt. & con. cap vltim.* *4. de Ciuit. Dei, cap. 23. & 2. sequen.* *de pecca. orig. cap. 35. et 36.*

An fuisset illis primis parentibus integritatis corruptio.

CAPVT III.

EST autem hic nonnihil difficultatis, de integritatis corruptione. Quidam namque aiunt: Si fœminæ in primo statu salua virginitate concepissent, non est ergo hoc gloriosæ virginis singulare priuilegium. Ingens illos inuadit admiratio, nimium ijs fidentes, quæ nunc post lapsum fiunt, quomodo hoc naturaliter fieri potuisset, quos scite redarguit sanctus Augustinus: Neque enim (inquit) quia experientia probari non potest, ideo credendum non est, quando illas corporis partes non ageret turbidus calor, sed spontanea potestas, qua in illo statu nulla integritatis corruptione infunderetur gremio maritus vxoris. Ita enim potuit vtero coniugis salua fœminei genitalis integritate virile semen immitti, sicut nunc potest eadem integritate salua ex vtero virginis fluxus menstrui cruoris emitti. Vt enim ad pariendum non doloris gemitus, sed naturalis impulsus fœminea viscera relaxaret, sic ad concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius vsus, naturam vtramque coniungeret. Fuissent tunc membra pro iudicio rationis mirabiliter flexa, vt sine læsione aliqua, sine dolore vllo concipere, &

14. Ciuit. Dei, cap. 26.

facili-

facili enixu fœtum edere potuissent: Plurima enim fieri possunt in integro corpore, quale iam non videmus, quæ in iam corrupto fieri nequeunt: hallucinari ergo videntur, D. Thomas in scripto suo, sanctus Bonauentura, Altisiodorensis, & Tarentesia. Quibus melius sentiunt Alexander de Hales, Durandus, & alibi D. Thomas. Quod autē de beata Maria virgine dicūt, non ignorandū est, quod nec primā similē visa est, nec habere sequētem: Priuilegium singulare fuit tali reseruatum, ab æterno virgini, nunquam non benedictæ. Deinde non eo fortassis modo peperit virgo beata, quo cæteræ peperissent ante lapsum fœminæ, fortassis enim sine apertione sui benedicti corporis, Christo ex illa per miraculum egrediente, sicut post resurrectionem ad Apostolos clausis ianuis introiuit. Addo præterea hoc loci, virginitatem, & abstinentiam à concubitu, in primo statu non fuisse virtutem, sed matrimonium virginitati præferendum fuisse, imò illicitam tum fuisse à concubitu abstinētiam: Quod enim nunc virginalis castitas sit virtus, matrimonioque præferatur, inde prouenit, quia sæculi distractionem & sollicitudinem tollit, atque idoneum reddit hominem, vt Deo quietè & tranquillè seruiat. In primo statu omnis sæculi distractio & sollicitudo aberat, quæ syncerum Dei cultum vllatenus impedire potuisset. *In 2. dist. 20. quæst. 4. 1. part. quæst. 98. art. 2. ad. 4.*

Mares tum cum fœmellis, facili editi fuissent enixu.

CAPVT IIII.

VTerque sexus sicut primordiali statui erat necessarius, ita postliminio processui congruebat, Æquali siquidem & pari mares & fœminæ extitissent numero. Cùm enim distinctio sexuum esset propter generis multiplicationem humani, & numeri electorū completionē, & illa multiplicatio ad omnes spectaret, siquidem omnibus dictum erat, Crescite & multiplicamini; necesse erat, tot fuisse mulieres quot viros, quū nulla mulier viro careret, & nullus vir vxore, nec vna esset plurium, nec plures vnius. His adijcio parentes, tum sexus futuri certiores fuisse, imò pro arbitrio, nunc masculum, nunc fœmellam procreassent, secundum diuum Thomam, docentem quod secundum voluntatem generantis distinctus fuisset sexus in prole. Berosus autem vetustus author, nisi titulus mentiatur, edocet singulis enixibus gemellos disparis sexus, in illo temporum statu producendos fuisse. *Quot masculi tot fœmellæ natæ fuissent.* *1. part. quæst. 99. art. 2. ad. 2.*

Pueri

Pueri an parui vel magni fuissent nati?

CAPVT V.

Solerti indagine dispiciendum venit, an homines in statu integro nati, fuissent viri, tam magni, fortes & perfecti, atque modò sunt, qui virilem attigerunt ætatem, vel Adam ipse erat, quando factus est? Denique si detur, quod paruuli fuissent nati, an protinus in virilem excreuissent magnitudinem, an verò annorum processu sensim incrementa corporis addidissent ætati. Adhæc, An mox à Natiuitate potuissent omnibus vti membris, operari manibus, pedibus incedere, reliquisque sensuum organis imperare. Quod ad primam attinet quæstionem, videtur scripturæ & patribus consentaneum, quòd homines in primordiali statu fuissent paruo nati corpusculo, propter materni vteri necessitatem, & capacitatem, teste diuo Augustino, & paulatim grandiuscula corporis lineamenta accepissent, donec ad virilem tandem staturam pertigissent. Itaque primitus in lucem emissi, non habuissent illico corpus & membra ad viriles actiones exercendas idonea: Nihilominus habuissent paruuli illi omnium membrorum suorum vsum. ætati ipsorum maximè competentem. Matrem optimè cognouissent, eiusque sponte mammillam suxissent, illamque obambulando sequi vtcunque conualuissent. Vnde rectè dicit Alexander de Hales, infirmitatem illam membrorum infantilium quam nunc in paruulis videmus, pœnam esse peccati. Nimis enim absurdum foret quod rationalis creatura, nunquam vitiata peccato, sed omni ex parte iusta & recta, nequiuisset corpus suum decenter & conuenienter mouere, sed tantum manibus & pedibus irrationabilium animalium more, repere potuisset. Profectò expressis docet verbis sanctus Thomas, quod idonea habuissent membra ad actus eorum pueritiæ conuenientes, vt exemplis prælibauimus, iam autem magis vberibus propè positis esurientes possunt flere, quàm sugere: imò beatus Augustinus à Magistro §. E. citatus, non dubitatiuè, vt vult ille, sed assertiuè, dicit infirmitatem istam membrorum, quàm in pueris modò conspicimus, congruere infirmitati mentis peccato contractæ, non autem conuenire rectitudini mentis, quæ fuisset in primo statu. Vnde inter cætera subnectit, Ipsa tanta infirmitas carnis, nescio quid pœnale demonstrat.

Lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 36. & 37.

Paruuli quales ante peccatũ fuissent.

1. part. quæst. 99. art. 1.

Lib. 1. de peccat. mer. cap. 37.

Pueris,

Pueris an illo statu fuisset vsus rationis?

CAPVT VI.

PRobabilior sententia adstruit, infantes in primo statu imperfectos sensu futuros fuisse: cui assentitur Thomas Aquinas, doctor angelicus. Verum quia res maiorem dictorum dilucidationem exigit, perpaucis explicemus oportet, potissimum in quo illa imperfectio sita sit: Recipere siquidem potest hoc dictum Thomæ duplicem intellectum: Primum enim videmus infantes à natiuitate statim ridere, dum eis aliquid delectabile & iucundum proponitur, & flere, dum triste quippiam sentiunt, hæc autem sunt opera rationis. Præterea quando pueri ad tertium vel quartum ætatis annum peruenerunt, sciunt se contra præceptum & voluntatem parentum, subinde aliquid malè agere, & intelligunt tegendum esse, ne a parentibus percipiatur. Imò etiam aliquid de Deo sciunt, quum dicitur eis in cælo habitare. Et sacrari, pomorumque fructuum, quibus afficiuntur puerile sensus, clargitorem etiam amant, & reuerentur. Et proinde non satis videtur explicare D. Thomas, quídnam imperfectæ scientiæ nomine, in primo statu intelligat: videtur tamen Thomas magis ad priorem, quàm posteriorem modum accedere. Alexander de Hales omnium scholasticorum antesignanus, arbitratur pueros sensum, atque noticiam habituros fuisse ad discernendum, inter bona & mala, commoda & incommoda, inter calorem & frigus, at non ad distinguendum licitum & illicitum. Ego (saluo hìc & vbique meliori iudicio) existimo eos omnino etiam mox natos, inter licitum & illicitum potuisse discernere, quantum quidem ad ipsorum statum, ætatisque pertinebat conditionem: cognouissent legem Dei, eiusque voluntatis certiores fuissent, non habitualiter duntaxat verum etiam actualiter. Et simul atque ex materno prodijssent vtero, flexis genibus (haud secus atque nunc adulti) Domino Deo omnium largitori gratias egissent, quod rationales creaturas, secundum imaginem suam, eos condidisset. Cognouissent præterea se bestijs prælatos, omniumque rerum corporalium dominos, fuissent etiam tunc pueri præcepti capaces, & dociles, intellexissentque quando parentes ipsis aliquid præcepissent, vel docuissent eorum, quæ salutem animæ & corporis concernunt. Nec hæc admiratione digna sunt, si humanæ naturæ nobilitas & excellentia consideretur. Nam & ipse Augustinus totius huius doctrinæ est author.

1. part. quæst. 101. art. 1.

Infantes quâ vsu rationis valuissent in primordiali statu.

Lib. 1. de peccat. mer. cap. 35. & 36.

Illos,

Illos, inquit, inter multas consideremus tenebras mentis vtique rationalis, in quibus & Deum prorsus ignorant. & paulò post, Iste autem nesciens vbi sit, quid sit, à quo creatus, à quibus genitus sit, iam reus delicti, necdum capax præcepti, tam profunda ignorantiæ caligine inuolutus & pressus, vt neque tanquam de somno excitari possit, quo hæc saltem demonstrata cognoscat. Sed quispiam fortè vniuersa hæc in pueris habitualiter futura fuisse non actualiter dicat, sicut infantes nunc sacri baptismatis vnda renati, etsi non actu saltem habitu, Deum diligunt. Verum hanc non esse mentem, ex consequenti Augustini capite euidenter colligitur, vbi inter reliqua interserit: Agitur de illius mentis quadam valentia, vsuque rationis, quo præceptum Dei, legemque mandati & docilis Adam caperet, & haud difficulter posset custodire, si vellet, Ecce agit diuus Augustinus, de actualis rationis vsu, quo & cognoscerent, & facilè obseruarent infantes legem Dei, ne corrupti, ac viciati essent. Non tamen dicere intendimus, quod tam perfectè legem Dei cognouissent, quàm protoplastes Adam, sed pro suo statu & tempore sine labore & molestia sensim cognouissent. Eadem fermè docet Augustinus alibi de vitijs paruulorum, quod videlicet non raro petant noxia, & nisi obtemperetur, indignantur acriter genitoribus, feriunt, recalcitrant, ingenti ira efferuescunt, inuidia tabescunt, amaro, pallidoque vultu, subinde collactaneos suos intuentur, non ferentes illos eandem secum sugere mammillam: ijsdem vesci cibis, cum alioqui abundè satis habeant. Alibi dicit manifestam ignorātiam, in qua nascuntur paruuli, satis contestari, progeniem mortalium esse damnatam.

Lib. 1. cōfess. cap. 7.

Libr. 22. de Ciuitat. Dei, cap. 22.

Pueri an iusti fuissent nati in statu innocentiæ?

CAPVT VII.

QVod iustitiam scientiæ coniunctam adepti ipsa natiuitatis conditione fuissent paruuli, ex scripturis sacris argumento ab effectu ad causam assumto, potest cuique esse contestatissimum. Dixit enim Deus Adæ, Crescite & multiplicamini, & dominamini piscibus maris, & bestijs terræ, & volatilibus cæli. Genuissent igitur primi parentes filios rerum omnium, bestiarum atque animantium dominos atque rectores: atqui hoc dominium inseparabilis est iustitiæ effectus. Si sanctus Moyses dixisset, quod homines in primordiali statu liberos iustitia præditos procreassent, non ita hoc homines mēte corrupti, intellexissent, sed vt credāt, adducūtur effectu iustitiæ, qui est,

Effectus iustitiæ primordialis.

qui est, omnibus dominari, regere, gubernare, atque præesse. Omnes bestię etiam ferocissimæ, non solum non fuissent nobis terrori, sed expauissent in statu innocentiæ ad conspectum alicuius, quantumuis paruuli, aut tenerrimi pueri agnoscentes eos ceu dominos suos, & rectores: Nunc vero posteaquam exorbitando à recta mandatorum Dei semita, iustitiam amisimus, nostro subinde discimus periculo, quàm bestiæ sint nobis cornibus tãquam suę speciei armis impetendo, vnguibus lædendo, & similibus, infestæ. Occurrit & aliud, non mediocre eiusdem loci dialectici argumentum: Paruuli in statu innocentiæ morti non fuissent obnoxij, quantum quidem erat ex ipsorum natiuitate, neque ex natiuitate habuissent peccatum, quod mortem generat, ac proinde quantum est ex natiuitate ipsorum, semper viuere potuissent. Vita autem perpetua, iuxta scripturarum veritatem, nulli nisi iustitiæ debetur: est enim effectus iustitiæ inseparabilis, sicut mors est effectus peccati, ex prima rerum institutione. Iustitia, inquit Sapiens, perpetua est, & immortalis, hoc est, perpetuæ immortalitatis effectrix, & causa, Iniustitia autem est mortis acquisitio. Deinde per locum, quem Logici vocant, In ipso: Paruuli nunc per peccatum Adæ, iniusti nascuntur, & peccatores secundum Apostolum, ergo si Adam non deliquisset, iusti fuissent nati. Si ergo nunc propter peccatum Adæ, iniusti sunt, tunc iusti fuissent: iuxta scripturarum enim morem, iustitia, & iniustitia, bonum & malum, contraria sunt immediata.

Bestiæ feroces, homines innocentes fugissent.

Cap. 1.

Rom. 5.

Adæ posteri an in gratia fuissent confirmati?

CAPVT VIII.

SI curiosa mente magis quàm vtili necessitate inquiratur, an si Adam & Eua malignum vicissent, proles genuissent in gratia, ita vt nullo deinceps modo præuaricari potuissent, confirmatas? Responsione negatiua est decidenda: non enim decuisset filios meliores, & perfectiores nasci, quàm ipsorum erant parentes, qui si non fuerint ita in bono confirmati, quin ab eo deflectere potuerint, certè non debuerũt filij ipsorum maiorem secum perfectionem ex natiuitate adducere, vnde beatus Augustinus: Quam fœlices (ait) erant primi homines, cùm & nullis animorum agitabantur perturbationibus, & nullis corporum lędebantur incõmodis, tam fœlix esset societas vniuersa humana, si nec illi malum, quod etiam in posteros traijceret, nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatẽ committeret, quę dãnationem

14. de Ciuit. Dei, cap. 10.

reciperet. Frustra adderet diuus Augustinus, Nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem, &c. si arbitratus fuisset, primis parentibus non peccantibus, filios eorum in iustitia confirmatos fuisse nasci turos, vt amplius peccare non potuissent. Et alibi: Donec, inquit, certo numero completo, si iustè omnes, sapienterque viuerent, tunc fieret illa commutatio, &c. Dum dicit, si omnes iustè viuerent, indicat vtique, præter primos parentes, alios etiam postea nasci turos, potuisse peccare.

Libr. 9. de Gen. cap. 3.

Libr. 1. Cur Deus homo, cap. 18.

Obiectio.

Verum his aduersatur sanctus Ancelmus, adferens argumenta, quæ multis probabilia admodum videntur: Serpens, inquit, semel vicit & ecce omnes in vniuersum facti sunt morti obnoxij, eiusque necessitati subiecti. Nónne igitur si serpentem primi parentes semel vicissent, multò magis cum omni propagine sua, vitæ, & iustitiæ quandam fœlicem necessitatem contraxissent. Hic nodus haud difficulter solui poterit, si intenta mente consideretur, facilius esse, longe eo descendere, vnde nunquam conualescas emergere, quam eo infirma explicare vestigia, vnde nunquam valeas excidere. Malum protinus vniuersa demolitur, Ad bonum autem permulta requiruntur: videmus experientia docente, vnam noctem algoribus intensam, ita vineas depascere, & fruges consumere, vt postea damnum istud plusculis diebus, ac noctibus, quamlibet grata aura incalescentibus reparari vix queat. Vnicum peccatum lethiferum, illico hominem æternæ damnationi, certò nisi maceria pœnitentiæ inserta fuerit, addicit, quem multa iustitiæ opera, non mox de æterna salute securum reddunt. Quibusdam scholasticis allegantur quædam diui Gregorij verba, in prædictam Ancelmi sententiam conspirantia, si tamen adserendo, & non potius dubitando proferantur: Si parentem primum, inquit, nulla peccati putredo corrumperet, nequaquam ex se filios gehennæ generaret, sed hi qui nunc per redemtionem saluandi sunt, soli ab illo electi nascerentur. Inferunt hinc, quod si Adam non peccasset, nemo postea deliquisset, sed omnes nati fuissent sancti, atque iustitia confirmati: Verum hoc non sequi ex verbis Gregorij, dupliciratione constat: tum quod sub parente non peccante, intelligat etiam si alij eius posteri, similiter non peccassent, prætmittit enim statim: Si per appetitum superbiæ nemo peccasset. ac proinde idem sentit cum Augustino: Tum etiam quod in verbis hisce atque etiam sacræ scripturæ illud, sit lynceis quasi oculis dispiciendum, quod ad causam obtutus mentis dirigant, quæ nunc de facto est, non quæ esse potuisset: sic in sacra pagina legitur, honora patrem tuum

Diluit obiectum.

Peccati mortalis effectus.

Lib. 4. moral. cap. 28.

Replicant quidam ex Gregorio.

Ecclesi. 7.

tuum, & gemitus matris tuæ non obliuiſcaris, memento, quoniam niſi per illos, natus non fuiſſes. Non inficiatur ſcriptura Deum non poſſe te, vt ex his, ita & ex alijs formare, ſed iam ita ſe res habet, vt natus ex iſtis parentibus exiſtas, quo debes eos honorare, ac pro parentibus ſuſpicere. Sic rectiſſimè dixerimus: Si Adam non tranſgreſſus eſſet, Deus non fuiſſet homo factus, non quin potuiſſet homo fieri, ſi filij Adæ non peccaſſent, illosque incarnatione ſua & morte (vt fecit) redimere, ſed explicamus cauſam hoc dicendo, quæ eum nunc de facto ad hoc mouit, vt homo fieret, quam non habuiſſet, ſi Adam non peccaſſet. Similiter verè dicitur: Si Heſter non liberaſſet iudæos, Aman eos omnes occidiſſet, non quin potuerint Iudæi, alio modo ſaluari, quàm Heſter induſtria, ſed hoc dicendi genere demonſtratur, quid nunc de facto ſit, quodque non fuerit alia liberationis cauſa, quàm Heſter oratio. Attendendo ergo cauſam damnationis, quæ nunc de facto eſt, rectè dicit Gregorius, quod nemo eſſet gehennæ filius, ſi Adam non peccaſſet, ſed quantum eſt ex illa cauſa, omnes recti & iuſti creati fuiſſent. Attamen non dicit Gregorius, quod non potuiſſet aliunde oriri cauſa damnationis, quàm ex peccato Adæ, neque inficiatur, Adam ipſo in rectitudine perſiſtente, filios eius poſtea peccare potuiſſe: Verum hoc iam non eſt factum. Sed oritur miſeria damnationis, ex peccato Adæ, quod ſi non fuiſſet, quæ nunc eſt cauſa damnationis, tunc non fuiſſet. Quod verò ait: Sed hi qui nunc per redemtionem ſaluati ſunt, non eſt intelligendum, de cæteris indiuiduis, tanquam ſi Adam non peccaſſet, nec Petrus, nec Paulus, ac alij, qui nunc ſaluantur, etiam tunc electi, & ſaluati fuiſſent: ſed id vult, quod quantum ad illam damnationis cauſam, quæ nunc eſt, nemo natus fuiſſet peccator, aut reprobus, ſi Adam non peccaſſet, ſed omnes & ſoli electi, vnde vocula (Qui) cùm dicit, Qui nunc per redemtionem, vſurpatur pro cuiuſmodi, hoc ſenſu, Nati fuiſſent tunc ſoli electi, quales modò ſunt, qui ſaluantur. Quoniam ſi Gregorius hoc dicere voluiſſet, quod omnes, & ſoli illi, qui nunc ſaluantur, etiam ſalui fuiſſent, ſi nemo peccaſſet, ſane hoc inter illa referendum eſſet, quæ non ſatis grauiter à Gregorio dicta ſunt. Complures nunc adulterinum ſuæ originis habent principium, qui tamen ſalutem adſequuntur: Profectò in ſtatu rectitudinis, hoc modo ſaltem non fuiſſent nati, ſi nemo peccaſſet.

Qualibus donis Adam in primo statu fuerit præditus.

CAPVT IX.

QVandoquidem in præcedentibus actum est de conditione primi hominis secundum intellectus perspicacitatem. Impræsentiarum agendum occurrit, de potestate voluntatis eius, qualeque à Deo auxilium ad bene operandum habuerit. Priori quæstioni respondet scriptura, quæ edocet Deum hominem fecisse rectum, hoc est bonæ voluntatis, qua Deo subiectus adhærebat, & qua tentanti resistere, nec non à malo declinare, ac in bono perstare poterat, teste beato Augustino, fecit, inquit, Deus hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ, non enim rectus esset, bonā non habens voluntatem. Hæc tamen rectitudo intelligi non debet, qualiter eam Magister vsurpat, quasi homo in puris naturalibus esset creatus, quemadmodum de Angelis in superioribus sensit: Motus, inquit diuus Bonauentura, hac ratione, quod Deus secundum legem communem requirat aliquod ab homine meritum, saltem congrui vt aptus sit gratiæ apponendæ. Atqui probabilior est diui Augustini sentētia, docentis primum hominem conditum esse ab exordio gratia gratum faciēte, ac charitate formatum, qua potuerat consummatam promereri fœlicitatem, teste Augustino: vbi docet nos eam iustitiam per Christum recuperare, quam per Adam perdidimus: Non tamen immortalitatem spiritalis corporis recipimus, inquit, sed iustitiam ex qua per peccatum lapsus est homo. Ex quibus Augustini locis discere promtum est, hominem in gratia factum, qua rectitudinem iustitiæ originalis obtinebat. Et præterea quod ei datum sit adiutorium præter illam gratiam gratificantem, quo perseuerare posset in rectitudine accepta, & sine quo non posset. Quale autem adiutorium hoc fuerit, difficultatem habet. D. Augustinus, nec non sanctus Thomas, tamen dicere videntur, quod habuerit auxilium quo perseuerare posset in bono si vellet, & sine quo perseuerare nequiret, etiamsi vellet, quia non talis naturā factus erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet. Verum præmissis obijci potest; homo semel percepta ambulandi potentia, non indiget alio Dei auxilio ad motum progressiuum, quamdiu talis manet, igitur à simili, primus homo qui rectus creatus fuerat, accepta bene viuendi & quibusuis tentatip-

Eccles. 7.
Rectitudo primi hominis, in quo consistebat.
De correp. & gratia, cap. 11. lib. 14. Ciuit. 11. & 27.
Magister hallucinatur.
Lib. 14. Ciuit. Dei, cap. 26. Enchir. cap. 106. Lib. 6. de Gen. ad lit. cap. 20. & 24.
Lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 12. De correpṫ. & gra. 10. & 11. 22. quæst. 137.
Obiectio.

tentationibus resistendi facultate. non egebat alio Dei auxilio ad bene viuendum. Respondendum est Pelagianos secundum, beatum Augustinum, & sanctum Hiero. tria (quibus opinabantur diuina mandata impleri) distinxisse, nimirum posse, velle, & facere. Quorum primum nempe posse, confitebantur esse à creatore naturæ, duo reliqua verò ita nostra esse falsò docebant, vt nullo modo essent Deo adscribenda. Ne tamen nihil omnino de diuino adiutorio dicere viderentur, tandem senserunt, possibilitatem illam à creatore homini datam, adiuuari non subministratione internæ virtutis, sed duntaxat ostensione veritatis, per externam legis prædicationem: preces autem hoc solum nobis præstare dicebant, vt doctrina nobis diuina reuelatione aperiatur, non vt mens hominis intus adiuuetur. Dicitur ergo ad obiectionem, quod sicut Deus non solum dat homini ambulandi facultatem, sed etiam sua prouidentia ad ambulandum virtutem intrinsecus administrando adiuuat. Ita primo homini, non tantum dedit bene viuendi facultatem, verumetiam interna virtute, vt benè viueret, adiuuabat, eo modo quo nos adhuc adiuuat, quamdiu in ipso viuimus, mouemur, & sumus, atque hoc est auxilium diuinum, quod ad benè agendum nunquam non fuit homini necessarium. Neque in animum quisquam inducere debet, quòd simul atque Deus liberum sanauit arbitrium, & iustificauit, possit tum suo Marte benè operari, Deo ipsi suppetias non ferente, sicut Chirurgus vbi tibiam curauerit vulneratã, deserit eam iam pristino vigori restitutam, sed speciale Dei auxilium vltra illam gratiam, qua sanatum fuit illud liberum arbitrium, necessarium est ipsi, non solum quo conseruetur rectitudo illa libero arbitrio concessa, verumetiam quo excitetur mens iustificati ad opus peragendum, secundum beatum Augustinum: Quemadmodum, inquit, aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate quæ febribus, facta est, conualescere: itemque aliud est infixum telum corpori abstrahere, aliud vulnus quod eo factum est: Ita prima curatio est, causam remouere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum. Secunda, ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renouatione huius imaginis. Cæterum quid discriminis sit inter auxilium quod primo homini præstitum est, & illud quod nunc electis Dei tribuitur, satis ex ipso liquet Augustino, qui duplex constituit. Prius est, quod primo homini quodammodo naturale & debitum, nobis verò in Adam delinquendo facultatem boni operis cum auxilio ad id necessario perdidimus, sicut

Responsio.

De gratia Christi, cap. 3. & 4. epistola ad Thesiphontem.

Pelagiani tria in operibus implendis constituebant.

Lib. 14. de Trini. ca. 17.

Adiutorium Adæ præstitum & electis præstandum, est diuersum.

facultas per Christum gratuitò redditur, sic & ipsum auxilium quo ad bene viuendum adiuuatur: vnde quod primordiali insitum fuit naturæ, nobis est gratiæ beneficio collatum. Altera diuersitas est quod Adæ fuerit auxilium quo stare si vellet, posset, & sine quo persistere non posset, sed non quo perpetuò inexpugnabilis esset, quia cecidit. Electi verò per Christum accipiunt auxilium non solum quo possint stare, sed etiam quo perpetua stabilitate firmentur, aduersus omnes aduersitates, ita vt à nulla queant tentatione separari immobiles. Quô nos perducat qui est benedictus in secula. Amen.

DISTINCTIO

VIGESIMA PRIMA.

De natura & conditione serpentis.

CAPVT I.

CVm primis hic ex sacris eloquijs constitutum sit oportet, diabolum humani generis deceptorem fuisse, quòd dignitate & potestate illegitima antecellere concupiuit, cuius etiam gloriæ, quando votis potiri nequiuit, inuidere cœpit. Inuidia, inquit Sapiens, diaboli, mors intrauit in orbem terrarum. Et magnus quidam Theologus, Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia mendax est, & pater seu primus author mendacij: primum enim mendacium omnium ponitur libro primo Moyseos, non moriemini: & Apostolus, Timeo ne sicut serpens seduxit Euam. Serpens, inquam, qui in Apocalypsi proiectus legitur, quique eo loci appellatur draco magnus, serpens antiquus, & diabolus. Origenes autem suis allegorijs intentus, pernegat fuisse diabolum, qui Euam seduxit. Quoniam, inquit, non erat diabolus in Paradiso, siquidem ipse Paradisi nomine cælum comminiscebatur: quare per serpentem internam intelligebat delectationem. Ad easdem Origenis allegorias referendi sunt, quidam Neoterici intelligentes sanctum Moysen non de serpente animali loquutum, sed mala illiciti motus cogitatione, qua etiamnum prauas cogitationes suggerit, hominem esse circunscriptum, nam alioquin inquiunt,

Sapien. 2.

Ioannis 8.

Cap. 3.

2. Cor. 12.

Cap. 12.

Primum mendacium in mundo.

Serpens quid Origeni.

quiunt, cum Iuliano apoſtata, quo ideomate loquebatur ſerpens? Verum econtra Solis luce clarius ſcriptura demonſtrat, propriè & ad literam, de corporali ſerpente ſermonem eſſe: dicitur enim quod callidior fuit cunctis animantibus terræ: hoc eſt, beſtijs terræ. Si iam nomine ſerpentis diabolum malámve cogitationem propriè non ipſam intelligeret beſtiam, vtique non cum beſtijs ſed cum hominibus comparare debuiſſet, dicendo ipſum callidiorem fuiſſe cunctis hominibus. Deinde ſerpens à Deo corporali maledictione damnatur, quam etiam hodie omnes corporaliter in ſerpentibus videmus impleri. Et ſane in terreſtribus ipſis ſerpentibus euidens admodum habemus teſtimonium, quod per ipſos nos diabolus primitus deceperit, cum nunc in nulla terræ animantia tantam habeat poteſtatem, vt in ſerpentes, quemadmodum edocet diuus Auguſtinus, qui carminibus, incantationibusque maleficorum, magis commouentur, quam vllum aliud animantium genus, quod permiſſu Dei fieri non dubium eſt, ad commendandam primi facti memoriam, quòd ſit illis quædam cum hoc genere familiaritas. Hoc quoque modo permittitur ſathan magis fœminas tentare, quam viros, & plus in eas habere poteſtatis, in pœnam primi peccati Euæ, atque ad illius commendandam facti memoriam. Vnde plures longè reperiuntur maleficæ quàm malefici, incantatrices quàm incantatores. Vtrumque ergo confitendum eſt, & quòd ad diabolum propriè referenda ſit generis humani deceptio, & quòd corporalis ſerpens (quo vſus eſt tanquam inſtrumento, ſicut iam Phythoniſſis & maleficis) proprie Adam circumuenerit. Profecto Moyſen intelligunt de vero & corporali ſerpente: diuus Ioannes Chryſoſtomus, Epiphanius de hæreſi Ophitarum, Baſilius, Cyrillus, & Auguſtinus. Quod autem legitur callidior fuiſſe cunctis animantibus, duplicem recipit elucidationem. Prior eſt, ipſum animal naturali quadam prudentia reliquis præſtitiſſe, ſicuti nunc vulpes, cætera ſua vafricie facilè ſuperat. Vnde Chriſtus in Euangelio iubet, nos imitari ſerpentinam prudentiam, Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, hanc naturalem ſerpentum calliditatem, potiſſimum in duobus conſiſtere demonſtrat Epiphanius hæreſi Ophitarum, Simul atque alios enim ſibi inſidias tendere aduertunt, diligentiſſimè ante omnia caput muniunt, quod præcipua ipſorum virtus in illo lateat, deinde cum ſitiunt ac bibere concupiſcunt, omne euomũt virus, vt puriorem laticem hauriant, idem reſumturi.

Fœminæ quare magis maleficæ & ſæpius quàm viri.

Homil. 16. & 17. in Gē.

Hæreſ. 37.

Homil. 9. Hexame.

Lib. 3. cont. Iulian.

Lib. 14. ciuit. cap. 11. & 11. de Gen. ad lit. cap. 2.

Matt. 10.

Callidior cũctis animantibus, exponitur.

Serpentũ calliditas eſt in duobus.

Altero potest intelligi modo, callidior fuisse cunctis animantibus terræ, non ratione ingenitæ vafriciei, sed operatione diaboli, eo siquidem diabolus ceu instrumento quodam vtebatur. Priorem harum expositionum reperire promtum est apud Chrysostomum, in Genesim, & Authorem quæstionum veteris ac noui testamenti, apud Augustinum. Vtramque autem simul ponit beatus Augustinus, Translato, inquit, verbo dictum est, prudentissimus, vel sicut plures Latini codices habent, sapientissimus, non propria, qua in bonum accipi solet sapientia, vel Dei, angelorum, vel animæ rationalis, tanquam si sapientes etiam apes formicasque dicamus, propter opera velut sapientiam imitantia. Quanquam iste serpens non irrationali anima sua, sed alieno iam spiritu, id est, diabolico possit sapientissimus dici omnium bestiarum, &c. His prolixius verba Augustini inseruntur, quia Magister ea §. B. distinctionis 21. confuse inordinateque ponit, nam illud, Quamuis in Mgistro, quamuis serpens non rationali anima (sic enim ipse legit) non habet, in antecedentibus cui opponatur aut respondeat: quare ita legendum videtur, Sapiens dicitur serpens, tanquam si sapientes etiam apes, formicasque dicamus, propter opera, velut sapientiam imitantia. Quamuis serpens iste, &c. Glossa ordinaria ex qua plurima solet Magister allegare testimonia, eodem modo verba Augustini citat, quo in ipso habentur, demto, quod pro irrationali anima, cum Magistro legat rationali anima, cum tamen lectio Augustiniana, videatur rationi magis consentanea.

Quæst. 31.

11. De Ge. ad literam, ca. 2.

Magister exponitur, & emendatur.

De loquutione serpentis.

CAPVT II.

CAlumniatur Iulianus apostata, Christianos vanitate delusos, ac falsitate deceptos, quando confitentur serpentem mulieri fuisse loquutum. Cui perpulere respondet Cyrillus, libro tertio tomi tertij ad eundem, edocens dæmones frequenter apud Gentiles per animalia bruta fuisse loquutos: nam Homerus affirmat Achillis equum cui Xàtho nomen, prædixisse illi mortem, dixisseque heroem, Xanthe quid mihi mortem prædicis? Minimeque negligens fuit, ne videretur fallere, dicit enim quod loqui fecerit Dea albis brachijs. Imò & Porphyrius calumniarum in Christianos pater à Cyrillo appellatus,

Equus loquitur.

Serpens Hebræo idiomate vsus est.

pellatus, vitam Pythagoræ deſcribens, dicit flumen Cauſum omnibus audientibus ei loquutum, Salue Pytagora. Philoſtratus quoq; narrat Appollonium in ſommis finibus Thebanorum in ipſos fluminis incidiſſe ſtrepitus, veniſſeque ad Gymnoſophiſtas illic degentes, qui in arte magica præcipui erant, deinde commemorat præfectum vniuerſis, cui nomen erat Theſheſiωn dixiſſe ad Appollonium, huiuſmodi vocibus poſſumus arbori præcipere, vt ſapientem alloquatur Appollonium, & alloquuta eſt arbor illa, ſicut iuſſa erat, vox verò erat articulata ac muliebris, ſic Dodonæa quercus humana voce vſa fuit. Quin & Iſigonus Cittienſis, in Rhodo inſula, dicit Iouis taurum ſermonis noſtri non fuiſſe expertem. Excitabant enim dæmones eiuſmodi ſalutationis ſonitum, circa aquas, arborem, & linguas pecudum. itaque mouebant, vt quædam articulata ederent verba. Sicuti dicit Magiſter eos loqui per energumenos, & dæmonio obſeſſos, neſcientes ipſos quid effutiant: Non enim diabolus facit eos, ex intellectus ratione & diſcretionis dictamine loqui, ſecundum beatum Auguſtinum, ſed vtitur lingua & ore ipſorum, non aliter quàm ſi per fiſtulam quis articulatam vocem edere poſſet, quæ nullam dictorum verborum habet intelligentiam, loquebatur ergo vt aſina Baal, niſi quod hæc angelico, ille loquebatur dæmonum miniſterio, Ad ſepes Paradiſi fortè vt blandis quibuſdam verborum illecebris demulcendo imponeret: Boni ſiquidem & mali angeli ſimiliter operantur, in his quæ naturaliter poſſunt, quando à Deo non impediuntur. Nec mulier expauit bruti linguam eſſe diſertam, quia ſecundum Cyrillum vbi ſupra, mulier quaſi mollis aër, impendio ſimplex, exiſtimabat fortaſſe & alijs animantibus datum eſſe humana voce loqui poſſe. Atqui contra hanc militare videtur ſententiam, quod mulier in illo ſtatu nullum habuerit in rebus gerendis, errorem, vt qui pœna ſit peccati, teſte Auguſtino. Huic reſpondet diuus Thomas, mulierem exiſtimaſſe, ſerpentem accepiſſe loquendi officium, non naturaliter quidem, ſed ex aliqua ſupernaturali operatione, quod videlicet aliquis ſuperioris naturæ vel malus vel bonus angelus per eum loquebatur, quomodo etiam prælibata Cyrilli verba ſunt interpretanda. Poſſumus & alio euadere modo, vt dicamus hanc mulieris opinionem, qua rebatur ſerpentem organa vocis articulatæ à Deo accepiſſe, non fuiſſe verum & aſſertiuum iudicium, ſed cogitatio fuit potius quædam ſuſpendens iudicium, tanquam apud ſe cogitaſſet, &

hocq; nomina impoſuit animalibus Adam.

Fluuius loquitur.

Loquitur arbor.

Loquitur quercus Dodonea.

Loquitur Taurus.

11. de Ge. ad lit cap. 27. & 29.

Loquitur Aſina.

Mulier dicitur mollis aër, & quare non expauit.

Obiectio.

Lib. 3. de lib. arbit. cap. 15.

1. Parte quæſt. 94. art. 4.

Reſolutio.

ligunt: Quid eſt quod exiſtimetis Deum vobis alicuius ligni eſum interdixiſte, cur tam ſimplices eſtis & obtuſi? Nonne intelligitis perinde eſſe Deo, ſiue de hac ſiue de illa arbore fructus decerpatis, non eſt adeò Deus deſipiens, vt veſtra parſimonia oblectetur, qui cuncta vſui veſtro conceſſit. Quamobrem audacter veſcamini de cunctis fructibus arborum, etiam ſcientiæ boni & mali. Hiſce Mæandris filij antiqui huius ſerpentis etiamnum ſimplices circumueniunt, dicentes, Quare vobis præceptum eſt ieiunare, cælibem vitam agere, &c. quum Deus hiſce non delectetur. In omni ſtatu Deo ſeruitur, ſiue continentiam ſerueris, ſiue coniugium ineatis æque Deo gratum eſt, inquiunt. Huic interpretationi fauere videtur Caldaica tranſlatio, quæ ſic habet, Verum ne eſt, quod Deus dixit vt non comederetis de omni arbore Paradiſi? & Sanctis Pagnini, Verè dixit Deus, non comederetis ex omni ligno horti: Quaſi dicat, non dixit in veritate, non inducatis in animum hoc vobis præceptum. Et quod poſtea dixit ſerpens, Scit enim Deus, quia in quocunque, &c. comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, iuxta hunc ſenſum, non dicit, tanquam Deo velit inuidiæ notam inurere, ſed eum quaſi laudando, & per eum iurando, Scit enim Deus, hoc eſt, inquit, per Deum iuro, vtiliſſimum vobis fore huius arboris fructum. Quanquam autem non offendatur hæc expoſitio priſcis patribus familiaris, non tamen videtur à vero aliena, præſertim cum Apoſtolus ſeductionem mulieris, qua à ſerpente ſeducta eſt, illi comparet ſeductioni, qua hæretici & pſeudo Apoſtoli, Chriſti fideles ſeducunt: Timeo, inquit, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri & excidant, &c. & ſubdit, Ipſe etenim ſathanas transfigurat ſe in angelum lucis. Videtur ergo hoc inſinuare Apoſtolus, dum in ſerpente dominam alloqueretur, tanquam angelum lucis fuiſſe loquutum, Si namque dixiſſet Deum eſſe malum & malignum, humanamque fœlicitatem impedire velle, non hoc fuiſſet angelum lucis ſe ſimulare, ſed aperta blaſphemia Dei gloriæ derogare: veriſimilius ergo apparet, ita mulierem cum ſerpente egiſſe, quemadmodum hodie hæretici cum Chriſtianis agunt, ſub prætextu libertatis Euangelicæ, diabolicam ſeruitutem prædicantes: quod nunquam verius, eheu, quam hodie impleri dolemus.

Altera expoſitio.

Serpentini ſtibli huius tēpeſtatis.

2. Cor. 11.

De dubita-

De dubitatione mulieris.

CAPVT IIII.

IVxta quorundam ſententiam, videtur primum mulieris peccatum fuiſſe dubitatio de verbis Dei, vera ne eſſent, nec ne, quod indubiè ad infidelitatis ſpeciem pertinere videtur. At diuus Auguſtinus primum omnium peccatum dicit fuiſſe ſuperbiam. quod profectò ſcriptura illa apertè innuit: Initium
Eccleſ. 10. omnis peccati ſuperbia. Ac proinde non videtur verum eſſe, mulierem primum de veritate Diuinæ ſententiæ dubitando de-
1. part. quæſt. 89. art. 3. ad. 2. liquiſſe, hinc diuus Thomas, vt & hanc mulieris dubitationem, quam arbitratur ſignificari in dictione, fortè, (Ne fortè moriamur) defenderet, & nihilominus ſcripturam ſaluaret, dicentem, Initium omnis peccati eſſe ſuperbiam, ait elationem hanc primitus conceptam eſſe in animo mulieris, ſtatim ad nominationem præcepti, quando Serpens dixit, Cur præcepit vobis Deus, tanquam mulier ibi audiens præceptum, noluerit illo concludi, vtpote iniquè ſibi præſcripto. Verum hoc non videtur conſonum, vt ad illa Serpentis verba, mox faſtu quodam peccarit, antequam diceret, Ne fortè moriamur: Nam ſcriptura peccatum vtriuſque eò referre videtur, quod eſſe voluerint, ſicut dij ſcientes bonum & malum, illo ſcilicet ſerpentis verbo decepti, quod poſtea protulit, Eritis ſicut dij. Sed non videtur dictio (fortè) in verbis mulieris eſſe dubitantis de verbo Dei, ſiquidem ſubinde ſimili loquendi formula vtimur, non dubitationis gra-
Cap. 3. tia, ſed elegantiæ cauſa, quemadmodum eodem illo Geneſeos
Actor. 8. capite. Deus dicit, Ne forte mittat manum ſuam, &c. Et Petrus, Age pœnitentiam, ſi fortè remittatur tibi hæc nequitia, non ambigens, quin eſſet remittenda nequitia, ſi debita reſipiſcentiæ præberet argumenta. Detur autem quod ſit dubitantis, non tamen neceſſariò deſignat dubitationem de verbis Diuinis, aut eorum veritate, ſed de euentu. vt ſenſus ſit, Ne fortè moriamur: Ne ſi comederimus, fortè moriamur. Non enim dubitant, an verè morituri eſſent, ſi comediſſent, ſed an comeſturi eſſent, nec ne? Quemadmodum nemo dubitat, quoniam ſi perſeuerauerit vſque in finem, ſaluabitur, ſed an verè perſeueraturus ſit, ambigere licet. Vnde ſalua prædictorum reuerentia, nempe Hugonis, & Magiſtri, videtur mulier ſimpliciter, & ſyncerè Diuinum retuliſſe preceptum, nec ibi peccaſſe, de verborum Diuino-
Homil. 16. in Gen. rum veritate ambigendo. Atqui alia difficultas emergit ex Chryſoſtomo & Ambroſio. Ille reprehendit mulierem, quod

non mox

non mox serpentem sit auersata, cùm falsa proponeret, & quòd
tam diu, tãquam familiariter cum eo sermonem misceret, con-
tra illud, Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Denique 1.Corin.15.
quod præceptum Diuinum illa reuelarit, contra illud, Nolite Matth.7.
proijcere margaritas ante porcos, & sanctum dare canibus, quo
liquidò constat, mulierem in ipso primo cum serpente con-
gressu peccasse. Hic mulierem culpat, quod non syncerè recita- *Cap. 12. de*
uerit Diuinum præceptum, sed aliquid de suo adiecerit, illud ni- *Parad.*
mirum, ne tangeremus, Neque enim illis præceptum erat, ne ar-
borem illam tangerent, sed ne de illius fructu gustarent. Hic *Tripliciter in*
respondendum est, quod duo præmissi doctores hæc dixisse vi- *scripturam*
deantur, non tam propter mulierem ipsam, in integro statu, *peccatur. ma-*
quàm ad nos instruendos, quales nunc post lapsum sumus na- *lè intelligẽdo,*
tura ad malum propensi: Periculosum nobis admodum est. pra- *mutando, &*
ua non refugere colloquia, quòd illis haud difficulter seduca- *addendo.*
mur. Nobis etiam non licet margaritas ante porcos spargere:
Si autem in primordiali essemus statu, non magnum nobis im-
penderet discrimen, si hæc faceremus. Quinimò perfectissimi
quidam possunt citra peccati maculam, ex euidenti causa, praua
hereticorum colloquia, sermones, & disputationes sine vllo au-
dire periculo. Paucis ergo ad Chrysostomum & Ambrosium
dicendum, idcirco eos reprehendere mulierem, quod nec infir-
morum cautela vsa fuerit, nec constantiam fortium seruarit:
Infirmi colloquia mala confestim repellere debent, fortes prauis
sermonibus non debent seduci, se validum cum vigili hoste fa-
cere conflictum. Si ergo Eua noluerit vti remedio infirmorum,
debebat saltem fortitudine quam habebat, falsos serpentis ser-
mones exibilare. Et quia neutrum fecit, sed tandem se à serpente
seduci, in quo peccauit, permisit: Domine Iesu facias nobis in
omni tentatione, ne succumbamus, prouentum. Amen.

De modo tentationis Sathanæ.

CAPVT V.

Aduertendum est varias esse tentationum diuisiones, di-
uiditur enim tentatio secundum modum vitiorum, à
beato Augustino, quæ diuisio nostrum propositum non Psalm.106.
concernit. Magister autem quod ad hunc locum attinet, diui-
dit tentationem secundum statum ante lapsum & post lapsum,
in tentationem exteriorem, & interiorem. Exteriorem vocans, *Tentatio du-*
quando alicui exterius visibiliter malum suggeritur aut consu- *plex.*
litur, vt quãdo hæretici blandis verborum illecebris demulcere *Exterior.*
animos

animos simplicium nitũtur, suamq; inescando hæresim persuadere, quando obscæna & impudica corã casto proferũtur verba, quando formosa comtę mulieris facies, aut fucata larua obijcitur, hæc siquidem tentatio non solum verbis, sed & qualitatibus, & corporis gestibus fieri solet. Interior autem tentatio ab ipso appellatur, quando nobis inuisibiliter intrinsecus malum suggeritur, vt quando nemo externo aliquo signo ad peccatum nos inuitat, sentimus interim nos internus ad peccatum moueri & prouocari: Atque hæc tentatio interdum, inquit Magister, fit ab hoste, vel ab externo aduersario, vt quando dæmon aliquis imaginationem nostram commouet, vt mali quippiam cogitemus, quando sensitiuum appetitum nostrũ inuisibiliter tentat, vt impudicum nobis aliquid occurrat. Aliquando autem hæc cogitatio ex nobisipsis accidit, nullo externo hoste exterius visibiliter vel inuisibiliter nos tentante, sed ex memoria præteritæ delectationis in peccato, oritur nobis quidãm motus, cum delectatione quapiam ad idem peccatum perpetrandum. Sumsit autem Magister hanc tentationis diuisionem ex diuo Gregorio: sciendum nobis est, inquit, quia tribus modis tẽtatio agitur, suggestione, delectatione, & consensu. Et nos cum tentamur, plerumque in delectationem aut etiam in consensum labimur, quia de carnis peccato propagati, in nobisipsis etiam gerimus, vnde certamina toleramus: Deus vero qui in vtero virginis incarnatus, in mundum sine peccato venerat, nil contradictionis in semetipso tolerabat, tentari ergo per externam suggestionem potuit, sed eius mentem peccati delectatio non momordit, atque ideo omnis illa diabolica tentatio, foris non intus fuit, hæc ille, cui assentitur beatus, pluribus locis, Augustinus. Homo igitur illo primordiali integritatis statu, sicut nec Christus, potuerunt interiori tentatione, nec à carne nec ab hoste tentari, sed exteriori duntaxat, non à carne, quia illa in eis non rebellauit spiritui, nec etiam ab hoste, quia imaginatio illorum ab hoste moueri non poterat, ob id quod nihil penitus illa cogitauerit, nisi ab imperio rationis mota & deliberato voluntatis iudicio concepta, ratio autem nil nisi bona Deoque placentia proponebat, at nos possumus etiamnum exteriori tentatione pariter & interiori tentari, qua Christus & primus homo tentari non potuere: præbetur siquidem nobis interior tentatio, & ab hoste diabolo & à nobisipsis. Neque enim inferior ratio & imaginatio subiecta est rationi superiori, vt non semper vacet cogitandis & apprehendendis illis, quæ ratio superior proponit. Prætcrea etiam.

Tentatio interior.

Ex tribus oritur interior tentatio.

Homil. 16.

Lib. 1. Ser. Domini in mont. ser. 44. de verbis Domini, & lib. 2. de Genes. con. Mani. cap. 14.

etiamsi interdum vult ratio boni quippiam proponere, vel decernere, impeditur & excæcatur à passione. Notandum verò & illud est, quod Magister asserat tentationem hanc inreriorem, in nobis aliquando fieri ab hoste, aliquando à carne, vt intelligatur non vniuersa peccata, quæ homines committunt ex immediata suggestione diaboli; verumetiam frequenter ex sola nostri ipsius corruptione prouenire. Licet enim diabolo interdum omnia adscribantur, hoc ideo fit, quia cuncta ex praua nostra concupiscentia scaturiunt, quæ primum ex diaboli tentatione & suggestione nata est atque progenita. Vnde si prima origo consideretur, rectè vniuersa in diabolum referuntur: at quando concupiscentiam illam prauam in nobis habemus, nobisipsis nocemus, interdum absque noua diaboli operatione. Nouit enim concupiscentia illa, nullo hoste etiam concitata, prauos motus excitare, & hominem ad peccatum pellicere. Vigilat tamen semper ipse sathan, vt vel primus ipse hominem tentet, vel si à seipso hominem tentari aduertit, progressus maiores promouet rei inceptæ quantum valet: vnde Apostolus scitè dixit, Colluctationem nobis esse aduersus principes & potestates aëris. Interior autem hæc tentatio longè difficilius quam exterior superatur, Nam id quod in nobis gerimus, aduersus nosipsos roboratur: difficile est enim suppetias illi ferre, qui hostem adiuuat suum, & arma quibus ab eo oppugnetur subministrat. Quod si intus non essemus mali, & proclines ad peccatum, haud facilè ab externa dæmonum, aut malorum hominum tentatione vinceremur. Si intus in fide catholica benè es fundatus, altioresque iecerit in corde radices, difficulter hæreticorum argutijs seduci poteris. Si intus non es auaritiæ facibus incensus, non te auri spes ad illicitum aliquid prouocabit. Si castus es & mundo corde, non curabis obscæna verba garrientes, nec te facile mouebit ad illicitum inordinati amoris actum, species mulieris. Quod mihi & omnibus nobis concedat, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Non omnia peccata ex tentatione diaboli.

Tentatio interior est periculosior.

De maledictione serpentis.

CAPVT VI.

HAud vulgaris videtur labyrinthus, maledictionis gladius vibrãdus sit ne, in serpentẽ, an diabolũ, vel simul vtrunque? Profectò secundũ Ephiphaniũ in hęresi Ophitarum, Chrysosto-

Chryſoſtomum in Geneſim, & Baſilium, fertur maledictio illa ſecundum literalem ſenſum, in vtrunque pariter, in ſerpentem corporalem, & diabolum antiquum illum ſerpentem, vt ſenſus ſit mixtus, quales complures in ſacris offenduntur eloquijs, verbi gratia zelus domus tuæ comedit me. Secundum literalem ſenſum, de vtraque domo Dei, corporali & ſpirituali eſt intelligendum. Euangeliſta namque hanc ſcripturam allegat de templo Hieroſolymitano, cùm tamen indubitatum ſit, vatem agere de Eccleſia & populo Dei: Igitur huius ſcripturæ hic eſt ſenſus, Ego in cruce conſumtus ſum ab impijs, propter zelum, quem erga populum tuum habui, quemadmodum etiam mihi occaſio mortis fuit zelus, quem erga corporalem & lapideam domum tuam in Hieruſalem habui. Ita cùm dicitur: Domus mea domus orationis vocabitur, &c. non eſt ſenſus, Omnes gentes orationis ergô, ad templum Salomonis, Hieroſolymam eſſe venturos, hoc enim nunquam fiet, & tamen Euangeliſtæ, hanc ſcripturam, templo Hieroſolymitano adaptant: ſed hic eſt plenus ſenſus: In Eccleſia orabunt, & me colent omnes gentes, ſicut templum Hieroſolymitanum, eſt Diuino cultui & orationi dicatum. Rurſum in Eſaia legitur: Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: Quod Matthæus de corporalibus huius vitæ morbis, & infirmitatibus intelligit, cùm tamen potiſſimum in Eſaia de doloribus futuri ſæculi, qui nobis pro peccatis debentur, agatur. Perfectus ergo ſcripturæ ſenſus eſt: Ita Chriſtus futuri ſæculi dolores æternos, per mortem ſuam abſtulit, ſicut in hoc ſæculo corporales hominum infirmitates ſanauit. Quemadmodum ergo in iſtis & ſimilibus ſcripturis, mixtus eſt literalis ſenſus, ita in præſenti negotio, & ſerpens corporalis, & qui per eum deſignatur diabolus, vna maledictione damnantur: tanquam Dominus diceret: Quemadmodum corporalis ſerpens, quia in hoc peſſimo opere inſtrumentum fuiſti diaboli, à me malediceris: ita tu diabole qui opus hoc miniſterio ſerpẽtis feciſti, à me damnaris. At nunc conſideranda ſunt maledictionis verba, & quia corporalia, ſpiritualibus ſunt nobis notiora, declaranda eſt in primis maledictio, inquantum intelligitur de corporali ſerpente. Verum hîc obijci poteſt, Serpens non offendit, ergo abſque ratione luere cogitur: quid enim potuit brutum animal, quod eo diabolus ad nequitiam ſuam, tanquam organo vſus ſit, fatendum eſt indubiè, hic nullam conſtituendam eſſe culpam ſerpentis: Sed notandum, beſtias omnes, & cuncta inanimata, quia hominum vſui & vtilitati deputata ſunt, debere vſui hominis ſine vlla iniuſtitiæ

Ioan. 2. — Eſaiæ 53. — Matth. 4. — *Obiectio.* — *Reſponſio.*

rationę

ratione aptari, siue hoc sit in bonum bestiarum, siue non. Vnde ad significandum, quantopere Deus diligat hominem, iubet in lege bouem, qui cornibus aliquem occiderit, interfici: cùm tamen hæc faciendo bos non peccarit. Et alibi præcipitur, vt vbi pecus horrendo congressu hominem cognouerit, vel cognitum sit, interficiatur, vt demonstret Deus, quantum detestetur hoc scelus, cùm tamen in pecore nulla fuerit culpa. Tali ergo ratione debuit etiam serpens maledici, vt homo Diuinam in serpente maledictionem agnoscens, sui admoneatur peccati, & primi lapsus, propter quem illata est. Sed quorsum Deus loquutus est, corporali serpenti, non intelligenti quicquam eorum, quæ ad se dicebantur? Respondendum est, non propter non intelligentem serpentem ipsum, sed propter astantes & audientes Adam & Euam, hoc fecisse; quemadmodum Christus alloquutus est irrationale mare, dicens, Tace, obmutesce: & comminatus est ventis, vtique propter adstantes, qui cùm hoc audirent, admirabundi dixerunt: Quis est hic, quia venti & mare obediunt ei? Et quando mortuis dixit, Adolescens, tibi dico, surge, vel Tabita cumi, vel Lazare veni foras, non audierunt mortui directum ad se sermonem, sed astantes magno cum fructu auribus perceperunt. Et tamen licet mare, venti, mortui, vocem Christi non intellexerint, ipsa tamen illa loquutio, suum habuit in rebus, ad quas directa fuit effectum, perinde atque verborum capaces fuissent: Vnde mare protinus ad Christi vocem obmutuit, vêti sæuire desierunt, mortui vitales auras carpere cœperunt. Eundem ad modum serpens in se maledictionem habuit, quam illi Deus alloquendo inflixit. Ait ergo, maledictus, hoc est, contemtus, miser, & vilis es, inter omnia animantia, & bestias terræ, & explicans per partes maledictionem, subdit: super pectus tuum gradieris. Alia enim omnia animantia, aut pedibus ambulant, aut saltitant, aut volant. Quæritur ergo, An serpens ante peccatum hominis, aliter gradiebatur, quàm super pectus suum? Author quæstionum noui & veteris testamenti, dicit serpentem in eo quod factus est, iussum esse permanere. At quomodo hoc ad peculiarem eius maledictionem pertinet. Probabilius sentiunt, Chrysostomus & Basilius, in Homil. de Paradiso, dicentes, serpentem in prima institutione, alium & longè nobiliorem gradiendi modum habuisse. Dicit siquidem Basilius, quod ante erectus erat, pedibus sublimis, vt Diuina ei maledictio pedes ademerit. Non quod sentiat habuisse prius faciem ad cælum erectam, aut virgineam habuisse superius formam, vti Dionysius Carthusianus super Genesim, citat quosdã sentire, quod

Bos occidendo non peccat, tamen occiditur.
Leuit. 20.
Serpens quare punitur?
Christi sermo est efficax.
Genes. 3.
Explicat maledictionis seriem.
Quæst. 31.
Serpens qualiter ambulabat ante deceptionem.
Serpens quali forma.

hactenus non memini legiſſe me, hoc enim ex prima inſtitutione, ſoli rationali creaturæ, vt os ſublime haberet, conceſſum eſt: Sed quod erectis pedibus fuit, vt canes, oues, equi, & eius generis alia. Imperat ergo vt aliam figuram formationis habeat, & ſuper terram repat. Sic Chryſoſtomus. Beda ſuper Geneſim, recitat quidem hoc quod Baſilius, attamen non audet ſicut nec ego affirmare: potuit enim prius ſerpens erecto, & non terræ affixo pectore mouere ſe, & repere ſuper caudam, aut poſteriorem corporis partem, vel potuit ſe de loco in locum ſubſiliendo mouere, quemadmodum vermes, qui ex caſeo oriuntur. Nec mirum videri debet, quod in ſignum, ac pœnam peccati hominis, natura ſerpentis hoc modo mutata ſit, cum totius vniuerſi cœli & terræ, natura mutata ſit, & homines naſcantur, non raro cæci, claudi, mutili, &c. Ita olim propter peccata Iudæorum, maledicta eſt terra Chanaan, & propter peccata Zodomitarum & Gomorrheorum, terra illa olim fœcundiſſima, & amœniſſima, Diuina maledictione talis effecta eſt, vt nunc mare Aſphalticum appelletur. Sequitur: Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Antea ſerpentes veſcebantur herbis, aliorum more animantium: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, &c. ait Deus, Herbæ autem vtpote animam vegetatiuam habentes, longè ipſa tellure ſunt nobiliores. Subnectit, Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius. Ipſum conteret caput tuum, &c. Iſtud ad literam videmus impletum, Omnes ſiquidem ſerpentes calcaneo hominis inſidiantur, vt ſuo ipſum toxico inficiant, quod ante cum herbis ſalubribus veſceretur, non habuit, ſed poſtea: quo nunc hominibus nocere ſatagit, ex terra hauſit, homines econtrario tam magnos, quàm paruos exhorreſcunt ſerpentes, illoſque peremtos ac contritos cupiunt, magis quàm alterius ſpeciei beſtias. Rupertus inſignis abbas Tuicienſis, commemorat exploratum, quod mulier, etſi non ſemper actu, tamen ſemper poteſtate quadam, conterat caput ſerpentis, nam ſi nuda mulieris planta dentem ſerpentis præuenerit, & viuaciſſimum eius caput, vel leuiter preſſerit, ſtatim totum cum capite, corpus emoritur, quod nec malleis, nec gladijs, facilè fieri poſſet. Ipſum, inquit, conteret caput tuum, Quam ſententiam, cùm duæ præcedant dictiones in textu Hebraico, quarum vna eſt iſſa, id eſt, mulier, quæ eſt fœminini generis, altera autem ſara, id eſt, ſemen, quæ eſt maſculini generis, haud incongruè huic immediate annectitur pronomen (hu) quod eſt eiuſdem ſignifi-

Geneſ. 1.

Libr. 3. ſuper Gen. cap. 20.

Mira mulie- bris plantæ efficacia.

Ipſum conteret caput tuũ, exponitur.

significationis, atque dictio (ipse) apud Latinos, quod rectè ad semen refertur, si namque mulierem intelligere voluisset, non (Hu) sed (Hi) in fœminino genere, pronomen constituendo dixisset, quanquam facilis sit transitus vnius literæ Iod, ad vau, cum sola protractione & quantitate discernantur. Vnde haud difficulter, quis suspicari posset incuria impressorum, vnam dictionem alterius loco positam, nisi ipsum verbum iasub, masculini generis, aliud insinuaret. Istud confirmant 70. qui sic habent, ἀυτός σȣ τυρήσει κεφαλὴν, quos cùm non illibenter imitetur diuus Hieronymus, verisimile est ipsum legisse (hu) licet moderna exemplaria ferè habeant, hi, vt ita legatur, Ipsa conteret caput tuum: verum, esse mendosa, vel ex Hebraicis eius quæstionibus euadere potest manifestum: nec alius intelligitur pronomine hu, quàm ille, in quo benedicendæ erant omnes gentes, qui est Christus in æternum benedictus. Si autem legatur Ipsa, vt accipiatur de gloriosa virgine Maria, quemadmodum canit Ecclesia Catholica, in celebri illa Antiphona, Aue præclarum vas, &c. vbi sequitur, Quæ contriuisti caput serpentis, Nullo modò intelligendum est hoc, quasi Maria diabolum vicerit, aut chirographum decreti abstulerit, absit vt tale quid, puræ attribuatur creaturæ, quæ sicut non est creatrix, ita nec saluatrix. Nihilominus optimè cantare, ita consueuit sancta Ecclesia, sed sensum, quem reperire licet apud beatum Augustinum, & sanctum Bernardum: Quia si vir ceciderit per fœminam, iustum est, vt fœmina vir iterum erigatur, etsi per fœminæ corruptionem sit morbus ingressus, per fœminæ integritatem incolumitati pristinæ restituatur, ipsaque pro matre respondeat, ipsa matris opprobrium auferat, & patri pro matre satisfaciat, sed per filium, quem optimis fratris indumentis, id est, mundissimo carnis humanæ velamento instar Rebeccæ patriarchæ Iacob exhibuit; Nam Maria, teste beato Ambrosio, Christum tinctis vestibus & rubricatis in ara crucis decoratum, Patri cælesti obtulit, ac præsentauit, atque adeò exaudita fuit pro filij, & sua reuerentia, vt Pater cælestis, secundum diuum Bernardum, nihil nos habere voluerit, quod non per manus Mariæ transierit. Iam obiter est adnotandum, quomodo præfata maledictio diabolo competat, maledictus es inter omnia, &c. quia nulla animãtia cecidere de cælo, nec æternis gehennæ ignibus sunt destinata, etsi de animantibus intelligamus, peccatores etiã hos in inferno facilè superabit. Nomine pectoris signatur superbia, quia ibi dominatur impetus animi: nomine autem

Genes. 22. Galat. 3.

Maria quomodo contriuit caput serpentis?

Libr. 1. doct. Christianæ, cap. 14. Ser. 2. super miss.

Mariæ prærogatiua.

Epistola ad Vercellensem Ecclesiã, quæ est num. 80. Ser. 2. in natali Domini.

ventris licet in Hæbreo non habeatur, carnale desiderium indicatur, quia his serpit ad eos quos decipere intendit. Terram cōmedes, id est, tibi similes carni & terrenis rebus addictos, decipies, Inimicitias ponam inter te, &c. Cuius sensum ex prælibatis quisque facilè didicerit.

DISTINCTIO

VIGESIMA SECVNDA.

Adam an crediderit & voluerit quod mulier?

CAPVT I.

TRia Euæ versipellis pollicitus est, quibus vana, imò falsa spe illam lactauit, ac miserabiliter circunscripsit. Non moriemini, inquit, Eritis sicut Dij, & scietis bonum & malum. Quæ omnia procedunt secundum illam expositionem verborum serpentis, qua putatur Deum accusasse inuidentiæ: quæ sanè expositio non est necessario recipienda, sed præferendum est Serpentem, illa protulisse, non apertè Deum inuidum, aut malignum dicendo, sed potius laudando, iuxta Apostolum Paulum, Ac proinde ex illa interpretatione, quam Magister §. D. præsupponit, non efficitur id quod conatur, nempe Adam non credidisse, sed Euam duntaxat serpenti. Quod autem ad ea attinet, quæ ex sancto Augustino allegat, notandum est Augustinum: ijs locis disputatiuè loqui, Sic enim lib. de Genes. ad literam: Sed quid plura (inquit) Persuasum est illud peccatum, sicut persuaderi talibus posset, conscriptum est, sicut legi ab omnibus operteret, etsi à paucis hæc intelligerentur sicut oportet. Et alibi. posita opinione sua, alioquin, inquit, quomodo verum erit, Adam non est seductus. Si ita, inquit, non est, exponantur aliter verba Apostoli, insinuans se certam non habere sententiam. Neque igitur quod Magister adducit ex interpretatione Serpentis verborum, nec quod ex Augustino allegat, efficax est ad probandum, Adam non adhibuisse fidem, verbis serpentis, sicut Eua credidit, quin potius videtur vtrque credidisse vera esse serpentis verba, quod ipsum satis testari probantur Geneseos verba, scribit namque sanctus Moyses, Deum & Adæ improperasse, cum eum vxoremque eius tunicis pelliceis amiciret. Eccè

2. Cor. 11.

Cap. 42. lib. 11.

14. Ciuit. Dei, cap. 11.

ret. Ecce Adam quaſi vnus ex nobis, ſciens bonum & malum, vbi Deus Ironicè loquens, ſignificat non quid conſequutus ſit Adam, ſed quid ambierit, quod tamen non eſt conſequutus, ſicuti teſtantur ſancti Auguſtinus & Ambroſius. Irridens vtique Deus non approbans dicit, hoc eſt, Putabas te ſimilem fore noſtri, quia voluiſti eſſe quod non eras, deſiiſti eſſe quod eras. Vnde idem ſuper illud Lucæ, Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Iericho, dicit, Adam exutum fuiſſe fidei veſtimento, beatus quoque Ignatius Epiſtola ad Trallianos, aſſerit diabolum per mulierem ſeduxiſſe Adamum patrem generis humani, fuit igitur Adam ſeductus. conformis eſt iſtis Ireneus lib. 3. cap. 37. docens quidem Adam fidei excidiſſe, ſed poſtliminio reſipuiſſe, in hoc eum à Caim diſtinguens, quod ille rediijt ad fidem, hic nequaquam. Tertullianus etiam & Leo eius nominis primus, vniuerſi atteſtantur Adam perdidiſſe Deum infidelitate, & credidiſſe ſibilis ſerpentinis, non ſecus atque mulier. His adſentitur Cyrillus lib. 3. contra Iulianum, & lib. 2. in Ioannem, cap. 3. Beatus Ioannes Chryſoſtomus quoque non eſt prætermittendus, in illud 2. Corinth. 11. Adam non eſt ſeductus. Cui ſuffragatur Olympius Epiſcopus, à diuo Auguſt. lib. 1. contra Iulianum, cap. 3. citatus. Neque negligendus eſt beatus Auguſtinus in hoc argumento, qui pluſculis idem locis inculcare non ceſſat, lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 17. lib. 11. de Geneſ. ad literam, cap. 31 & 34. nec non in Enchirid. cap. 45. Vnius præterea Ephiphanij verba hic adijcio, Ipſe (inquit) diabolus per mendacium decepit Euam & Adam, alia pro aliis dicens, & amicitiam cum creatore oſtendens, Eritis ſicut Dij & non moriemini. En quomodo vterque deceptus ſit à ſerpente diabolo. Et quomodo ſimul poſteriorem illam verborum ſerpentis interpretationem, qua non apertè Deum blaſphemando, inuidumque pronunciando, Euam ſeduxit, ſed laudando, pellexit.

Lib. 1. cont. aduerſa. leg. cap. 15. lib. de el. & ieiu. cap. 4.

Cap. 10.

Hæreſi 38.

Exponitur ſcriptura, Adam non eſt ſeductus.

CAPVT II.

MVltiphariam multoque diuerſis prælibata Pauli Apoſtoli ſententia explicatur modis. Quidam enim, Adam non eſt ſeductus, ſupple prior, ſic Epiphanius in hæreſi Quintilianorum, OEcumenius, Thomas & Magiſter. Alij Adam non eſt ſeductus per ſerpentem ſcilicet, ſicut mulier,

2. ita D. Ioannes Chryſoſtomus, & commentarius D. Ambroſio
3. adſcriptus, & beatus Hiero. ſub medium lib. primi contra Io-
uinianum. Rurſum alij, Adam non eſt ſeductus, hoc eſt, non
legitur in ſcripturis ei eſſe impoſitum, nec aliquis eſt ſcripturæ
paſſus, qui id explicet, quemadmodum de fœmina legitur,
Heb. 7. quòd dixerit, ſerpens decepit me. Sic Melchiſedech legitur eſſe
Mechiſedech quomodo ſine patre & matre? ſine Genealogia, ſine patre, ſine matre, quia ſcilicet genealo-
gia eius in ſcripturis non ponitur, nec ex illa conſtat, quis eius
pater vel mater fuerit: ad hunc modum Theophilactus, & Hu-
go de ſancto Victore. Alia præterea expoſitio eſt, Adam non
Quæſt. 17. in hunc locum. eſt ſeductus, ſcilicet ex intentione mulieris, neque enim in-
tendebat mulier eum decipere, ſed veritatem perſuadere: ille
4. autem propriè dicitur aliquem decipere, qui illi perſuadere,
5. quod nouit eſſe falſum, conatur. Quinta expoſitio eſt, Adam
11. De Gen. ad lit. ca. 42. non eſt ſeductus, in præuaricationem ſcilicet mulieris, mulier
autem ſeducta facta eſt viro in præuaricationem, hoc eſt, præ-
Li. de Parad. uaricationis & peccati cauſa, hãc habet diuus Hiero. lib. primo
contra Iouinianũ, Auguſtinus & Ambroſius. Omnibus penſicu-
latius conſideratis, optima videtur ſexta & vltima interpreta-
tio: Adam non eſt ſeductus, quia ſciens & prudens dataq; opera
præceptum Dei violauit: Mulier autem ſeducta peccauit, quia
non exiſtimauit in veritate eſſe præceptum à Deo, ne de ar-
bore ſcientiæ boni & mali comederet: Nam etſi primum
hoc probè cognouerit à viro diuinum ei præceptum ex-
plicante edocta, poſtea tamen Serpentem audiens, ſenten-
tiam mutauit, exiſtimans virum in eo errare; ſicut ei ſerpens
dicebat: Vir autem præcepti optimè conſcius, non ignorans
etiam cum de ligno comedebat Deum contraria præcepiſſe,
attamen præcepto non obſtante comedit: forſan verba di-
uini præcepti in alium detorquens ſenſum, cogitans, Præ-
cepit quidem Deus, non nos fugit, ne hac arbore veſceremur,
ſub pœna mortis, at fortè comminando duntaxat præcepit,
non quod verè inflicturus ſit mortem, vel facilè veniam dan-
do conniuebit, nec ideo mortem incurremus, quod dubio
11. Lib. Ciuit. Dei cap. 14. Iſid. 2. de ſymbo. ca. 17. procul infidelitatis fuit, vti perſpicuè docet beatus Auguſti-
nus, & Iſidorus. Eua videtur ex ignorantia peccaſſe, quia
ſeducta, Adam verò ex induſtria, quia non fuit ſeductus: Et
hinc eſt, quod ſcriptura ipſi Adæ ſemper improperet rebel-
lionem contra præceptum Dei & inobedientiam: Vnde Do-
minus ad Adam: Quis indicauit tibi quod nudus eſſes, ni-
ſi quod de ligno de quo præceperam tibi ne comederes come-
diſti? Et infra, Quia audiſti vocem vxoris tuæ & come-
diſti

dicti de ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, &c. quasi dicat Dominus, Ego ipse tibi manifestè præceperam, & probè nosti meam hac in re voluntatem, tamen transgredi non expauisti: hoc tantillum præceptum. Hinc diuus Paulus Adæ etiam inobedientiæ notam inurit. At verò contra hanc sextam expositionem pugnare videtur: Si Eua non existimauit esse peccatum de illa comedere arbore, ergo non fuit præuaricata: Præuaricari siquidem ille propriè dicitur, qui sciens & volens dataque opera legem præuaricatur: Apostolus autem dicit, mulierem seductam esse in præuaricationem. Ad hoc dicendum, verba Apostoli ita posse legi ac intelligi, sicut in quinta supernè expositione elucidatum est, mulier autem seducta in præuaricationem fuit, siue facta est, vt legit diuus Hiero. ipsi viro, vt non mulier ipsa præuaricata esse designetur, sed quod ipsi viro priuaricationis causa extiterit, eumque scientem & prudentem, legem Dei præuaricari fecerit. Nihilominus vt alia etiam retineatur lectio, ille vocatur præuaricator, qui cum primum sciat aliquid esse prohibitum, postea tamen inualescente passione, mentis cæcitate, vel malitia, iudicat non esse prohibitum, ac proinde audacter facit, quod prius vetitum esse putabat. Quemadmodum de quodam propheta dicitur, quod non obsecundasset ori Dei, contra Dei in intinere præceptum, comedendo, non quod data opera recalcitrauerit contra Dei præcepta, sed quia per alium quendam prophetam deceptus existimabat, fortè Deum iam palinodiam cecinisse, vel exotica præceptum elucidatione intelligendum.

Rom. 5.

3. Reg. 13. *Propheta in via occiditur ob inobedientiam.*

De primo viri & mulieris peccato.

CAPVT III.

SCripturæ sacræ si quæratur authoritas, indubitatum erit primum illorum parentum peccatum, fuisse superbiam, iuxta illud, Initium omnis peccati superbia. Orta est autem hæc superbia in animo primorum parentum ex nimia suæ pulcritudinis (vt de Angelis dist. 5. dictum est) consideratione, qua inordinato affectu proprium amarunt bonum, suæque naturæ dignitatem, ac pulcritudinis excellentiam, itaque seipsos defixis luminibus adspicientes, nonnihil obtutus mentis à contemplatione illius summæ pulcritudinis, & excellentiæ

Superbia primorum parentum vnde.

excellentiæ Dei, à qua quicquid boni illis inerat promanabat, auerterũt. Ex tali suijpsorum contuitu, natus est amor quidam in seipsis immodicus, & quædam in proprijs bonis confidentia cum Dei contemtu coniuncta, quo augmentum accipiente superbia, postliminio Dei præceptum intrepidè violare præsumserunt. Neque enim fieri poterat, vt Adam ita arderet vxorem, aut fructum ligni affectaret, vt propterea iussa Dei, nisi in vtrorumque mente grandis præcessisset elationis fastus, aperte violaret, vti eruditè docet beatus Augustinus: In occulto, inquit, mali esse cœperunt, vt in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perueniretur, nisi præcessisset culpabilis voluntas, porrò malæ voluntatis initium, quod potuit esse, nisi superbia? Quid est superbia, nisi peruersæ celsitudinis appetitus? atque amor excellentiæ inordinatus? Peruersa enim celsitudo est deserto eo cui debet animus inhærere, principio, sibi quodam modo fieri, & esse principium, hoc fit, cum sibi nimis placet: sibi verò ita placet, cum ab illo bono incommutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quàm ipse sibi, hactenus ille. Quod autem vir desiderarit esse sicut Deus, liquido constat, ex libro Geneseos, vbi Deus hoc modo Adamum alloquitur, & graui Sarcasmo aggreditur, Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis, sciẽs bonum & malum. Super quo passu beatus Augustinus & Gregorius: Ecce, inquit, Adam factus est vnus ex nobis, quæ verba sunt Dei, non tam huic insultantis, quàm cæteros ne superbiant deterrentis, propter quos ista conscripta sunt. Et alibi, His verbis, Eritis sicut Dij, quid intelligitur, nisi persuasum esse, vt sub Deo esse nollent, sed in sua potius potestate siue dominio, seipsos regentes, non interno illius indigentes lumine, sed quasi proprio Marte beati essent, Deoque similes. Sciendum est tamen duplicem esse similitudinem, vna vocatur Æquiparantię, quam parentes nostri non ambierunt, quia talis similitudo in sensum hominis cadere nequit, diuina namque natura omnium hominum æstimationem infinitis parasangis antecellit: Altera est, Imitationis qua suo modo aliquid homo participare tripharíam de similitudine Dei potest, Vna est naturæ, quæ homini & angelo ab ipso creationis exordio est impressa. Alia est cognitionis, quam etiam angelus in sui origine suscepit, quia legitur ibidem plenus fuisse sapientia apud Ezechielem: Hanc homo non actu, sed potentia erat adeptus. Contra hanc conditionem peccauit homo, quando suaptè authoritate discernere inter bonum & malum sibi adscripsit, ac futura contingentia

14. De ciuit. Dei, cap. 13. lib. 3. cont. aduers. leg. cap. 14. lib. 8. de Ge. ad lit. cap. 13.
Lib. 2. de Ge. cont. Mani. cap. 15. & tract. 4. in canonicam Ioannis.
Superbia quid?
Cap. 3.
Lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 39.
Lib. 9. moral. capite 2.
Lib. 2. cont. Manich. cap. 15.
Similitudo duplex.
Gen. 1.
Ezech. 28.

tingentia præsagire concupiuit. Tertia similitudo consistit in potestate operandi, quam neuter nec homo nec angelus acceperat: contra hanc deliquit, quando proprio Marte vniuersa operandi, ordinandi, & regendi, quod angelis non erat concessum, teste Augustino, concupiuit. Initium ergo peccati est superbia, qua voluerunt seipsos regere, nec vllius subiacere arbitrio, nullumque cognoscere superiorem. Quod à nobis auertat Rex regum. Amen.

11. De Ge. ad lit. cap. 30.

Vter parentum primorum grauiùs peccarit?

CAPVT IIII.

QVum hæc res, vter plus vel minus peccauerit: in facto consistat, nobis non potest exactè esse cognita: attamen quia Magister ex professo hac de re tractationem instituit, obiter indicabimus, quid apud alios reperire ocia fecerunt. Beatus Ioannes Chrysostomus profecto sentire videtur, inter tres istos, Adam, Euam, & Serpentem, siue diabolum, omnium leuissimè peccasse Adam. Sanctus Ambrosius verò varijs argumentis ex scriptura adductis, contendere videtur. Adamum ipsum grauiùs deliquisse quàm Euam, cui consentaneus est Isidorus à Magistro citatus, §. H. Ipse verò Magister ex quibusdam ab Augustino disputatiuè dictis concludere sibi videtur, Euam grauiùs ipso Adamo offendisse, quem omnes quod equidem sciam Scholastici Doctores sequuntur. Vt autem huic quæstioni aliquid lucis accedat, non dissimulandum est, varijs modis peccatum aggrauari. Præcipua autem quæ accedit peccato grauitas, prouenit ex intentione peccantis, fine, siue ex obiecto peccati. Præterea attenditur ex circumstantijs, vtpote personæ inprimis: Grauius enim cæteris paribus, peccat sacris initiatus, occidendo hominem, quàm homo prophanus. Rursum ex multiplicatione aggrauatur peccatum, plus enim maculæ contrahit, qui frequenter calicibus epotandis operam nauat, quàm qui semel libauit pocula Bacchi. Deinde quoddam grauitatis pondus, peccatum sibi asciscit, quando propaginem suam in varios spargit, sic hæreticus grauiùs quàm alius peccat, quod fece prauitatis hæreticæ plures commaculet, vel grauiùs exasperat, quod pluribus fidei articulis quàm alius abrenunciat. Postremò simpliciter & absolutè peccatum illud grauioris censetur noxæ, quod circa peius aliquod versatur obiectum maximè

Homil. 7. ad populum Antiochenum.

De institutione virg. cap. 4.

Grauitas peccati vnde.

ximè verò ipsum aggrauari ex intentione peccantis, ficuti edo-
22. Quest. 10. art. 6. cet diuus Thomas Aquinas, dum inquirit, quorum infideli-
tas sit grauior, Gentiliúmne, Iudæorum, an hæreticorum?
Infidelitas quæ grauior gentilium, an hæreticorum, vel Iudæorũ? Et resoluit: Quanquam gentiles contra plures fidei Catholicæ
articulos errent, quam hæretici, tamen peiorem esse hæreticorum infidelitatem, non est ambigendum. Plus siquidem
mali ex obiecto molitur hæreticus, fidem quam nouit impugnando, quam paganismi velamine obductus. Considerando igitur intentionem primorum parentum, quadam ratione vtriusque peccatum par: Ambo enim voluerunt per inordinatum elati animi fastum rapere celsitudinem, scientiam boni & mali, ac futurorum præscientiam. Ambo crediderunt serpenti pollicenti, quod non emorerentur ex esu fructus prohibiti. Ambo de fructu vetito comedère. Denique ambo excusationis prætextum superbè quæsiére. Fac Domine nunquam me quærere excusationes in peccatis. Amen.

Vir quibus respectibus grauiùs deliquit?

CAPVT V.

ADam maiori crimini videtur quàm Eua fuisse obnoxius, ex conditione personæ: erat quippe persona dignior, maiori sapientia, fortitudine, & prudentia, à Deo plasmatus. Quemadmodum verbi gratia grauiùs est peccatum cæteris paribus, periti viri quàm imperiti, qui non tantum gratiæ à Deo promeruit, Cui enim plus datum est plus requiretur ab eo. Deinde Adam cessit mulieri simplici ac se inferiori, cum mulier solum victa sit ab hoste longè fortiore & se callidiore: Profectò multo turpiùs est ab inferiore se vinci, quàm à fortissimo multoque astutiore. Præterea Adam immediatè acceperat à Deo præceptum, de non gustando ligno scientiæ boni & mali: mulier autem hoc mandatum à viro duntaxat suo, non proximè à Deo didicerat. Debuerat secum animo repetere Adam, Deus ipse in propria sua persona mihi inhibuit, nephas igitur est, non obsecundare, plus enim reuerentiæ & fidei debebat Adam Deo, quàm
De instit. virginis, cap. 4. Eua ipsi Adæ. Tres hasce rationes attendit Diuus Ambrosius, Quid miraris (inquit) si infirmior lapsus est sexus, cum sit lapsus & fortior? Mulier peccati habet excusationem, vir non habet. Illa vt scriptura asserit, à sapientissimo omnium serpente decepta est, tu à muliere (Adamum alloquitur) hoc est

hoc eſt, illam ſuperior creatura decepit, te inferior, Te enim mulier decepit, illam malus licet, tamen angelus. Si tu inferiori non potuiſti reſiſtere, quomodo illa potuit ſuperiori? Et mox: Si Adam quod à Domino Deo audire meruerat, ſeruare non valuit, quomodo potuit ſeruare mulier quod audiuit à viro? Si illum Dei vox non confirmauit, quomodo iſtam vox firmaret humana? Ad hæc: Adam memoria retinens diuinum præceptum, ſciens & prudens peccauit, & diuinum apertè præuaricatus eſt mandatum, prout Apoſtolus teſtatur: In ſimilitudinem præuaricationis Adæ. Ipſa verò mulier ignorabat hoc à Deo eſſe præceptum, arbitrata ſe non peccare comedendo de ligno, quemadmodum Apoſtolus ait, mulier ſeducta eſt, Adam ad ſenſum prius poſitum, non eſt ſeductus. Quinto peccatum Adæ grauitate vincit, ex ipſa peccati calua excuſatione. Cuius occaſione notandum occurrit, ſanctum Moyſen, primo lapſum Adæ & Euæ deſcribere ab initio vſque ad conſummationem. Et ſancti patres ſub primo primorum parentum peccato, ipſam etiam illius peccati ſuperbam excuſationem & defenſionem comprehendunt, vtpote in qua fuit peccati conſummatio. Ipſa ergo peccati excuſatio, & peccatum ipſum per ſe aggrauat, & quàm grande fuerit demonſtrat. Arbitror, inquit diuus Bernardus, ipſam primam grauiſſimamque præuaricationem, aut non aliundè, aut inde maximam iudicatam à Deo & hominibus, ſiue oſtenſam grauiſſimam, hoc eſt, ex rebellione defenſionis, quæ ſequuta eſt, quando Deo cauſam requirente peccati, vt eos ad pœnitentiam prouocaret, ipſi maluerunt declinare cor ſuum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis: Et quidem gemina eſt malitia Adæ peccatoris, quod nec ſui miſertus ſit, vt propriam fateretur culpam & ſanaretur: deinde quod & vxorem, vt ſe fallaciter excuſaret, crudeliter accuſauit. Cæterum non abſurdè annotant Doctores, multo maiorem eſſe malitiam in excuſatione peccati Adami, quàm Euæ, vt intelligas Adam maiori faſtu intumuiſſe, quàm Euam. Primò, quod cum Deus illum manifeſtè conuinceret, & redargueret inobedientiæ, adhuc tamen non confitetur ſeſe peccaſſe, perſtans æquè pertinaciter in malitia & ſuperbia. Cum enim vocaret Deus Adam, dicens, Vbi es? & ille intuliſſet, Vocem tuam Domine audiui in Paradiſo & timui, eo quod nudus eſſem, & abſcondi me. Tunc dixit illi Dominus, Quis indicauit tibi quod nudus eſſes, niſi quod de ligno, de quo præceperam tibi ne

Lib. de precept. & diſpenſ.

Adæ duplex malitia.

Adã & Eua non vniformiter corriguntur.

tibi ne comederes, comedisti? quasi diceret; Manifestè peccasti contra illud quod tibi, expressis verbis prohibui: Mulierem autem ita non redarguit Deus, nec apertè peccati conuincit, sed duntaxat interrogando corripit: Quare hoc fecisti? siue vt alij legunt, Quomodo hæc fecisti? Vnde Ambrosius: Quantò maior, inquit, mulieris absolutio, ille arguitur, hæc interrogatur. Secundò, vir nullo modo peccatum illud suum confessus est, nec quicquam mali tribuit sibi: mulier autem quamuis non integrè & simpliciter, aliquo tamen modo se peccasse confessa est, dum fateretur se esse deceptam. Quod ipsum etiam adnotauit, Addeait, quod & prior culpam fatetur, etenim quæ dicit se esse seductam, testatur errorem, Erroris medicina confessio est. Tertiò, vir crudeliter vxorem accusauit, vt ex Bernardo euasit manifestum, Mulier, inquit, quam dedisti mihi sociam, illa mihi dedit, & comedi. Mulier autem in nullo virũ insimulat, Quum enim dicere potuisset: Vir fouit me in peccato, prudentior etenim, & maior me erat: Nihil tamen horum effutiuit. Postremò, quod omnium maximè est detestabile: Adã peccatum in Deum ipsum retorquere, conatus est: Mulier, inquit, quam dedisti mihi sociam, ipsa mihi dedit, tanquam diceret: Tu mei causa peccati per me commissi, & author es earum, quas patior pœnarum: Cur enim dedisti mihi sociam mulierem? quam non ignorabas tale quid facturam, potuisses prohibere, ne mihi fructum porrigeret, ac proinde in te redundat omne malum, ex eius comestione exortum: mulier verò nil tale, non dixit, Serpens quem creasti, decepit me, vel potuisses, ne me tentatione circumueniret impedire. Vnde sanctissimus pater Augustinus: Nunquid dixit, peccaui? Superbia habet confusionis deformitatem, & non habet confessionis humilitatem. Ad hæc ipsa conscripta sunt, vt lynceis, quasi oculis dispiciamus, quanto superbiæ paroxismo hodie laborent homines, non nisi in creatorem conantes reijcere, si quid egerint mali, tamen sibi velint attribui, si quid egerint boni. Adnectit Ambrosius prius Episcopus, quam baptizatus, declarationem maioris grauitatis peccati Adæ, ex maiori eius pœna, & condemnatione esse rimandam, contra Magistrum, qui vel ex hoc mulierem, grauius deliquisse adstruit, quia ei dictum est, In dolore paries filios. Si, inquit beatus Ambrosius, de merito culpæ dubitas, interrogemus sententiam, qua dictum est: In tristitia paries filios, & ad virum conuersio tua, & ipse dominabitur tui. Viro autem dicitur, Terra es, & in terram ibis. Mulier accepit corporalis doloris sententiam. Vir mortis, Sanè longè grauiorem esse pœnam mori, quàm in dolore concipere

Erroris medicina confessio est.

Adam grauissimè deliquit.

11. de Gen. ad lit. cap. 35.

cipere filios, vel ille præuidit, qui dixit: Omnium terribilium maximè terribilis est mors. Vnde ex hac mortis sententia in virum promulgata, coniecturare licet viros communiter ante fœminas è viuis excedere: Videmus enim viros per maiorem intemperantiam, per gulam & ingluuiem, citiùs mortem sibi, quàm mulieres consciscere. Deinde etiam libidinum illecebrosis actibus se eneruant, scortationibus euiscerant, & curarum diuersitatibus distracti, quasi rumpuntur. Taceo deplangendas imbribus lacrymarum hominum strages, quæ varijs mundi climatibus leguntur, vel audiuntur factæ, Quarum finem, vtinam Domine Deus nostra Belgica Regio, iam adepta esset, nam simul atque Geusij isti, partim Caluinistæ, partim Iconoclastæ, partim Anabaptistæ, arborem concutere cœperunt, adeò multos fructus, hoc anno 1572. & 1573. & 1574. decusserunt, vt nulla monasteria, nec templa Deo sacra, nisi diruta reliquerint, Religiosos, & religiosas personas crudeli, imò inaudito cruciatu neci dederunt: nam singulis molarum alis, singulas affigentes personas, ministri iniquitatis, molam ventis procellosis expositam circumagi, in territorio Goesano fecerunt, licet ipsum Goes Zelandiæ oppidum, hactenus sit inuictum. Et vt de meis fratribus Franciscanis, Ignoro dolere, vel potius exultare, an debeam, nam plus minus viginti quinque in Hollandia incredibilibus tormentorum generibus, ad cælos sanguine laureatos transmiserunt, reliquos abigentes exulare fecerunt. At vt hæc missa faciamus, an non æquè magni, & grauioris supplicij est, in labore & sudore vultus sui tota vita pro se, & familia vniuersa, vesci pane, & cuncta acquirere necessaria, quàm aliquoties dolorem partus sustinere, & sub viri potestate esse? Et sanè, qui non de externis duntaxat, sed etiam de internis iudicat, non difficilè videbit grauiorem, longè esse internam illam cordis sollicitudinem, & anxietatem pro filijs, maximè iam adultis, totaque familia in viro, quàm sit dolor omnis, & tristitia mulieris. Sit illud verum, quod Saluator ait, Mulier cùm parit, tristitiam habet: Sanè illud etiam verum est, quod idem per quendam alium dicit, Omnis plaga tristitia cordis est, hanc vir potissimum patitur, quãdo adolescunt filij, & Deum, ac parentes contemnere incipiunt. Mulieri autem non ita cordi sunt hæc, sed viro cuncta, & Deo committit: vnde regulariter videre est, virum citius confici, ex huiusmodi cordis tristitia, quam concipit, cum de statu filiorum suorum, mala enunciantur, quàm mulierem, etsi illa interdum flere, & eiulare grauiter videatur. Maiorem etiam fuisse superbiam in Adam, quàm

Viri quare citius moriãtur quàm fœminæ?

Eccles. 25.

quàm in Eua, confirmat non parum hodierna multò maior virorum quàm mulierum superbia: Si enim, vt ante ex Augustino audiuimus, ideo illa de Adam & Eua scripsit sanctus Moyses, vt aduertamus quo superbiæ morbo hodie laborent homines, ergo in quo sexu nunc magis superbiam dominari cernimus, in illo, tunc plus superbiæ fuisse probabile est. Videmus quidem hodie mulieres magis fucatis superbire faciebus, ac vultibus, quasi intumescere laruatis, cultioribus preciosarum vestium splendere ornamentis, nec non tortis crinibus comtas procedere. At viri in grauioribus longè rebus efferuescentes intumescunt, nempe in seditionibus, bellis excitandis, hæresibus & schismatibus suscitandis, in vindicta sumenda, de iniuria quam sibi inflictam esse reputant. Deinde viri superbia, oritur ex malitia voluntatis. Quod autem mulieres contumaces & superbæ sint, ex hebetudine intellectus magis prouenit. Præterea viri superbia stabilior est, quàm mulieris, nec facilè terretur, etiamsi ingenti discrimini, vel etiam morti se obijciat, vt superbiam expleat, & conceptum animo perpetret malum. Mulier autem quantumuis insaniat, bulliat, vtpote mollis aër, si miniteris & percutere velis, protinus terroribus concutitur. Loquimur hic de passim contingentibus. Reperiuntur namque viragines, longè peiores, & ipso diabolo penè audaciores, quæ nec minis terrentur, nec flagris corripiuntur. Deinde viri superbia est sublimior, maioraque viro sunt ad explendam malitiam arma, nempe ingenium, solertia, mentis industria, &c. Vnde si non se offerat modò oportunitas vlciscendi, interdum ad menses, & annos grauem semper in pectore iram odiumque alta mente seruat, repostum gerendo, ac modum perficiendi, quod appetit requirendo, expectat: Mulier autem confestim clamans totum simul effundit spiritum.

Superbia virorum maior quàm mulierum.

Mulieris peccatum quibus Adæ præpolleat?

CAPVT VI.

IN eo autem præualuisse peccando videtur mulier, quod & ipsa iuxta Magistri rationem §. E. in Deum & proximum peccarit, virum ad peccatum inducendo, Vir autem duntaxat in seipsum, & Deum, neque enim alium ipse decepit, neque alicui peccatum suum persuadere conatus est. Vnde diuus Ambrosius: Sed dicis, inquit, O vir, quia mulier tentatio fuit viri, Verum est, inquit, vnde etiam illud à muliere initium peccati factum est, & per illam omnes morimur, illa enim occasionem præstitit

præstitit viro peccandi, quem decipiēdo nos omnes in mortem pertraxit. Secundò, grauius fuit Euæ peccatum, quia ignorans quod faciebat, esse peccatum, effrenis tamen sine vllo conscientiæ retinaculo in illud ferebatur, Cui etiānum hodie mulierum malitia respondet, in eo quod hebetes sint, paucaque considerantes admonitorem ægerrimè ferentes. Quod ipsum insinuare cognoscitur Sapiens, dum dicit, non est ira super iram mulieris, quia scilicet maximè concitatur rationis dictamen posthabendo passionem: in viro verò illud cōtra respondet, quod non obstante scientia maiori, qua præditus est, sciens & prudens, præter omnem rationem, multò grauius peccat, quàm mulier per ignorantiā & passionem. Tertiò, videtur longè maior fuisse Euæ infidelitas, quia in pluribus serpenti credidit, quàm vir. In animum siquidem induxit suum, Deum comestionem ligni scientiæ boni & mali, id quod vir non credidit. non præcepisse. Plus autem peccati committit, qui plures fidei articulos negat, quàm qui pauciores: Verum etsi mulier plura negarit, quæ credere debebat, in eo tamen peccatum viri absolute grauius fuisse videtur, quod licet iugiter crediderit, Deum vetuisse de ligno edere, tamen hoc non obstante, Diuinum præceptum, ad suam superbiam perficiendam, praua interpretatione in alium sensum torserit. Postremò, videtur Euæ peccatum grauius fuisse, quod ex superbia ad viliorem delapsa sit concupiscentiam, quàm vir, Mota est enim gulę cupiditate, ad edendum de fructu vetito, sicut testatur scriptura: Vir autem quamuis & ipse gulosus esset, magis tamen de fructu illo vetito manducauit, ex amicitia quadam vitiosa erga mulierem, quàm gulæ concupiscentia inductus, ac proinde honesta quadam ratione motus est ad peccandum. Verùm quantum hæc ratio complacendi vxori, exterius honestior esse videtur, tantò magis est superbiæ fomentum, Gulosi enim quamuis turpi laborent vitio intus in officina cordis, non tale superbiæ regnum constituunt, quàm illi, qui sciunt humana amicitia hominibus placēdi, nequitiam suam tegere. Fuit nihilominus, & in viro quod peccatum eius nō minus graue effecerit, nempe quod trāsgressione Diuini pręcepti, mulierem in peccato fouerit, & confirmarit. Quum enim videret virū de ligno comedere: cogitauit, aut saltē dubia cogitatione secum, vel intra se cōfligere potuit, Iā video euanidum esse, quod auribus super præcepto insonuit: serpētem autem veritatem attigisse cognosco, quod non præceperit Deus, de hoc ligno non manducare: Si enim hoc peccatum foret, non idem vir meus, vtpote longe superior, & dignior, faceret. Simpliciter autem

autem loquendo, grauiori crimini fuit obnoxius vir, quàm mulier: quantò enim Adam rectus, melioribus charismatibus fulsit, quàm Eua, tantò corruptus eadem effectus culpabilior: videmus enim, verbi gratia, cibum bonum, salubrem, & delicatum, dum corrumpitur, longè magis noxium fieri, quàm alium, *Lib. 2. de cōtem. mundi, cap. 18.* iuxta illud Innocentij tertij, Quantò delicatiora sunt fercula, tantò fœtidiora sunt stercora. Deinde quis malorum angelorum, pessimus est, maximæque deprauatus, nisi qui quondam *Quo altior status, eo grauior casus.* erat omnium facilè princeps? Ita etiā videtur, quod sicut Adam, ante peccatum, Eua præstantior & sanctior erat, ita delinquens longè ipsa peior fuerit. Neque verò accipienda sunt hæc, quæ de grauitate peccati Adæ prælibauimus, in reprehensionem Magistri, & doctorum scholasticorum (absit) qui arbitrantur ipsius Euæ peccatum grauius fuisse Adæ. Sed quæcunque præmissa sunt, amore veritatis dicta sunto, studiosis ansam præbentes, circa hanc quæstionem diligentius exercendi, vt si quid melius, & scripturis sacris, priscorumq; patrum doctrinæ conformius, alicubi inuenerint, nobis illud communicare non grauentur, Ad gloriā Domini nostri Iesu Christi semper benedicti. Amen.

Scriptura exponitur, Per vnum hominem intrauit peccatum, &c.

CAPVT VII.

Restat nunc vnum verbum in Magistro, exactius paulò discutiendum, quod nimirum §. G. ex quorundam sententia docet, Peccatum, secundum Apostolum, per vnum *Rom. 5.* hominem intrasse in mundum, id est, humanam naturam, cùm tamen mulier ante peccarit, quia per mulierem intrauit de viro factam. Certè sic exponit Apostolum commentarius *Ecclesi. 15.* diuo Ambrosio ascriptus, Per vnum hominem, id est, per Euam. Quod certè negari non potest, iuxta illud: A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur, Quam *1. De peccat. mer. & rem. cap. 16.* scripturam allegans diuus Augustinus, siue à muliere, inquit, siue à viro dicatur, ad vtrumque pertinet, quoniam ex viro mulier est, & vtriusque caro vna est, iuxta illud, Erunt duo in *Per vnum hominē, Adā melius intelligitur.* carne vna. Verum quanquam origo peccati, & mors rectè ab Augustino, alijsq; scriptoribus, & ab ipsa etiam interdum scriptura sacra, tribuatur Euæ, propriè tamen est ipso viro Adam tribuenda, quem propriè intelligit, dum dicit Apostolus: Per *1. Corin. 15.* vnum hominem. & alibi, Sicut in Adam omnes moriuntur, sic

sanct

ſanè ipſe Adam propriè non Eua mortis ſententia condem- Geneſ.3.
natur, quanquam illa ipſam quoque Euam concernat. At re-
quires, vnde igitur fit, vt cùm per vtrunque ſexum, humanum
genus damnatum ſit, ipſi tamen viro magis propriè hæc dam-
natio tribuatur? Aiunt nonnulli non ex muliere, ſed ex viro
duntaxat trahi originale peccatum. Vnde concludunt, ſi ſola
deliquiſſet mulier, non vir, non genuiſſet Adam rectus ex eiuſ-
modi corrupta muliere liberos peccatores, ſed rectos ſibi ſimi-
les. Atqui hæc ſententia, (cùm eorum, qui eam defendunt dicta
ſit reuerentia) non videtur probabilis. Quin veritati magis con-
ſonum liquet, æquè ex muliere, atque ex viro peccatum origi-
nale contrahi: Ecce, inquit Dauid, in iniquitatibus conceptus
ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Et Ioannes Apoſto- Pſalm.50.
lus indicat, carnalem naturam generationem eſſe ex vtroque
ſexu: Qui non, inquit, ex voluntate carnis, id eſt, mulieris, neque
ex voluntate viri, &c. Huc facit quod D. Auguſtinus, ſanctum *Lib. 2. cont.*
Ambroſium citet, priorem illam Pſalmi ſcripturam tractan- *Iul. cap 6. &*
tem, Malè Eua parturiuit (ait) vt partus relinqueret mulieribus *libr. 1. cap. 3.*
hæreditatem, atque vnuſquiſq; concupiſcentiæ voluptate con-
cretus, & genitalibus viſceribus infuſus, & coagulatus in ſan-
guine, in pãnis inuolutus, prius ſubiret delictorum contagium,
quàm ſpiritus vitalis munus hauriret. Vnde apparet iuxta ho-
rum doctorum & ſacræ ſcripturæ ſententiam, quod ex muliere
corrupta, etiamſi vir non offendiſſet, fuiſſet corruptio, & pecca-
tum originis, ſi ex corrupta illa muliere Adam filios procreaſ-
ſet, quodque ad hoc peccatum in poſteros deriuandum alterius
ſuffeciſſet corruptio, ſequutus namque fuiſſet effectus debilio-
rem ſuæ cauſæ partem. Et quanquam diuus Thomas vno loco 1. 2. *quæſt.*
contra hæc militare probetur, tamen alibi probabiliorem no- 81. *art.* 5.
ſtram præfert ſententiam. Nec creditur neceſſarium, quod Ma- 3. *part. quæſt.*
giſter ſtatuit §. G. Poteſt enim rectiſſimè dici, quod ſi Eua pec- 32. *art.* 4.
caſſet abſque Adamo, non generaſſet ex ea Adamus liberos, ne *ad.* 1.
ſuam hoc modo poſteritatem vitiaret: Sed vel Deus Euam ab
illo peccato expurgaſſet, & naturam priſtino vigori reſtituiſſet,
vel certè aliam Adæ vxorem, ex qua poſteritatem protraheret,
ſecundum diuum Bonauenturam, melius ſancto Thoma hac in
parte ſentientem, procreaſſet.

An aliqua ignorantia ſit peccatum?

CAPVT VIII.

Lib. 22. cont. Faust. cap. 27. & 1. Retract. 13. — NOn ambigitur illa ignorantia esse peccatum, quæ præcepto Diuino interdicitur, vel legis naturæ, quæque est voluntaria. Ad hunc enim modum definitur peccatum, quod voluntariè est contra legem Dei, teste August. Cui ergo

Peccatũ quid? — definitio illa competit, eidem necesse est, vt & definitum conueniat. Quo autem enucleatius intelligatur, quàm ignorantia sit contra legem Dei, quæ item voluntaria, aduertendum quod quando alicuius rei scientia Diuina præcipitur lege, tunc ignorantia illi scientiæ directè opposita, est contra legem Dei, & Diuino præcepto prohibita. Quæ verò scientia Diuina lege

Epistola 95. — nobis sit præcepta, docet beatus Augustinus: Iubetur, inquit,

Psalm. 118. — vt habeamus intellectum, & dicitur, Da mihi intellectum, vt discam mandata tua. Iubetur, vt habeamus sapientiam, vbi

Lib. 2. de pec. merit. & remiss. cap. 5. De lib. arbit. cap. 3. de bo. perse. ca. 20. & lib. 10. cõfes. cap. 29. & 37. — dicitur: Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. Et alibi: Cùm iubet, inquit, dicendo: Intelligite ergo, qui insipientes estis in populo, & nos illi dicimus, da mihi intellectum, vt discam mandata tua, quid aliud dicimus, quàm da quod iubes, & iube quod vis? Veruntamen vt habeamus, & ipsam scientiam, ne dicat vnusquisque, nesciui, non audiui, non intellexi: voluntas conuertitur humana, vbi dicitur: nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Ex quibus liquidò constat, nobis

Scientia quæ nobis necessaria? — aliquam à Deo præceptam esse scientiam, non Musices, non Astrologiæ, Medicinæ, Arithmeticæ, sed agendorum, siue legis Diuinæ, vt sciamus quid faciendo, vitam æternam possideamus. Inter hæc autem quædam sunt, quæ generaliter omnes scire tenentur, Præcepta charitatis Dei & proximi, fidem in Deum, decalogum. Sunt & alia quædam præter hæc, quæ in suo, quique officio, & vocatione scire obligantur. Alia enim scire tenentur coniugati, alia cælibes, & econuerso: & doctorem, multa scire oportet, quæ in discipulo non requiruntur. Vna scientia à Deo nobis præcipitur, alia quæ est artium liberalium & similium non præcipitur, nisi inquantum istis famulari cognoscitur, quæ nobis à Deo præcepta sunt. Quæ omnia dicuntur, vt intelligatur quæ à Deo prohibita sunt, nos ignorare debere, sicut quæ præcepta sunt, scire. Vnde con-

Ignorantia quæ peccatũ? — sequenter colligitur: Ignorantia quæ contra legem Dei est, esse peccatum, si tamen sit voluntaria, aliàs enim nullo mo-

Ignorantia affectata. — do peccati rationem subit. Ignorantiam manifestè voluntariam, seu vt dicunt affectatam, eam vocare incumbit, cùm quis non elaborat cognoscere, nec vult scire, ea quæ pietatis vel salutis suæ sunt, vt illa ignorando, liberius peccatis laxet habenas,

habenas, & cupiditatibus absque aliquo conscientiæ remorsu obsequatur. Sicuti verbi gratia: Plerique recusant accedere conciones, quibus auaritia, luxuria, aut fornicatio proscribitur: potores illibenter sermonibus sobrietatis adsunt, ne instar Polemonis ingluuiem epotandorum calicum abiurare cogantur: Simile esto iudicium de mercatoribus iniquis, qui non elaborant cognoscere, quid iustitia requirat, quid vsuram redoleat, quid minimè. Quibus omnibus non absonè competit illud Psalmi: Noluit intelligere, vt bene ageret. Et quidam alius: Recede à nobis, viam scientiarum tuarum nolumus. Est & alia ignorantia indirectè voluntaria, quando quis, vel diuitijs congerendis, vel huius seculi negotijs, tanta animi intentione, & cura vacat, vt ea quæ salutem concernunt, agnoscere negligat. Quibus & illi sociandi sunt, qui acediæ, & torpori ita addicti sunt, vt laborare nolint, ea quæ salutis sunt discere. Graue illis est ædem accedere sacram deuotionis ergô, mane surgere. Cuperent quidem hi scire viam salutis, nec aspernantur scientiam legis, sed à laboribus absque quibus scire non præualent, abhorrent, ac proinde indirectè volunt. De quibus omnibus scitè Augustinus: Aliud est, inquit, non curasse scire, quæ negligentiæ peccata per sacrificia quædam legis videbantur expiari: aliud intelligere velle, nec posse: da proinde Domine quod iubes, & iube quod vis.

Iob 21.

De natura & gratia, ca. 17.

De Iure naturali & positiuo.

CAPVT IX.

Qvanquam his videri possit prælibata quæstio, quænam scilicet ignorantia peccatum sit, fœliciter esse expedita, quia tamen plurimi errores adhuc exoriri possent, plusculum de ea est addendum. Ante omnia igitur aduertendum est, ea quæ præcipiuntur in duplici esse differentia: Quædam enim præcipiuntur iure naturæ, ad quæ cognoscenda tenentur homines, hoc ipso, quo homines sunt, & naturæ rationales, vt sunt: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, Non occidas, non mœchaberis, &c. Alia autem sunt, quæ homo scire tenetur, non quidem lege naturæ, sed positiua duntaxat, siue Diuina, siue humana, vt quod salutem capessat æternam, baptismatis lauacro ablui debeat, & in veteri lege circuncidi: hæc non sunt legis naturæ, sed positiuæ Diuinæ. Quod ieiunare oporteat quadragesimæ dies, item quatuor anni tempora,

Præcepta sunt duplici differentia constituenda.

Præceptum Iuris naturæ quid?

Præceptum positiuum duplex.

 quod

quod obseruari & celebrari debeat dies Dominicus, Iuris sunt positiui humani: neque enim Deus hæc instituit, sed homines illi, qui Ecclesiam cum in spiritualibus tum in temporalibus gubernāt. Differunt autē Ius naturale & positiuum in eo quod Ius naturale ad hoc vt hominem obligatione constringat, non requirat nouam, præter eam quæ in prima naturæ institutione facta est, obligationem, Ius autem positiuum, humanum illud sit, siue diuinum, non obligat coram Deo nisi sit promulgatum, Ipsa siquidem promulgatio ad essentiam legis positiuę pertinet: Quomodo enim hominem obligaret, quod nunquam illi innotuit? Vnde consequitur, ignorantiam legis positiuę non esse peccatum illis quibus lex positiua non innotuit, si enim ignorem quod scire non teneor, peccatum nequaquam est, At ignorātia legis naturalis, semper peccatum est, illam enim homo nunquam non tenetur scire, etiamsi nemo hominum, nec angelorum, imò ne Deus ipse alicui diceret, non esse adoranda Idola, non furandum, &c. deberet ab his abstinere, dictamine naturalis rationis, hoc ipso siquidem, quo homo creatus est rationalis, sufficienter hoc ipsum ei promulgatum est. Ex istis consequitur cum primis, gentes quibus Christus nunquam est prædicatus, non peccare non credendo in Christum, Credere namque in Christum, vt salutis authorem, legis est positiuæ. Rursum si illis qui in Christum credunt, nunquam adhuc dictum est de lege baptismi, non peccant ignorando, quod baptizari debeāt. Par est iudicium de alijs vniuersis legibus positiuis, cum diuinis tum humanis. Quanquam autem satis videri possit, ex illo fundamento probatum, quod diximus de essentia legis esse, quod promulgari debeat, tamen vt res dilucidior euadat, scripturis est stabilienda. dicit ergo Christus Iudæis, Si non venissem & loquutus essem eis, peccatum non haberent: Et iterum, Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Quibus sententijs non hoc vult Christus, quod omnino nullum peccatum habuissent, si ad eos non venisset, sed quod si ad eos non venisset, non habuissent illud infidelitatis peccatum grande, non credendo in Christum, nec illum recipiendo, qui se ipsis tot miraculorum prodigijs, acefficacibus sacræ doctrinæ verbis manifestarat. Vnde pulcrè sanctus Augustinus: Habent illi excusationem, inquit, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est loquutus. Hanc ipsam materiam non tam pulcrè quam prolixè prosequitur beatus Bernardus, cuius verbis allegandis breuitatis ergô, supér-

Ius naturale & positiuū, quomodo differant?

In Christum non credere, quando sine peccato?

Ioan. 15.

Lex est promulganda antequam obliget.

Tract. 89. in Ioannem, epistola 105. ad Sixtum. & de gratia, & lib. arb. ca. 2.

ſuperſedere malui, ſuffecerit lectori, clarum hac de re ibidẽ eſſe locum. Huc facit illud Auguſtini: Non tibi deputatur ad culpam, quod ignoras inuitus, ſed quod negligis quærere quod ignoras. Eſt autem aduertendum fieri poſſe: vt quis inuitus agenda & legem Dei ignoret, & tamen illa ei ignorantia non ſit peccatum: Quidam enim non parua diligentia legem Dei ſcire conantur, ſcripturam legũt, vt per ſcripturarum ſcientiam magni apud homines habeãtur, non autem vt ſciant, quæ ſcriptura præſcribit. Alij ſunt qui ſcientiam quærunt, non quidem vt temporale aliquod emolumentum inde capiant, ſed quia ſibi perſuadent, quod habita ſcientia agendorum, ſuis viribus rectè poterunt omnia facere, legemque implere, ac omnia peccata vitare, talis fuit priuſquam nomen Chriſto daret Paulus. Quare qui hoc fine deſiderant habere ſcientiam, inuiti quidem ignorant legem Dei, dolent de ignorantia, ſed per eiuſmodi ignorantiam minimè excuſantur à peccato: dolent enim de ignorantia, non inquantum eſt peccatum, & ſalutis impedimentum, ſed quatenus non eſt inſtrumentum peccati illius quod perpetrare cupiunt. Quemadmodum exempli gratia, ſi quis de fornicatione aut ebrietate doleat, non quia illa odit peccata, ſed quia per illa fit, vt non habeatur ab hominibus vir bonus & timoratus, id quod vehementer cupit, etſi nolit in veritate eſſe talis: qui dolor de peccato ex tali malo fine ortus, Deo non placet: Vult enim talis peccatum peccato vincere: Vnde ſi vtrumque peccatum facere poſſet, & ſimulare ſanctitatem, & ſectari ebrietatem, oppidò quam lubens aſſentiretur. Igitur ignorantia agendorum quæ malo fine eſt inuoluntaria, tantum abeſt, vt hominem à peccato excuſet vt magis illud augeat: ſicut & ſcientia agendorum mala intentione acquiſita, non eſt pars iuſtitiæ, ſed nec initium quidem illius eſt cenſendum.

Epiſtola 77. Lib. 3. de lib. arbit. cap. 19.

Quæ ignorantia peccatum totaliter excuſat?

CAPVT X.

IVſto vt procedatur ordine, explicandi occurrunt termini, ne error aliquis ſubrepat, Ille actus propriè excuſari dicitur, qui ex ſuo genere & obiecto, peccatum eſt in eo qui illum operatur, actus ſiquidem ille, qui nulla ratione peccatum eſt, non eget excuſatione: Vt ergo intelligatur quiſnam actus excuſet ex integro peccatum, aduertendum eſt de ratione peccati eſſe, vt ſit voluntarium: Ita enim ab Auguſtiño

Lib. 22. cont.

Faustum, cap. 27. & lib. 1. retract. ca. 13. gustino definitur, Voluntarium peccatum est dictum factum, vel concupitum contra legem Dei, ita vt si nullo modo sit voluntarium, non sit peccatum. Sufficit autem ad rationem peccati, si actus sit voluntarius exrpresse actu, vel virtute. *Actu voluntariũ peccatum quod?* Actu voluntarium est quando deliberato proposito interficere hominem statuo. *Voluntarium virtute quid?* Voluntarium autem virtute id est, ad quod voluntas effecta est, & libenter actu vellet implere, nisi ignorantia aut impotentia impediretur. Vnde si quis tali casu, & ex improuiso occideret hominem, voluntariè id faceret & peccaret, nec excusaretur per ignorantiam, quia etsi actu non habeat voluntatem occidendi, virtute tamen nihil minus cogitat. *Ignorantia quæ excuset?* Nulla igitur ignorantia excusat actum à peccato, nisi (non dico tamen quod omnis illa) illa quæ efficit, vt actus nullo modo sit voluntarius, nec actu nec virtute. Vnde consequitur quod sola causans ignorantia, à peccato excuset, vt quæ efficit quatenus actus nullo modo sit voluntarius: ignorantiam autem causantem vocamus, quæ est in homine sic affecto, vt si actum verè sciret, omnesque eius circumstantias, nulla ratione vellet committere. At dicet aliquis: quomodo ignorantia quæ merè priuatio est, potest dici causare actum illum, qui verè intus & exterius à voluntate committitur? Quia id aufert quod actum prohiberet: est enim ignorantia causa actus, qui ex ignorantia fit, quia tollit scientiam qua posita actus ipse non fieret. At intellige scientiam illam per se & propriè non impedire actum, nisi bona adsit voluntas: scientia enim malæ voluntati coniuncta, tantum abest vt actum malum impediat, vt etiam causa sit actus mali: Lex enim facit abundare peccatum, & est peccati virtus, secundum Apostolum. Quocirca primaria causa (quur non fieret actus) quæ ex ignorantia inuoluntaria fit, est voluntas bona, quæ non potest suam absque scientia virtutem exercere. Nemo enim potest facere bonũ & vitare malum, nisi quid bonum & malum sit, persuasum habeat, ac proinde scientia etiam rectè dicitur causa, quæ actum prohibeat. *Ignorantia concomitans.* Ignorantia autem concomitans non excusat peccatum, vt puta cuius opposita scientia non impediret actum peccati, Vt verbi gratia dum venor in silua, intendens feram occidere, instar Lamech, forte fortuna iaculo inimicum qui ibi transit aut delitescit, confodio, profecto ignorans hoc facio: verumtamen si inimicum meum esse cognouissem, æquè eum trucidassem. *Genes. 4. Lamech occisus.* Quæritur iam an à peccato homicidij quis per ignorãtiam excuse-

 tur.

tur. Indubiè non: neque enim ignorantia causa fuit, vt illum interficeres, sed fuit per accidens duntaxat adiuncta, quin potius mala voluntas sic peccato addicta in causa fuit: quare qui sic peccant, non dicuntur ex ignorantia delinquere, neque enim ignorantia est causa peccati (vt prælibatum est) sed dicuntur ignorantes peccare. Eiusmodi est ignorantia illorum, qui non habentes scientiam agendorum peccant, existimantes interim scientiam ipsam sufficere per se ad implendam legem: quemadmodum Iudæi priusquam à Deo legem, quæ agenda eos doceret acciperent, peccabant grauiter. Sed nunquid excusabantur à peccatis per ignorantiam? minimè. Neque enim illa ignorantia erat causa peccatorum, quæ perpetrabant, sed erat tantum concomitans, & per accidens coniuncta peccatis. Exemplo quod dicitur clarescat, albedo in lacte non est causa dulcedinis, nec econtra, sed est per accidens coniuncta, vti pulcrè docet diuus Augustinus, humana superbia (ait) tanquam de viribus præsumens liberi arbitrij, excusatam se putat, quando ignorantiæ non voluntatis videtur esse, quod peccat. Non ignorantia est peccatorum causa, sed praua voluntas. Omnia quæcunque loquutus est Dominus faciemus, dicebant Iudæi superbi de suis viribus præsumentes, & vix legem acceperant, quin illam in primo omnium mandato, vitulum pro Deo adorantes, turpissimè violarent. Pergit Augustinus, secundum hanc excusationem inexcusabiles dicit diuina scriptura, quoscunque scientes peccare conuincit: Dei tamen iustum iudicium nec illis parcit, qui non audierunt, qui non habent ignorantiam illam inuoluntariam concomitantem, sed scientes legem Dei, vident se nihilominus illam non complere, quin potius scientes prudentesque peccare, quos scriptura interdum appellat inexcusabiles, &c. Quia scilicet nec illam habent friuolam excusationem superborum, qua dicere adsolent, fecissem si sciuissem, cum mentiantur, & non facerent etiamsi cognoscerent. Hanc tamen excusationem non habent qui scienter peccant, qui dum quid faciendum sit, sciunt, & non faciunt. Verbi gratia, Probè scio hoc esse peccatum, & nihilominus sciens & prudens perpetro, quod sanè nullam excusationis habet apparentiam. Sed nec quælibet etiam causans ignorantia, actum peccati excusat. Contingit enim quandam ignorantiam etiam causantem esse voluntariam, idque bipharium, directè & indirectè. Directè quidem, si ipsa affectetur, si placeat, si quæratur. Sicut enim qui voluntariè

Iudæi an ex ignorantia peccarint?

Similitudine probat quod docet.

Epistola 105.

Exod. 19.

Ro. 1. & 2.

Ignorantia causans quomodo voluntaria?

Petrus de qua ignorantia loquatur? eligunt quædam ignorare, ad hunc finem, vt liberius sine aliquo conscientiæ remorsu peccent, vt dum nesciant veritatem, quasi quandam in peccatis suis excusationem habeant: de tali
Act. 3. ignorantia loquitur sanctus Petrus, Et nunc scio fratres, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri: Si enim cognouissent, ait Apostolus, nunquam Dominum gloriæ cru-
1. Cor. 2. cifixissent: Et tamen non excusabat eos, quia erat affectata & maximè voluntaria, ex nimio erga Christum odio, & amore peccatorum, quæ in eis redarguebat. Similiter ignorantia causans, quæ indirectè est voluntaria, non excusat à peccato: vtpote quæ accidit ex discendi negligentia veritatem, dûm quis alijs rebus ita occupatur, vt illa quæ salutem concernunt, scire negligat. Si curaret homo scientiam diligenter adipisci, qua peccatum vitaret, prorsus esset inuoluntarium, at iam aliquo modo voluntate censetur factum. Sed nec quælibet ignorantia causans, actum peccati planè inuoluntariè, nec studio affectata excusat à peccato. Potest enim esse ignorantia causans, penitus inuoluntaria, quæ circa aliquid versatur, quod non facit ad rationem peccati. Vt si quis occideret aliquem, & sciret quod prætor eum non comprehenderet, & quia existimauit eò non esse venturum prætorem, post multam inquisitionem, occidit aliquem, non facturus hoc, si sciuisset eum eô fuisse venturum, certum est quod nō excusetur per hanc ignorantiam à peccato, quia ignorantia hæc est illius rei, quæ nullo modo facit ad rationem peccati. Præterea ignorantia causans prorsus inuoluntaria, & eius rei quæ facit ad rationem peccati, non excusat ab eo, si videlicet sit inuoluntaria ad malum finem. Exemplo quod dicitur dilucidum fiat. Est aliquis qui si cognosceret vsuram esse peccatum, vellet ab ea abstinere: nec affectat illam ignorantiam, sed libenter scire cuperet, an sit peccatum, sed ea intentione, vt si sciret esse peccatum, suis viribus ab ea abstineret sine gratia Dei. Talis per illam ignorantiam non ostendit peccatum sibi displicere, & verè illud odio habere amore Dei, sed ideo tantum ei ignorantia displicet, quia per oppositam scientiam nequit prauam voluntatem, sicut benè cuperet perficere, habita scientia per Christi gratiam, siquidem non displicet, propter quod meritò deberet, scilicet ex amore legis diuinæ quam cuperet implere. Sed duntaxat abstinentiam ab vsura, ad hoc ordinare intendit, vt ab hominibus iustus habeatur, vt in seipso confidat, ac supercilium suum prodat. Hisce attentius consideratis, omnis & sola ignorantia illa à peccato excusat, quæ

prorsus

prorſus inuoluntaria eſt, nec affectata, nec aliqua negligentia acquiſita, & eius rei quæ facit ad rationem peccati, nec non quæ aſſumta eſt propter bonum finem.

Ignorantia quæ à peccato excuſet?

Ignorantia Iuris ſufficienter promulgati, an excuſet?

CAPVT XI.

QVô facilius in hoc doctrinæ capite veritatem attingamus, exemplo res fiet dilucidior. Qui fornicatur, exiſtimans fornicationem non eſſe peccatum, quod ſi ſciret peccatum eſſe, nullo modo perpetraret. Iam quæritur an talis nunquam ex eiuſmodi ignorantia excuſetur penitus à peccato? Profecto quæſtio hæc eſt multis labyrinthis obnoxia, magnæque perplexitatis. Sunt enim qui dicant hominem non magis peccare coram Deo, qui eſt verè in eiuſmodi ignorantia iuris, quam qui facti laborat ignorantia, nihil diſtinguentes quo ad rem hanc, inter ignorantiam Iuris & facti. De ignorantia facti facilè eſt intelligere, quod nonnunquam excuſet, vt exempli ergô, cum occido hominem, intendens feram occidere, non erro in iure, ſcio namque quod non liceat occidere hominem, ſed in facto duntaxat eſt error. Similiter eſt aliquis qui mulierem in matrimonium accipit, cum illaque concumbit rem habendo, ignorans illam eſſe alterius viri vxorem, excuſatur per ignorātiam ab adulterio, ſicut Iacob cum Lyā concumbens, nec errat in iure, ſcit enim ſibi non licere, vt illa, ſed duntaxat in facto: at non eſt par ratio de ignorantia iuris. Mihi enim (ſaluo ſemper ſaniori iudicio) apparet ignoratia iuris ſeu naturalis ſeu poſitiui vigentis & ſufficienter promulgati, nunquam penitus excuſare à peccato. Cur non æquè ac ignorantia facti inquies? Quia ignorantia facti facit actum circa quem verſatur, prorſus eſſe inuoluntarium: Iuris autem ignorantia nunquam hoc efficit, neque enim vnquam facit malum penitus ignorari, vnde conſequitur quod nec prorſus faciat inuoluntarium. At quomodo verum eſt inquies, quod ignorantia iuris faciat malum aliquo modo eſſe voluntarium, cum nullo modo hoc faceret, ſi ſciret eſſe malum? Ignorat malum in vniuerſali, ſed non in particulari, ignorat ſub ratione generis, & non ſub ratione ſpeciei. Ad hoc autem vt ignorantia prorſus à peccato excuſet, debet inuoluntaria eſſe omni modo, & in vniuerſali, & in particulari, & in genere, & in

Ignorantia facti, quid, & quomodo excuſet?

Geneſ. 29.

Ignorātia iuris ſi non excuſet, ignorantia facti excuſat?

Exemplo probat, quod docet.

ſpecie. Exemplo quod dicitur manifeſtum fiat, Qui fornicatur, quia exiſtimat fornicationem ſimplicem, non eſſe peccatum, non facturus vllo modo ſi ſciret eſſe peccatum in vniuerſali fallitur, & habet ignorantiam generis, quod ſcilicet fornicatio non ſit peccatum, nec vult fornicationem commitere, ſub ratione illius generis, qua peccatum eſſet, ſed tamen eligit in particulari, quod malum eſt, ſcit enim quod non cum ſua, ſed alieno toro ſe commiſceat, & hoc in particulari eligit, hoc autem eſſentialiter malum eſt, concumbere ſcilicet cum non ſua. Iſtud confirmatur de Simonia ca. per tuas, vbi ſic legitur, Per tuas, inquit Pontifex, literas intimaſti, quod cum lator præſentium vellet, in ſubdiaconum ordinari, & certum titulum non haberet, quendam presbyterum exorauit, vt ipſum ad eccleſiæ ſuæ titulum præſentaret, quod cum ille facere recuſaret, ipſe illi firmiter repromiſit, quod nunquam ſi præſentaret eundem, in eccleſia ſua aliquam peteret portionem, & ſic ad præſentationem eius extitit ordinatus, nec ſe hoc egiſſe aliquid illicitum intellexit. Reſpondet quod niſi cum eo fuerit miſericorditer diſpenſatum, nec ad ſuperiores aſcendere, nec in ſuſcepto debet ordine miniſtrare. Ecce pontifex Simoniæ reum eſſe iudicauit, licet vtrumque ignorauerit ſe aliquid illicitum egiſſe, nempe quia in genere quidem peccatum eſſe neſciebat, tamen perſpectum habuit quod agebat in particulari, ſub ea ratione, qua vitioſum erat, tametſi vitioſum eſſe non intelligeret. Item Adrianus illius

Quotlib. 4.

nominis ſextus pontifex, Si quis, inquit, nouit actum, quem facit, eſſe peccatum, ſed nullo modo facturus ſi ſciret eſſe mortale peccatum, peccat lethaliter, quia eligit in particulari actum facere, qui ex ſe eſt peccatum mortale, quamuis enim deteſtetur actionem ſub ratione peccati mortalis conceptam, tamen non eam deteſtatur, ſub ratione ſuæ malitiæ in particulari: debet autem actus vt peccatum non ſit omni modo eſſe inuoluntarius, & in genere ſub ratione illiciti apprehenſus, & in particulari ſub ratione eius, quod eſſentialiter inuoluit malitiam. Par autem ratio de ignorantia iuris eſt poſitiui: ſicut enim in ignorantia iuris naturæ, ita etiam in ignorantia iuris poſitiui ſatis promulgati & vigentis, ſe res habet. Vt ſi quis ignorans hodie ieiunandum eſſe, ieiunaturus ſi ſciret, non

Legis promulgatio quantæ efficaciæ?

ieiunet, cum tamen lex ſatis ſit promulgata, vt merito ſcire debeat, certè non videtur à peccato excuſandus, quia etſi quod agit neſciat eſſe illicitum, neque id ſub ea ratione generaliter concepta velit, vult tamen in particulari, hodie

non ie-

non ieiunare, quod in se est malum, posita & promulgata lege. Si ergo peccati genus nesciam, nouerim tamen in particulari, quod in se suaque natura malum est, non prorsus excusor à peccato. Sicuti nec hæretici dum protestantur in genere, nullo modo recedere velle à fide orthodoxa, & interim in particulari illa credunt, quæ nullam cum catholica fide habent cohærentiam. Vnde Iurisperiti rectè tradunt nihil prodesse protestationem in generali, quando particulari actione labimur in contraria. Præmissis adstipulatur diuus Augustinus: Nam & qui nesciens peccat, inquit, non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamuis & ipse quod nesciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum: Quia voluit ergo, fecit, etiamsi non quia voluit, peccauit, nesciens peccatum esse, quod fecit, ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti non voluntate peccati: quod tamen factum est, peccatum fuit, id est, factum est, quod fieri non debuit. Et alibi, Peccata, inquit, sunt, quæ secundum carnis concupiscentiam vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur. Et infra: dicimus, dimitte nobis debita nostra, propter peccata, quæ fiunt, siue in concupiscentiæ malæ consentionibus, cum ab eo quodlibet, (id est, quod malè concupiscitur) vincitur, quod placet, id est, quod rectè & secundum rationem amatur, siue cum per ignorantiam, malum quasi bonum placet. Quod verò non loquantur hisce locis de ignorantia facti, sed iuris, liquet lib. de fide, & operibus, & Thoma Caietano, vbi negat peccare illam virginem, quæ nesciens viro nupserit alieno, qualis tenetur ignorantia facti. Est igitur de iure positiuo satis promulgato, idem omnino quod de iure naturæ sentiendum, in hac parte, quod eius ignorantia prorsus nunquam excuset.

1. Retract. cap. 2. lib. 6. cont. Iulia. cap. 5. & lib. 1. cont. 2. epist. Pelag. cap. 13.

In 1.2. quæst. 76. art. 3.

Ignorantia iuris non excusat.

Sicut ignorantia causans, excusat peccatum, ita impotentia.

CAPVT XII.

IN præsentiarum haud dissimulandum est, si impotens fueris, nec tamen ex impotentia, sed propria voluntate peccasti, prorsus te non excusat impotentia, quæ tantum est concomitans. Item sicuti ignorantia inuoluntaria ex amore boni finis esse debet, ita & impotentia vt excuset: hanc impotentiam excusare licet ex Apostolo dicente, non ego operor

illud,

illud, sed quod habitat in me peccatum. Pateris vitiosum libidinis motum, reluctans ingemiscis, & tamen excutere non vales, quod re vera peccatum esse cognoscis: per impotentiam excusaris à peccato, teste diuo Thoma & Bonauentura. Nulli dubium est impotentiam causantem & inuoluntariam, excusare à peccato. Difficilior tamen quæstio est, de impotentia concomitante, cum enim verissimum sit, eiusmodi impotentiam non excusare, plurimis tamen id persuaderi nulla ratione potest. Certè cum impotentia concomitans, ad actum sit impertinens, colligitur eam non excusare, neque enim idcirco peccatum admittitur, quia qui admittit sit impotens ad vitandum, sed quia prorsus vitare nolit, non considerans possit ne, an nō possit. Hinc Hugo de sancto Victore: Quando non potest homo, inquit, si vult, propter voluntatem impossibilitas non imputatur, si verò non vult, propter impossibilitatem, voluntas non excusatur. Diuus Ioannes Chrysostomus quoque sic habet, non possunt credere quia nolunt, id est, impotentia non credendi sequitur duram & rebellem voluntatem non credendi, non autem præcedit. Cui assentitur D. Augustinus, dictum est, inquit, non poterant, vbi intelligendum est, quod nolebant. Quod ergo non credebant, culpa erat voluntatis humanæ, non effectus impotentiæ. Ex his facilè fuerit diluere tritum vulgi argumentum, quod contra certissimam de gratia Christi doctrinam, carni mancipati plerumque mouere solet: quibusdam non est gratia, qua bonam & timoratam ducant vitam, nec eam à Deo habere possunt, ac proinde excusandi sunt, quod vel non credant, vel malè viuant. Dicendum in his non impotentiam, sed peruersam voluntatem, cur bonum quod fieri debet, non fiat, causam esse, ac proinde per impotentiam eos minimè excusari debere. Certè vel vnus est Augustinus, qui euidentissimè conuincit, impotentiam concomitantem non excusare. Quod verò dicitur, inquit, Et non dedit Dominus Deus vobis cor scire, & oculos videre, auresque audire, nullo modo increpans, & arguens hoc diceret, nisi ad eorum quoque culpam pertinere intelligere vellet, nec quisquam se ex hoc excusabilem putet. Simul enim ostendit & sine adiutorio Domini Dei eos intelligere & obedire non posse, & tamen si adiutorium Dei desit (quod Augustinus fieri recusat) non ideo esse excusabile hominis vitium, quoniam iudicia Dei quamuis occulta, tamen iusta (vti manifestum fecimus libro de gratia, anno 1573. super præceptis decalogi in lucem emisso, articulo de reprobatione) non est igitur impotentia

1. 2. quæst. 20. art. 4.

Impotentia quæ excusat à peccato?

Impotentia concomitans quæ?

Lib. 2. de Sacramēt. part. 14. cap. 6.

Homil. 67. in Ioannem.

Tract. 53. super Ioannem.

Vulgi argumentum de gratia non omnibus concessa. Soluitur cauillum.

Quæst. 50. super Deut.

Lib. de prædest. & gratia, cap. 13.

Lib. 3. Trinit. 12.

Lib. 2. serm. Domini in monte, & lib. cont. art.

impotentia in causa,cùr peccent,sed per accidens duntaxat coniuncta est malæ voluntati: Quod si ita essent comparati, vt libentius à peccatis abstinere, credere, orare, &c. vellent, & tamen non valerent, indubiè propter impotentiam excusationem prætendere possent: Verum contra hæc militare videtur argumentum, Si peccat homo, in eo quod vitare nequit, ergo peccat, sine libero arbitrio: Liberum arbitrium enim duntaxat locum habet in contingentibus, quæ vitari & omitti possunt, non in necessarijs, Hic autem est necessitas, quia non potest vitare. Respondeo nec committi posse peccatum, sine libero arbitrio, nec versari liberum arbitrium, nisi circa contingentia, quæ fieri possunt, & non fieri, & tamen hunc ipsum, qui quod facit malum, vitare non potest liberè peccare: Quia tametsi necessarium sit quod facit, apprehendit tamen illud vt liberum, cogitans quid mihi vultis multa de possibili vel impossibili referre, qualecunque id sit, vtcunque se res habet, sit possibile, sit impossibile, faciam tamen, & stat mihi sententia ita faciendum. Ex nunc dictis patet, quomodo quædam ignorantia inuincibilis sit peccatum, & non excuset: Potest enim fieri, vt ignorantia, quæ vitari non potest, sic placeat, ac si omnino vitari possit, vt si quis ignoret legem Dei, & non possit non ignorare, quia Deus illi non vult suæ legis iusto iudicio dare scientiam, tamen sic sibi per illam ignorantiam placet, vt siue illam posset, siue non posset, exuere nollet, liquet etiam, quomodo ritè possit intelligi, quod Augustinus dicit, Peccatum est cùm vel non est charitas, quæ esse debet, vel minor est, quàm esse debet, siue hoc voluntate vitari possit, siue non possit, Nimirum, quia etsi quis peccatum aliquod non possit vitare, ita tamen illud amplectatur, ac si vitari posset. ac proinde potentia est ibi concomitans, non causans. Vnde illi hoc peccatum merito imputatur. Constans est ergo sententia Augustini & scholasticorum, impotentiam concomitantem non excusare. Sancta Maria redona quod rogamus, excusa quod timemus. Amen.

Sibi fals. impos. art. 15.

Aliud cauillum.

Nemo peccat in eo quod vitare nõ potest.

Diluit obiectum.

Libr. de perfect. iust. ad rationem, cap. 15.

Ignorantia quæ diminuat peccatum?

CAPVT XIII.

ANte omnia diminuit peccatum ignorantia directè voluntaria, ea est (vt ante præmisimus) quæ per negligentiam studij Diuinæ legis, acquiritur. Similiter ignorantia concomitans, quadam ratione peccatum imminuit, quia efficit

efficit, ne illud saltem sit voluntarium actu. Vt qui in silua putans feram enecare, suum inimicum interimat, æquè facturus etiam, si inimicum esse sciret, ille actu iam saltem non vult occidere hominem, ac proinde aliquanto minus peccat, quàm si scienter hoc faceret. Quinimo ignorantia affectata quadam ratione peccatum diminuit, efficit enim, vt homo actu non violet Dei legem, quamuis alia ratione ex causa videlicet, peccatum aggrauet, quia studio acquisita est, & directè assumta ad hoc, vt peccatum liberè sine aliquo remorsu conscientiæ, perpetretur: ac proinde ignorantia hæc simpliciter, multò magis peccatum aggrauat, quàm diminuit. Quod ipsum bene considerauit sanctus Bonauentura, doctor Seraphicus,
Distinct. 22. quæst. vlt. ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, dicens omnem omnino ignorantiam, inquantum huiusmodi est, aliquo modo excusare & imminuere peccatum, eo quod omnis ignorantia minuit rationem voluntarij & contemtus. Cæteris enim paribus, magis contemnit, qui peccat ex industria, quàm qui ex ignorantia. Deinde respondet tacitæ obiectioni: Contingit, inquit, pari libidine, & malitia peccare eos, quorum vnus ignoranter peccat, alter scienter, ergo non semper magis diminuit peccatum ignorantia, quàm scientia. Respondet negando consequentiam. Quia, inquit, si ille qui ignorat, ex tanta libidine peccat, ex quanta ille, qui cognoscit: ergo ille, qui sic est in statu ignorantiæ, si haberet scientiam, peccaret multò maiori libidine. In præcedenti autem quæstione addit Bonauentura aliquid quod non silentio prætereundum est, cùm enim sibi obiecisset: Ignorantia rerum agendarum est nobis inflicta pro pœna peccati, ergo non est peccatum. Respondet, quod prout nobis inflicta est pœna, est non culpa, prout tamen voluntas nostra aliquo modo circa illam deordinatur, peccatum est ignorantia. Per hoc autem quod quis simpliciter ignorat legem Dei, non considerando aliud, non peccat. Sicut contra, scientia legis per se non est virtus, quod ipsum declarat pereleganti similitudine. Sicut ait, passiones martyribus illatæ, pœnæ erant secundum se comparatæ, tamen ad bonam voluntatem sanctorum libenter eas amore Christi perferentium, merita eis erant. Si quis nunc scripturam requirat manifestam, qua doceatur, ignorantiam grauitatem peccati imminuere: apertissima est illa, Seruus sciens voluntatem Domini, &
Lucæ 12. non faciens, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.

Ex infir-

Ex infirmitate an grauius peccatum, quàm ex ignorantia?

CAPVT XIIII.

INfirmitas in sacris literis, & veterum monumẽtis, non vno accipitur modo. Illi autem ex infirmitate peccare dicuntur, (iuxta eam, quæ à nobis vsurpatur acceptionem) qui bonæ quidem sunt voluntatis, atqui non sunt fortes, vt queant ingruentem superare tentationem. Quemadmodum is infirmus dicitur, qui licet vtcumque in domo ambulare posset, attamen grandia & grauia onera sufferre nequit. De quibus Euangelista loquitur: Qui super petrosa seminatus est, hic est qui verbum audit, & continuo cum gaudio suscipit illud, non autem habet in se radicem, sed est temporalis, ingruente enim minima contentione, vel persequutione propter verbum, continuò scandalizatur. Huc facit sententia beati Augustini, vbi distinguit infirmitatem ab ignorantia & superbia, contra asserentem Pelagium, omne peccatum esse superbiam: Quærat, inquit, diligenter, & inueniet in lege multum discretum esse, à cæteris peccatis, peccatum superbiæ. Multa enim peccata per superbiam committuntur, sed non per superbiam fiunt, quæ perperam fiunt, certè à nescientibus, certè ab infirmis, &c. De hac eadem infirma voluntate, idem pulcerrimè differit, adferens idoneum de Petro Apostolo exemplum. Sic etiam accipiendum est illud Christi, Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma. Sed si aliæ inspiciantur scripturæ, confestim liquidum erit, infirmitatem etiam aliter accipi: Paulus enim infirmos vocat impios, quomodo etiam Matthæus, non egent bene habentes medico, sed malè habentes. Sic etiam intelligendus est Augustinus, duabus ex causis peccamus, ait, aut non videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri iam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis. Similiter alibi: Ignorantia, ait, & infirmitas, vitia sunt quæ impediunt voluntatem, ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Verum non hoc pacto infirmitatem hic intelligimus, quin potius is nobis hoc in negotio infirmus est, qui bonæ quidem est voluntatis faciendi, quod faciendum esse nouit, attamen cum passio vel tentatio, ad contrarium incitat, relicta voluntate bona, succumbit passioni, & cedit tentationi. At dicet

Infirmitas hoc loci quid?

Matth. 13.

Lib. de natura, & gratia, cap. 29.

De gratia & libr. arbit. cap. 17.

Rom. 5.

Cap. 9.

Enchirid. cap. 81.

Lib. 2. de pec. mer. & remis. cap. 17.

dicet quispiam, Quomodo hoc peccatum ex infirmitate committitur, quáve ratione passio bona potest vincere voluntatem? Quia efficit passio, vt dum ipsa hominem vehementer inclinat ad contrarium, mens hominis à recto distrahatur, ita vt nec rectè considerare valeat, quid lex Dei habeat, qua non bene ponderata, committitur peccatum. Deinde obnubilat passio intellectum, vt illud iudicet malum, quod agit verè non esse contra legem Diuinam, quàm bene nouit. Duobus enim modis contingit ex passione peccare: aut enim per eam fit, vt homo actu non consideret legem Dei, vt ita ex furore quodam peccet: aut fit per passionem, vt homo sub Diuina lege, non benè subsumat, & iudicet in particulari, hoc quod agit non esse contra legem Dei: Semper passio intellectum obscurat, vt in altero fallatur, semper obnubilat rationem, ne alterum istorum consideret: Is ergo qui peccat ex infirmitate, semper habet aliquam ignorantiam. Et sanè sanctus Thomas solaribus radijs clarius distinguit inter ignorantiam illius, qui ex infirmitate delinquit, & qui ex ignorantia. Qui etiam laborat ignorantia, habet ignorantiam alicuius particularis circunstantiæ illius actus quem committit. Vt qui occidit hominem, quem omnes iudicant esse feram, ignorat id quod occidit esse hominem. Qui autem peccat ex infirmitate, habet ignorantiam iuris in particulari: Vt qui Petrum furore percitus occidit, non animo repetit se occidendo Petrum, committere homicidium. Haud dissimulanda est hic quæstio, an cæteris paribus, & in eodem peccati genere, grauius sit ex ignorantia peccare, an ex infirmitate? Grauius proculdubiò peccat is, qui ex infirmitate peccat, quandoquidem illius peccatum magis sit voluntarium, quàm illius, qui ex ignorantia delinquit: Eligit enim ex infirmitate peccans, id quod malum est, nouit totum actum suum, omnesque eius circunstantias in particulari: Vt qui occidit Petrum ex rancore & passione, scit Petrum esse hominē, scit se in illum ferrum stringere, quamuis ignoret se id faciendo, homicidium perpetrare: Qui autem peccat ex ignorātia, non nouit totum actum suum, omnesq; eius circunstantias, non enim scit esse hominem, quem occidit, sed omni adhibita ad cognoscendum diligentia, feram esse arbitratur: Duo sunt de ratione voluntarij, vt quis actus sui certior fiat, & vt habeat principium operandi intrinsecus: Ignorantia cognitionem tollit, vt hominem lateat quid agat, Passio autem perfectam rationem principij operatorij tollit: iam qui cognitionem tollit, plus tollit de ratione voluntarij, quàm qui rationem principij operatorij tollit. Iā inquirendum

Peccatur ex passione bipharian.

1.2. quæst. 77. art. 2.

Peccatum ex infirmitate vel ignorantia, vtrum grauius?

Duo in ratione voluntatis consideranda.

restat, an infirmitas nunquam penitus excuset peccatum, vt faciat actum: nullo modo peccatum, nec paruum, nec magnum. Infirmitas profectò nunquam omnino à peccato excusat, nisi penitus vsum rationis adimat, vt si quis passione inordinati amoris, aut immoderatæ tristitiæ amens efficiatur, de quo non est hic disputandum. Ratio est: Quia nunquam tollit penitus voluntarium, Semper enim qui peccat ex passione, eligit actum, quem probè nouit, cum omnibus suis circunstantijs, quamuis in eo fallatur, quod propter passionem non consideret actum illum esse peccatum. Similiter quod passio concomitans non excuset peccatum, manifestum est, quia non tollit illa voluntarium. Vt est quispiam, qui planè intendit Ioannem, inimicum suum perimere, nulla commotus passione: Contingit cùm eum occidit, aliquam concurrere passionem iræ, certè hæc non purgat eum ab homicidio. Nam priusquam illa passione laborabat, habebat voluntatem prauam, & propositum homicidij: Simile iudicium esto, de passione affectata, & voluntariè assumta. Est aliquis, qui firmiter secum constituit hominem, quem putat occidere, quia tamen existimat rem non bene cessuram, tranquilla, & serena mente: accersit sibi iram, maledicit illi, conuiciatur. stomachatur. Quis nesciat eum, per illã studio acquisitam passionem, nulla ratione excusari ab homicidio? Imò verò quis ambigat eum ex illa passione magis reum fieri, grauiusque delinquere? Sed non nihil excusatur per passionem, aut infirmitatem ille, vt saltem peccatum eius non sit tam magnum, quàm alioqui esset, si abesset passio, qui tam bonæ voluntatis est, vt nisi ingrueret passio, nulla ratione vellet occidere eũ, vel quodcunque aliud peccatum perpetrare, at quia ingruit passio, quam superare nequit, passione illa rationem perturbante, labitur in peccatum. Excusatur dico per infirmitatem illam nonnihil, efficit enim illa, ne peccatum sit tam voluntarium, nec tam liberè committatur, quàm alioqui committeretur.

Infirmitas an nũquam peccatũ excuset?

Peccatum ex industria grauius est, quàm ex infirmitate.

CAPVT XV.

IS ex industria, seu destinata malitia peccat, qui non mouetur ad peccandum, ex aliqua ignorantia, aut passione appetitus sensitiui, sed ex deprauatæ voluntatis malitia. Contingit autem peccare ex malitia, per vitiosum habitum, seu

De industria peccare quid?

Ex malitia peccare quid? prauam & inueteratam peccandi consuetudinem, verbi gratia, Cùm quis longa consuetudine in ebrietate & fornicatione, aut auaritia permansit, is iam non ex ignorantia, vtpote instructus non rarò de prauitate actus sui, non vltra peccaret, sed ex voluntatis ipsius deprauatione delinquit. Sed nec ex passione delinquit, simul enim atque transisset passio, peccare desineret, grauiter de peccato admisso ingemiscens, hoc enim *Ex infirmitate colligitur aliquis peccasse, quomodo?* signo deprehendas ex infirmitate aliquem peccare, si statim post admissum peccatum transeunte iam passione, vehementer se peccasse doleat, quemadmodum Petrus confestim post peccatum fleuit amarè. Neque verò duntaxat, peccatur ex malitia, quum voluntas aliquo vitioso habitu, vel consuetudine deprauatur, *Petrus ex infirmitate peccauit.* verumetiam quando à se remouet timorem Dei, vel spem veniæ: Quamdiu siquidem homo timet Diuinum iudicium si peccet, vt plurimum ex infirmitate duntaxat peccat. Posteaquā autem incipit ex animo delere timorem Dei & gehennæ, nec non reijcere spem veniæ, confestim voluntas ipsa deprauatur, quæ sanè maxima est deordinatio, vt quæ fit in voluntatem, non in appetitum sensitiuum, aut intellectum. grauiora autem sunt, quæ fiunt ex deordinatione voluntatis, quàm intellectus.

Dæmonum peccata ex malitia. Aduerte præterea, quod cùm quis ex deprauatione voluntatis peccat, vt plurimum homo bene scit se peccare, vt in particulari, quod agit esse malum, & à Deo prohibitum, & se hoc faciendo, damnare animam suam. Sic vniuersa dæmonum peccata sunt ex malitia. Quandoque tamen ex malitia peccatur, *Paulus quomodo ex malitia peccauit?* quando non putat se homo hoc faciendo peccare, quin potius bene agere, & Deo hac actione obsequium præstare. Sicut peccauit Paulus Apostolus, Christianos, & Ecclesiam Dei acerrimè persequens, sicut peccârunt tyranni occidendo Christianos, & sanctos Martyres. Sicut peccant hæretici moderni, derogando summo Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ. Verum num *Hæretici quomodo ex malitia hodie delinquant?* ideo non sunt dicendi peccare, ex deprauatione voluntatis, quia hoc faciendo sibi persuadent se facere opus Deo, quàm gratissimum. Minimè verò. Ad istud enim falsum iudicium, quo arbitrantur sic peccādo, Deo obsequium exhibere, ex praua voluntate deuenerunt. Sicut de Iudæis dicit Sapiens, qui Dominum Iesum occiderunt. Excæcauit enim illos malitia eorum. Eô enim tandem ducit hominem praua voluntas, vt homo omnem Dei legem ex mente sua extinguat, & vniuersum penitus conscientiæ remorsum tollat, nec id solum, sed legem quoque pessimè oderunt, & Deum legislatorem execrantur, vt cum si possint, maximè velint tollere, quem nec recta iubentem,

nec suæ

nec suæ maiestatis contemtores vlciscentem, ferre possunt. Alijs quidem obscurius, alijs clarius, omnibus tamen malitia deprauatis, hic sensus inest, vt non voluntaria submissione, sed inuiti tantum timoris violentia, ad legis studium trahãtur. Quantam putamus miseros illos monachos (qui nutriebantur in crocæis, iam amplectantur stercora, qui spiritu cùm cœperint, carne consummare velint) in conscientia sua pugnam pati, antequam eo vesaniant, vt omni reiecta castitate, & religione, voluptuosis carnis illecebris se dedant? Primum enim non possunt non in animum inducere, si id faciant, se esse fœdifragos, sic remordet conscientia. Attamen quia tantopere oderunt religionem monasticam, & regularis disciplinæ obseruantiam, ac vehementer, eos concupiscentiæ libidinosi motus inflammant, longa, ac diuturna malitia remorsum illum conscientiæ conantur extinguere, vt sibi persuadeant tandem se violando votum suum, non peccare, comminiscentes vniuersas scripturas, quæ hæc insinuare videntur, aliter esse intelligendas. Liquet igitur peccatum ex malitia, quando voluntas scienter vult malum perpetrare, longè grauius esse, & detestabilius, quàm sit peccatum ex ignorantia, infirmitate, vel passione. A quibus liberare, & expurgare nos dignetur Christus Iesus. Amen. *Apostatæ ex malitia peccant.*

DISTINCTIO
VIGESIMA TERTIA.
Deus quare hominem tentari permisit?
CAPVT I.

QVô facilius in hoc argumento fidei Catholicæ veritatem assequamur, obtutus mentis ad diuum Augustinum sunt dirigendi, dicentem: ideo permissum fuisse hominem tentari, quod paruam mereretur laudem, si propterea benè viuere posset, quia nemo malè viuere suaderet. Sed hac responsione, nondũ sublata videtur propositę quęstionis difficultas. Si enim gloriæ hominis Deus consultum volebat, hoc potius agendum videbatur, ne impugnaretur, cui non solũ nihil gloriæ, sed plurimum etiam dispendij & ignominię ex tentatione obuenturum non ignorabat. Cur igitur in palæstram agonothetã descendere *Libr. 11. de Gen. ad lit. cap. 4.*

permiſit, quem cognoſcebat arma turpiter proiecturum, & manus victas hoſti ſuo daturum. In hac quæſtione locum mihi
Eccleſ. 3. habere videtur illa Sapientis admonitio: Altiora te, ne quæſieris, & fortiora te, ne ſcrutatus fueris ſed quæ tibi præcepit Deus,
Rom. 11. illa cogita ſemper. Et quod Apoſtolus exclamans, ait, O altitudo diuitiarum, ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia, &c. Conſtat interim nullam apud Deum eſſe iniquitatem, neque vlla affectum eſſe iniuria hominem, quod in arenam certaturus deſcendere permiſſus ſit, quando non niſi ſciens & volens ſuperari potuit. Tantum quippe gratiæ adiutorium diuinitus acceperat, vt ſi vellet, haud difficulter hoſti valido victorioſum faceret conflictum, ſed recuſauit: quocirca non in creatorem, ſed in hominem tranſgreſſorem, omnis culpa eſt reijcienda. Reliqua huic quæſtioni accommoda, requirere, capite 2. lib. de præceptis decalogi in lucem à nobis emiſſi, ſtudioſo lectori non videatur ſuperuacaneum. Quem mecum Dominus Deus, ab omni tentatione ne ſuccumbat, eripiat, ac chariſmata æmulari maiora efficiat. Amen.

Caluini error eliditur.

CAPVT II.

NOn ideo reprehendēda, & mala eſt res aliqua, quia nō alteri excellentia, & dignitate æquipollet. Sol eſt multò nobilior Luna, non tamē omnes ſtellas, fecit ſoles. Vinū eſt præſtantius aqua, non tamen omnis liquor efficitur vinum. Animalia lapidibus ſunt digniora, non tamen vniuerſi lapides induêre animalis naturam. Certè apertè liqueret hoc fore contra decorem, & totius vniuerſi vtilitatem, quod Dominus diuerſis rerum ſpeciebus admirabili & inexplicabili ordine decorauit, qui ſanè ornatus requirit, varios generum gradus. Si omnis aqua foret vinum, & omne viuens eſſet animal, magna foret totius vniuerſi imperfectio, quandoquidem complures vtiliſſimæ rerum ſpecies ei deeſſent: Ita licet angelica natura, multis numeris antecellat humanam, conueniebat nihilominus ad Dei, cum ſapientiam, tum potentiam melius declarandam, eſſe, & corporales ſubſtantias: Et licet (vt ad id, quod hoc loci propriè tractatur, veniamus) longè melior ſit creatura, quæ nequit peccare, vt fuit angelica (nam licet aliquo tempore, exiguo peccare potuerit, quia tamen illud erat momentaneum, rectius non peccare poſſe, ad ipſorum creationem refertur) tamen re-

quirebat

quirebat vniuersi decor, vt fierent etiam rationales creaturæ quæ peccare possent, si vellent. Quemadmodum autem vniuersi pulcritudo requirit diuersos rerum gradus, ita non minus requirit Dei prouidentiam, qua eo modo, quo conditæ sunt vniuersas creaturas regat, & vnamquamque rem secundum illam, quam in prima institutione conditionem accepit administrat: Aliàs enim videretur Deum pœnitere (id quod imperfecti, & imprudentis opificis est) operis sui: Quare sequitur, vt qui homines crequerat, sic vt peccare, & non peccare possent, ita eosdem gubernaret, vt si vellent, permitteret eos peccare, prout erant conditi. Ac proinde non debuit Deus impedire, ne homines tentarentur, aut non peccarent, vt opinatur Ioannes Caluinus. Aliter sanè diuus Dionysius Areopagita: Prouidentiæ est non corrumpere res (ait) sed prout conditæ sunt, conseruare. & beatus Augustinus, sic administrat omnia quæ creauit, vt etiam ipsa proprios motus exercere sinat. Ex quo sanè non sequitur, Deum hominem condidisse, vt peccaret. Ordo enim, & vniuersi pulcritudo, tantum requirit diuersitatem substantiarum, sicuti idem inculcat, cùm de Genesi ad literam, tum verò maximè alibi. Respondetur (ait) non ipsa peccata, vel ipsam miseriam perfectioni vniuersitatis esse necessariam, sed animas inquantum animæ sunt, quæ si velint peccant, si peccarint miseræ fiunt. Et alio in loco, Naturas omnes Deus fecit non solum in virtute, atque iustitia permansuras, sed etiam peccaturas, non vt peccarent, sed vt essent ornaturæ vniuersitatem, siue peccare, siue non peccare voluissent, &c. Quæ omnia eò dicuntur, vt eluceat quàm hic cæcutiat Caluinus, qui non est veritus effutire, Deum suo libero arbitrio procurasse lapsum primi hominis in peccatum, quinimo decreto suo, quia id expedire censebat, sic ordinasse: Deus, inquit, sic ordinauit hominem ad certum finem, ergo vel ad illum finem, quem est consequutus, vel ad illum, quem non est consequutus. Non ad illum finem, quem non est consequutus, quia hac ratione, intentione sua Deus frustratus fuisset: Ergo ad finem, quem sunt assequuti. Id si fateâre, ergo Deus ordinauit, quicquid sunt consequuti, ipsa etiam reproborum peccata, quibus ad suum finem, nempe æternam damnationem peruenerunt. Sic argutatur & fallitur, si enim Augustinum prælibatis locis, aut sanctum Thomam inspexisset, nullo modo aduersatus fuisset. Omnis autem error ex eo procedit, quod Deus tanquam imperfectus concipitur, Qui certè quum aliquid ordinare, in aliquem finem, aut aliud quippiam propter

7. De Ciuit. Dei, cap 30.

Lib. 3. de lib. arbit. cap. 9. & 11.

Cap. 15.

Caluini error refellitur.

1. part. quæst. 19. art. 15.

finem operari dicitur, non significatur operationem Dei, quæ vna & eadem est cum Diuina natura, ordinari ad aliquem finem, vtpote qui nec habet, nec habere finem potest, quippe qui aliundè sibi sufficiat, non quærens aliquid, quod in se non habeat. Homo est, & omnis creata natura, quæ finem quærit, quæ propter finem (vtpote in se imperfecta, nec sibi sufficiens) operatur. At quando ipse Deus aliquem operando finem respicere, atque intendere dicitur, non aliud significatur, quàm opus, seu creaturam Dei ordinari in aliquem finem. Sic Deus est causa hominis efficiens, & eius finis æternæ, videlicet beatitudinis: ac proinde admittimus Deum fecisse hominem propter finem, quia præstituit homini in creatione sua aliquem finem, vitam nempe æternam. At inquis, plurimi non sunt votis potiti, fateor. Homo enim mutabilior Euro, Zephyro instabilior cum sit, potest non difficulter si velit, se à fine illo auertere. Neque tamen ob hoc fine suo Deus frustratus esse dicendus est, vt qui finem non habet, vti iam dictum est, sed effectus Dei, seu creatura, cuius gratia condita est, non assequitur.

Tentatio an à quoquam valeat desiderari?

CAPVT III.

Tentationem interiorem desiderare nō licet.

TEntatio scaturiens ex prauo motu intrinseco, nempe concupiscentia ad iram, vindictam, libidinem, inanem gloriam, &c. nulla ratione, ne à fortissimo quidem appeti, vel desiderari debet. Suffecerit si eiusmodi tentatio Deo permittente ingruat, ei consensum non præbere. Si autem appetis sponte, & voluntariè. (Voluntaria enim omnis mali electio est peccatum, eoque grauius, quo graue est quod appetis) iam peccasti. De huius farinæ tentationibus & motibus,

Rom. 7. Apostolus ait: Quod odi malum, illud facio: & iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Oderat huiusmodi tentationes, tantum abest vt quæreret. Cæterum tentatio illa, quæ est ab exteriori, tribulatio scilicet, afflictio, mors, quàm tyranni, & persequutores infligunt, interdum desiderio fœlicitatis propriæ & ædificationis proximorum, à sanctis, & in religione Christiana firmiter radicatis appeti potest, quomodo interdum sancti leguntur loquuti, Vtinam contingat mihi pro Christo martyrium subire, de quibus sanctus Augustinus: Sicut se infirmitas sanctorum, firmitasque habuerit,

Tentationem exteriorem, quomodo liceat desiderare?

Lib. 14. Ciuit. Dei, cap. 9.

buerit, metuunt tentari, cupiunt tentari, dolent in tentationibus, gaudent in tentationibus: vt enim metuant tentari, audiunt. Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Vt autem cupiant tentari, audiunt, quendam virum (cui occulta sapientiæ à Deo erant manifestata) fortem dicentem: Proba me Domine & tenta me, vre renes meos, & cor meum, id est, exerce me tribulationibus. Vt doleant in tentationibus, vident Petrum flentem, vt gaudeant in tentationibus, audiunt Iacobum dicentem: Omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis. Hæc ille. At sanè per quam periculosum est, tam fortem, & validum se facere, vt sufferendis huius palæstræ tentationibus sufficere se iactitet, frequenter enim extra tentationem constitutæ, in tranquillo portu mira sibi persuadet humana infirmitas, & cum ad rem peruenitur deficit, & infirmitate succumbit. Præclarum exemplum nobis in Petro exhibetur, qui toties firmato animo promiserat se paratum fore, pro Domino squalores carceris, acerbitatemque mortis sustinere, sed quàm perseuerarit, omnibus est in confesso. Huic non absimile est paradigma cuiusdam sancti, de quo legimus in Ecclesiastica historia, qui quum primò, sponte bestias aliaque tormenta accerseret, pertractus ad supplicia, fidem pro qua mortem oppetere debebat, abiurauit. Hinc diuus Augustinus lib. de sancta virginitate: Vnde scit virgo, inquit, per quàm solicita, quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino: ne fortè propter aliquam incognitam sibi mentis infirmitatem, nondum sit matura martyrio. Exercendæ ergo virtutis gratia, à iustis charitatis igne potissimum inflammatis, tentatio desiderari potest, quia energia, ignis præsentia contrarij, magis vim exerit, quàm opprimatur, sicut ventus fornacem perflando magis accendit, licet candelam extingueret. Vre hic Domine, & seca, sed me miserum semper misericorditer conserua. Amen.

Galat. 6.
Psalm. 25.
Matth. 26.
Iacobi 1.
Lib. 4. ca. 15.
Cap. 44. & 47.

De scientia primorum parentum.

CAPVT IIII.

Qvandoquidem distinctione 20. de scientia paruulorum status innocentiæ disseruimus, impræsentiarum agendum occurrit, qualis fuerit ipsius primi hominis Adæ scientia. Sicut enim primus Adà homo perfectus fuit creatus in

corpore, ita & ab initio creationis suæ, perfectam omnium rerum scientiam (quas quidem ipsum pro suo illo statu scire conueniebat) habuit: neque enim tam multa cognouit, quàm postea in cælum translatus. Et hoc est quod sanctus Moyses intendit ostendere, dum tam studiose dicit, Deum cuncta terræ animantia, & vniuersa volatilia cæli adduxisse ad Adam, vt videret, quomodo vocaret ea. Appellauitque Adam, nominibus suis cuncta animantia & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ. Quibus verbis Moyses insinuare intendit, ingentem Adæ scientiam, qua omnium animantium nouit naturam, proprietates, vsus, officia, vt conuenientia singulis nomina indere quiuerit. Quemadmodum, cùm de Deo in Psalmis dicitur, Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat: non est sensus, Deum singulis stellis grammaticum imponere nomen, sed potentia & sapientia Dei designatur, qua singularum stellarum quæ propemodum infinitæ sunt, ita habet perspectam naturam, & proprietates, vt posset singulis congrua indere nomina, sicuti bene annotauit Magister §. C. vbi docet hominem peccando, hanc rerum naturalium scientiam non amisisse, quod quidem verum est: licet enim fermè tota sit perdita, ita vt homo merè necessaria tantum seruarit, eaque in radice potius, quàm in veritate remanserint in humano ingenio, non tamen penitus est extincta. Potest siquidem humanum ingenium scientiam horum longo vsu, studioque comparare: Et idcirco in scripturis homo de huiusmodi non eruditur, sed de scientia animæ, quàm peccando amisit. Scientiam autem animæ appellat Magister, qua animæ necessaria, ad æternam salutem prouidentur. Hæc est per peccatum penitus perdita omninoque extincta, ita vt nulla eius radix, nulla semina in natura post peccatum remanserint, ita vt necesse erat hominem in æternum perire, ni Deus hanc homini rursum restaurasset. Quod autem ante peccatum, Adam suum cognouerit creatorem, manifestè ostendit Geneseos scriptura, fecit Deus hominem rectum, neque enim rectus esse posset, si Deum & conditorem suum nesciret. Cognouit autem ante peccatum, longè perfectius Deum, quàm nos modò ex Euangelio, aut tota scriptura per fidem cognoscimus. Nos siquidem in cognitionem Dei venire oportet, quem prius ignorauimus, Adam autem ab exordio creationis suæ, notitia Dei plenus extitit. Deinde nostra cognitio Dei, creaturarum occasionibus, subinde impeditur, nec est fixa, sed imperfecta, ac non raro interrupta; at Adæ cognitio Dei, in creaturis fixa erat, stabilis

Adæ scientia qualis?

Scientia Adæ & nostra differunt.

ſtabili adhæſione continua, ſerena ac perpetua. Omnibus & interioribus & exterioribus ſenſibus illi occurrebat Deus. Quoquo ſe vertebat, quicquid rerum agebat, comedebat, bibebat, ambulabat, &c. ſemper Dei maieſtatem & ſapientiam habebat mentis obtutibus præfixam, nobis autem hic in terra repentibus miſeris peccatoribus magnum reputatur, ſi interdum per quartam horæ partem, ex pulcritudine ornatus cæli & terræ, & reliquis beneficijs ſingulari benignitatis diuinæ largitate impartitis, ad creatoris contemplandam pulcritudinem eleuemur. Quotuſquiſque noſtrum ita ad Dei conſpectum debile explicat veſtigium, vt retrogrado modo quaſi reuerberatus non reſiliat? Quotuſquiſque quæſo noſtrum eſt ita comparatus, Deoque innixus, vt Deum ſibi iugiter conſtituat præſentem? Non tamen tam excellenti fulſit cognitione Adamus, qua fruituri ſunt beati, non enim diuinam conſpicabatur eſſentiam in ſcipſa, ſed veluti in ſpeculo duntaxat: poſt huius vitæ verò miſeriam, videbimus ſicut eſt, facie ad faciem. Neque tamen ita in ænigmate quali nos præditi ſumus, in hac ærumnoſa miſerabilis vitæ calamitate: ænigmata enim hic ſunt nimijs obſcuritatibus obnubilata, neque enim perfectè creatura repræſentat creatorem, ſed multo imperſectius quàm ſpeculum aliquod, hominem. Ex noſtra etiam corruptione & mentis cæcitate, magna oritur obſcuritas, quam Adam priuſquam peccarat, non habebat.

Adam non vidit Deum vt in cælis exhibetur.

Ænigmata hic qualia?

Adam quam ſcientiam peccando amiſerit?

CAPVT V.

ORdinis ratio poſtulat oſtendi, quomodo Adam ſcientiam ad ſalutem neceſſariam perdiderit. Illud ante omnia tenendum eſt ipſum peccando fidem aliaque chariſmatum dona amiſiſſe: hac fide tanquam ſalutis fundamento & ipſe primus homo dirigi debebat in viam ſalutis æternæ. Credebat ſe creatum ex nihilo, credebat Deum eſſe, qui præceperat ne de ligno ſcientiæ boni & mali comederet, credebat parata peccatoribus ſupplicia, iuſtis autem vitam æternam eſſe repoſitam. Paratus erat omnia credere, quæcunque ſibi Deo reuelare placuiſſet: quod autem Adam inſignem hanc fidei virtutem amiſerit, cum ſupra ſatis ſuperque mõſtratum ſit, illud tamen etiam apertiſſimè conuincit ſcriptura ſuperius etiam tractata. Ecce Adam quaſi vnus ex nobis. Et hæc etiam eſt beati Gregorij ſententia, dicentis non Adam tantum voluiſſe

Adam amiſſe fidem videtur.

peccati sui authorem Deum facere, sed & Euam, quum dixit, Serpens decepit me, & comedi. quasi dicat, debebas tu serpentem Paradiso excludere, ne nobis loqui atque imponere potuisset, & proinde in te nostra culpa redundat. Sic enim habet, Interrogatus est homo, vbi esset vt perpetratam culpam respiceret, & confitendo cognosceret, quam longè à creatoris sui facie abesset. Cumque excusare peccatum voluit vir per mulierem, mulier per serpentem, auxerunt culpam, quam tueri conati sunt. Obliquè Adam Dominum tangens, quod ex se peccati eorum author extiterit, qui mulierem fecit. Et Eua culpam ad Dominum referens, qui serpentem in Paradiso posuisset. Qui enim ore diaboli fallentis audierant: Eritis sicut dij, quia Deo esse similes in diuinitate nequiuerunt, ad erroris sui cumulum, Deum sibi facere similem in culpa conati sunt. Hactenus ille. Iam & illud non parum arguit eos fide perdita & cognitione Dei amissa in infidelitatem præcipites ruisse, quòd se à Dei facie conabantur abscondere, arbitrantes se à Deo videri & deprehendi non posse, si inter condensos arborum ramos in Paradiso delitescerent. Cum audissent, inquit sanctus Moyses, vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso, ad auram post meridiem (quia dæmonium meridianum maximè crapulatis insidiari solet) abscondit se Adam, & vxor eius, à facie Domini, medio ligni Paradisi, fugiamus ad interiora Paradisi, ne nos deprehendat, subducamus nos aspectui eius, inter frondosa & condensa arborum latitando, ne nos malitiæ insimulet. His adstipulatur sanctus Ambrosius super illud Lucæ, Expoliauerunt eum, Caue, inquit, ne ante nuderis, sicut Adam nudatus est cælestis mandati custodia, & exutus fidei vestimento, &c. fides est spirituale donum defendens hominem ab iniurijs diaboli, per quam primus homo etiam corporaliter nudus ante peccatum non erubuit, nec vllum sensit incommodum, teste Augustino, qui etiam allegat Olymphium Hispanum Episcopum, Si fides, inquit ille, vnquam in terris incorrupta mansisset, ac vestigia defixa tenuisset, quæ signata deseruit, nunquam protoplasti mortifera transgressione vitium sparsisset in germine, vt peccatum cum homine nasceretur. Prosper posita septima ista Cassiani hæretica definitione, Concepit Adam post præuaricationem, quam non habuerat scientiam mali, boni verò scientiam quam acceperat, non amisit: subnectit, habebat Adam ante peccatum speculatiuam scientiam mali, licet non experimentalem. Cum vtrumque, inquit, sit falsum, quia & à quanto malo

Lib. 22. moralium, ad illa verba, Si abscondi. ca. 31. Iob.

Dæmonium meridianum.

In 10. caput Lucæ.

Lib. 1. cont. Iulian. cap. 3.

malo Adam cauere deberet, Deo monente prædidicit, & in quanto bono esset constitutus, dum diabolo credidit oblitus est. Circa finem hæc contra Collatorem. Ante autem in eodem opere, sic loquitur, In Adam omnes peccauerunt, & quicquid ille perdidit, perdiderunt: perdidit autem primitus fidem, perdidit continentiam, perdidit charitatem, spoliatus est sapientia & intellectu, carnis consilio & fortitudine, altiora impiè sectando à veritatis scientia & obedientiæ pietate deiectus est, nec ipso saltem timore sibi reliquo, vt ab interdictis vel metu caueret pœnæ, qui abstinebat amore iustitiæ. nec multo post, Postquam autem se deceptori suo subdidit perdidit boni scientiam. Iustitiam enim iniquitas depulit, humilitatem superbia destruxit, continentiam concupiscentia elisit, infidelitas rapuit fidem, captiuitas abstulit libertatem, nec potuit illic vlla portio residere virtutum, in quo tanta irruperat turma vitiorum. Et tandem concludens in fine contra Collatorem, ait: his itaque hæreticis nempe definitionibus, hoc docetur, hoc scribitur, hæc editis disputationibus prædicatur, quod Adam peccante, anima eius læsa non fuerit, sanumque in eo manserit (liberum arbitrium) vnde peccauit. Siquidem scientiam boni quam acceperat non amisit, nec potuerunt posteri eius id perdere, cuius damnum nec ille pertulerit, &c. his adstipulatur Fulgentius, Peccans, inquit ille, qui sine peccandi necessitate creatus est, in eo quod animæ sanitatem delinquendo perdidit, etiam illa cogitandi, quæ ad Deum pertinent, amisit protinus facultatem: oblitus est enim manducare panem suum, & expoliatus vestimento fidei, (alludit ad præfata sancti Ambrosij verba) carnaliumque concupiscentiarum vulneribus sauciatus, sic iacuit oppressus, sub ditione peccati, vt nullatenus aliquod bonæ voluntatis initium habere potuisset, nisi hoc Deo gratis donante sumsisset. *Lib. de incarnat. & gratia Christi, cap. 13.*

Argumenta contra præmissa militantia diluuntur.

CAPVT VI.

PRælibatis obuiare videntur, quæ passim adferri assolent, Adam post peccatum timuit Deum, ergo cum cognouit, neque enim aliquis timet, cuius notitiam non habet. Respondendum est, Adam timuisse Deum non recta in eum

in eum fide, aut vera Dei cognitione, sed naturali quadam cognitione, naturæ relicta, qua potestatem ciuilem timemus. Timuit. inquam, Deum non sub ratione veri Dei, sed sub ratione qua eum esse hominem existimauit, vel angelum seuerum scelerum vltorem, ac iustitiæ exequutorem, quemadmodum latro timet prætorem. Ille verò timor qui homines inuadit tali modo, non est donum Dei, nec in sacris eloquijs commendatur, cuius rigor in veteri vigebat testamento. Timebat igitur Adam non Deum, sed illum qui iam in corporali & humana quadam forma sibi loquebatur. Antea enim illis intrinsecus, vt illis Deus loquebatur, nunc autem post peccatum quando audierunt vocem Dei in Paradiso deambulantis, non nisi per creaturam effectum est, secundum Augustinum: Cum Deus, inquit, intrinsecus auertit faciem suam, & fit homo perturbatus, non miremur hæc fieri, quæ similia sunt dementiæ, per nimium pudorem & timorem. Sanè dementiæ est, à facie Dei se velle vsquam abscondere. & capite sequenti, Quid mirum, si superbi volentes esse sicut Dij, euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum? His conformis est sanctus Gregorius: primus homo, inquit, post culpam audacior extitit, dicens, mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi: qui quidem per timorem semetipsum absconsurus fugerat, sed tamen etiam requisitus innotuit, quantum etiam timens timebat. Cum enim ex peccato præsens pœna metuitur, & amissa Dei facies non amatur, timor ex timore est non ex humilitate. Hæc ille. Addunt insuper quidam, nunc peccando non amittitur fides, & Dei cognitio, quamlibet quis grande peccatum committat, ergo non est vero simile, Adamum suo peccato fidem & Dei cognitionem amisisse, neque enim minus potens peccatum nunc est, quàm tunc temporis, Quod iam homo nō amittat grauissimo etiam scelere perdetrato fidem & Dei cognitionem, testibus sanctis Hieronymo, Augustino, & Concilio Tridentino: prouenit ex immensa Dei misericordia, peccati effectum impediente. Quos enim Christus semel sua gratia illuminauit, nunquam aut admodum raro pro meritis suis eos totos à se abijcit. Si Dauidi fecisset prout pergrande scelus adulterij promeritum erat, in æternum eum à facie sua cum Saule proiecisset. Vnde etiam creberrimis precibus instat Propheta, Ne proijcias me à facie tua, & non secundum peccata nostra facias nobis: hinc beatus Augustinus, Illa est peccati pœna iustissima, vt amittat vnusquis-

Lib. 11. de Gen. ad litr. cap. 33.

Lib. 4. moral. cap. 25.

Fides iam non amittitur peccatu.

In 12. caput Matth.
Lib. 13. de Trinit. ca. 18.
Seß. 6. ca. 15. & 18.

Psal. 50.
Lib. 1. de lib. arb. cap. 18.

vnusquisque, quo benè vti noluit, cum sine vlla posset difficultate, si vellet, id est, vt qui sciens rectè non faciat, amittat scire quod rectum sit, & qui rectè facere cum posset, noluit, amittat posse cum velit. Atque ita in Adam, qui primo peccauit, permissum est peccatum secũdum meritum & iustitiam, quod potuit agere, vt peccati grauitas ostenderetur. Nec mirum est sanè, gratiæ Dei adscribendum esse quod peccator peccando fidem & Dei cognitionem non perdat, quum & illud sit gratiæ non mediocris, quod iustus eam ad mediam horam retineat: omnis siquidem perseuerantia etiã ad modicum in quaslibet virtute tempus, est magnæ argumentum misericordiæ, secundum Aug. & Concil. Tridentinum, nec non Gregorium Magnum. Est & tertium aduersus prædictum argumentum: Magister, inquiunt, dicit & benè non perijsse penitus per peccatum scientiam artium mechanicarum, & rerum temporalium, quippe ad quam homo studio & labore tandem peruenire potest, ergo non planè extincta fuit in Adam cognitio Dei, ad quam tandem ingenti studio & ingenij difficultate deuenitur. Atqui nullo modo est hic par ratio, de scientia Dei, & artium mechanicarum: ad illam enim humanum ingenium quantumuis nobile, & excellens, nulla industria pertingere valet, quinimo non parua hic etiam gratia redemtoris opus est, sicuti prosequitur beatus Augustinus, & Prosper, & Beda in primum caput ad Romanos. Quibus locis docetur neminem absque singulari Dei adiutorio, ad vnius veri Dei notitiam pertingere posse, nec mysterium sacræ triadis inuestigare valere, quæ est benedicta in sæcula. Amen.

Lib. de corrept. & gratia. cap. 10. 7. & 8. de bo. perseueran. cap. 6. Sess. 5. sess. 13. 16. & 22. Lib. 1 moral. cap. 21. Lib. 2. de ciuitat. Dei, ca. 7. & 10. cõfess. cap. 6. nec nõ homil. 55. de verb. Domini. Lib. 2. de vocat. Gent. cap. 12.

DISTINCTIO VIGESIMA QVARTA,

cum quinque sequentibus.

CAPVT I.

TRactatus de gratia, & libero arbitrio, est latebrosus & cauernosis anfractibus plenus. Periculum siquidem est, ne si errorem Manichæorum & Lutheranorum libero arbitrio nihil tribuentium euadamus, in damnatam incidamus hæresim Pelagianorum, arbitrio hominis totum committentium. Et rursus, Si gratiam Dei contra gratiam Dei extollamus

Lib. 1. cont. Pela. & Cælest. cap. 47. Lib. 4. cont. Iulia. cap. 4. Epistola 46. ad Valēt. & lib. 2. de pec. merit. & remiss. cap. 18.

lamus, summopere cauendum, ne cum Lutheranis & Manichæis libertati arbitrij derogemus, secundum sanctum Augustinum: Curæ nobis esse debet, inquit, ne sic defendamus gratiam, vt liberum arbitrium auferre videamur. Rursum ne liberum sic efferamus arbitrium, vt superba impietate ingrati Dei gratiæ iudicemur. Pro dilucidiori igitur huius tractatus declaratione, operæpretium fore duximus, certa quædam capita & membra constituere, pauloque alium ordinem in hisce rebus pertractandis, quàm Magister obseruare, plus fortè lucis & commoditatis Deo opitulante lectori studioso allaturum, faxit diuina benignitas vt non solum impræsentiarum de gratia disserere valeamus, verumetiam vt cumularioribus gratiarum charismatibus confirmati, Deo & hominibus famulari placereque possimus. Amen.

Quid liberum arbitrium?

CAPVT II.

Animæ vires duplices.

Haud ignorandum est, duplices existere vires animæ, superiores & inferiores. Superiores sunt mens & voluntas, mens quæ alio nomine intellectus & ratio appellatur, est quæ de rebus iudicat, ac bona à malis discernit. Inter quas tamen nomenclaturas hoc offenditur discriminis, quod mens aut intellectus vocitatur, dum ijs comparatur, quæ citra inquisitionem quieta contemplatione intuetur. Ratio verò, quando discursu quodam & progressu ex alijs alia colligit: quam Magister post Augustinum diuidit in superiorem & inferiorem, non quidem plures distinguens potentias, sed vnius atque eiusdem rei diuersa explicans officia, vna quippe atque eadem animæ vis est, quam modò superiorem modò inferiorem rationem appellant: sed superior dicitur, quatenus per eam contemplamur & consulimus legem Dei ęternam: inferior verò, dum leges siue rationes temporales consideramus. Porrò voluntas est, quæ vel obtemperat vel repugnat iudicio rationis, & inferioribus viribus imperat. Inferiores sunt sensus sensuumque affectus, hoc est, appetitus sensitiui. Inter has autem facultates superiores illæ, id est, ratio & voluntas homini sunt propriæ, ideoque vires humanæ appellantur: posteriores verò etiam brutis communes sunt. Cum autem liberum arbitrium discriminet rationalia ab irrationalibus: constat ipsum pertinere ad rationem simul & volunta-

Libertas arbitrij respicit rationem, & voluntatem.

tem:

tem: nam si tantum rationem comprehenderet, & non voluntatem, liberum arbitrium posset quidem actum refrenare, sed non posset in actum exire. Si rursus haberet voluntatem & non rationem, posset vtique in actum exire, & illi imperare, sed non refrenare, itaque dominium non haberet. Quemadmodum igitur ex concursu duorum hominum resultat facultas ad portandum lapidem grandem, quem alter eorum ferre non posset, vel quemadmodum ex oculo & manu resultat scribendi potestas, ad quam altera pars non sufficeret, sic ex concursu rationis & voluntatis resultat quædam ad aliquid faciendum libertas. Vtri tamen harum potentiarum prius conueniat, instituti videtur esse Philosophici. Quantum autem nostro proposito sufficere possit, maximè & principaliter progredi videtur liberum arbitrium, ex voluntate, præcedente tamen rationis iudicio. Sicut namque voluntas non mouetur, ad obiectum, acceptando illud, vel respuendo, nisi præambulo rationis iudicio: sic etiam non habet approbare vel reprobare, eligere seu refrenare, actum propriũ, nisi rationis actus præcedat, qui dictet ipsum esse bonum vel malum, prosequendum aut vitandum. Ex his liquet quod libertas arbitrij, in ratione quidem ordiatur, sed in voluntate consummetur. Sicut namque grammaticam pronunciamus artem rectè loquendi, nec tam loquutionem, quàm in ipsa loquutione rectitudinem loquendi, consideramus, vbi loquutionem ministrat natura, sed ars rectitudinem præbet: haud secus dum liberæ electionis, vel liberi arbitrij principium quæritur, magis quæritur quod libertatem, quàm quod iudicandi facultatem præstet.

Similitudinibus probat quod docet.

Definitio liberi arbitrij.

CAPVT III.

SVmenda est definitio ex Hugone de sancto Victore, qui in quodã libro quem Summam Sententiarũ inscripsit, his vtitur verbis, Liberum arbitriũ est habilitas rationalis voluntatis, qua gratia assistente bonum, vel eadem desistente malum eligitur. Cuius definitionis primam partem, nẽpe quod sit habilitas rationalis voluntatis, sumsit Hugo ex initio tertij libri periarchωn siue de principijs ipsius Origenis. Alteram verò partem qua bonum eligitur gratia operante, sumsit ex Augustino. Subijcit Magister, dici liberum propter voluntatem, quæ ad vtrumlibet flecti possit. Voluntatis, inquit Augustinus, arbitrium,

Tract. 3. cap. 8.

Definitio lib. arbitrij, vnde sumta.

Lib. 2. cont. 2. epistolas Pelag. cap. 5.

Lib. 2. de pec. mer. & re. cap. 18.

bitrium, huc illucque liberum flectitur. Dicitur autem liberum arbitrium esse facultas rationis, cum quia non est nisi in rationali natura Dei, angeli, hominis, tum etiam quia ipsa voluntatis libertas in ratione & intellectu tanquam radice quadam fundatur: alioqui liberum arbitrium propriè loquendo re non differt à voluntate, nisi quod voluntas ad plura se extendat, quàm liberum arbitrium: volumus enim multa in quibus expetendis liberi non sumus, velut in appetitu beatitudinis. Respicit igitur, in quibus sumus, & ea in quibus non sumus liberi.

Liberum arbitrium & voluntas differunt,

An libertas necessitati opponatur?

CAPVT IIII.

NOn opponitur seruituti hæc libertas, quòd conditionis nomen est, à qua, qui liberi sunt, domini vocantur, nulli superiori subiecti, eo quod libertas de qua in præsenti agitur, æquè & seruis & liberis, peccatoribus & iustis communis sit. Sed nec coactioni opponitur, vt arbitrium liberum dicatur, quia non cogitur, nam bruta animantia in plerisque non coguntur, vt cum sponte alimenta sumunt, & vltro ad suas feruntur voluptates, quæ tamen liberi arbitrij sunt expertia. Quin potius opponitur naturali necessitati, vt voluntas libera censeatur, quia necessario non eligit ea, ad quæ comparata dicitur esse libera, sed possit in vtrumlibet flecti, vt cum ambulare volo, libera voluntas est, possum enim velle quiescere: & cum volo quiescere, libera itidem est voluntas, quia velle possum ambulare. Eiusmodi libertas brutis animantibus nequaquam inest, quæ naturæ impulsu, & necessitate in ea feruntur quæ concupierunt, nec valent suos appetitus rationis discerniculo cohibere. Verum istud ipsum aliquanto latius venit explicandum, quemadmodum videlicet libertas hæc naturali necessitati opponatur. Neminem latere arbitror, per hoc quod homo libero arbitrio præditus esse dicitur, tribui ipsi quandam excellentiam, & dignitatem præ brutis animantibus. Quemadmodum igitur Dei perfectio, & excellentia singularis in eo posita est, quod omnia pro arbitrio operetur, non ex aliqua necessitate, sed pro liberæ voluntatis arbitrio, neque enim eum quicquam adegit ad mundi creationem, sed liberrimè eum fecit, quia voluit, cum possit nec velle, nec facere. Item quos vult iustificat, damnat quos vult, nulla necessitudine adductus, cum & eos, quos saluat, damnare, & quos damnat, saluare potuerit, & generatim, quæcunque circa res creatas operatur,

Liberum arbit. quibus non opponatur?

Brutis non est liberum arbitrium.

Deus liberrimè agit.

operatur, ea summa libertate efficit, ac vult. In eoque relucet dominans illa natura Diuina, hoc quippe verè est naturæ dominantis, ad res inferiores non esse adstrictum. Quemadmodum igitur in eo consistit excellentia naturæ Diuinæ, vt pro arbitratu suo liberrimè agat, cunctaque gerat, ita ad excellentiam naturæ humanæ, similis in agendo & appetendo libertas pertinet: est enim homo tanquam Dominus quidam terræ, & bestiarum omnium constitutus, & proinde adstrictus non est, ad eas res, quæ sunt illi subiectæ, quin potius potest illis, si libuerit vti, sin minus non vti. Vnde perspicitur libertatem eam, ex qua liberū dicitur arbitrium, excludere necessitatem ad vsus rerum, patet ex libertate Dei, qui si non posset aliud, aut aliter facere, quàm facit, re vera nequaquam esset liber, sed quemadmodum scriptura testatur, diuidit singulis prout vult. Idem demonstratur ex libertate primi hominis, cùm esset adhuc integer, de quo beatus Augustinus: Adam, inquit, libero ad faciendum, & non faciendum animi motu, non carebat. Sic & diuus Basilius: Creatura, inquit, rationis particeps, facta est libero arbitrio, soluta enim hæc omni necessitate, & vitam in sua potestate à Deo cōstitutam accipiens, &c. Præclara sunt, & studiosè obseruanda, quæ de hac expressit sanctus Augustinus. Nulla, inquit, culpa deprehendi potest, vbi natura, necessitasque dominetur, &c. Quis enim lapidem dicat peccare cadendo, aut canem voraciter comedendo? Hoc interesse dicit, inter liberi arbitrij motum & naturalem, quod ille cohiberi possit, iste non possit. Et alibi docet, libertatis arbitrium, huc & illuc liberum flecti. Itaque patres orthodoxi, libertatem arbitrij in eo positam esse definierunt, vt possit ad vtrumlibet oppositorum flecti, nulla necessitudine constrictum.

Libr. 1. Retract. cap. 15.

Hom. 9. quod Deus non est author malorum.

Vbi non est libr. arbit. nec peccatum

Lib. 3. de lib. arbit. cap. 1.

Discrimē inter lib. arbit. motum et naturalem.

Lib 2. de pec. merit. & remiss. cap. 8.

Deo & angelis quomodo liberum arbitrium?

CAPVT V.

PRælibata liberi arbitrij descriptio paulò restrictior est, nec purè explicat arbitrij libertatem, sed qualitatem admiscet, quæ aliquando coniuncta est, aliquando non est, propter eius rei conditionem, quæ libero arbitrio prædita est. Nam posse ad bonum & malum inflectere voluntatem, illorum tantum est, qui adhuc peregrinantur à Domino in hac ærumnosa mortalis vitæ miseria, quibus iuxta scripturæ testimonium proposita sunt, mors & vita, bonum & malum, vt ad quod voluerint, extendant manūs suas; ad malum quidem propria po-

Liberū arbit. quomodo in cælo vbi peccare non poterunt.

testate, ad bonum verò non aliter, quàm gratia Dei. Vbi etiam non raro pro veris falsa eligimus, eaque amplectimur, quæ minus proficua sunt: & voluntatem subinde mutamus, vt quod prius placuit, postea displiceat. At ista non pertinent ad rationem libertatis, quum possint ab ea separari: nam vbi est natura ab omni mutabilitate aliena, qualis est Diuina, aut etiam in bono cōfirmata, qualis est eorum, qui beatitudine perfruuntur, hîc eiusmodi mutationes locum non habent, neque voluntas ad malum inflecti potest, teste Augustino, quia liberi arbitrij natura, & essentia non mutabitur, cùm erimus regnum cælorum (vbi peccare non poterimus) adsequuti, quemadmodum nec humana natura mutabitur, cum illa gloria & fœlicitate perficietur. Deinde eadem est, secundum Analogiam, liberi arbitrij ratio in Deo, hominibus, & angelis: atqui manifestum est Deum peccare non posse, ergo de natura liberi arbitrij non est posse peccare. Quare posse peccare, pertinet ad imperfectionem hominis, nondum plenam beatitudinem assequuti. Quum enim homo natura liber sit, idcirco potest in diuersa flecti, & quia sic plasmatus non est, vt in stabili beatitudine, & inamissibili iustitia ab initio viueret, ideo potest etiam ad malum declinare: Beati nihilominus, & Angeli sunt liberrimi, nec solum inter diuersa bona, verum etiam opposita, possunt siquidem apparere hominibus, & disparere, ascēdere & descendere, &c. Deus verò qui naturali possset sanctitate, cùm bona operatur, & non nisi bona, in suis tamen actionibus liberrimus est, sicut & sancti cum illo regnantes, nam ita aliquid eligunt, vt liberum sit eis, voluntatem in diuersum mutare. Mandatum dedit filio suo vnigenito, Pater cælestis, vt pro humani generis redemtione, probrosam susciperet mortem, quod poterat vtique non mandare, sed vel totum genus humanum damnare, aut aliter, quàm per vnigeniti acerbam mortem à tyrannide diaboli eripere. Et vt liberè mandauit pater, ita mandāti liberè obediuit filius. Oblatus est, inquit Propheta, quia ipse voluit, & Christus in Euangelio ad Petrum dirigens verba: An putas, inquit, quia non possum rogare patrem, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones angelorum? vbi & patris & filij libertas insinuatur. Poterat hic rogare patrem, poterat ille filium liberare, sed quæ poterant facere omiserunt, fecerunt autem quæ poterant omittere. Cùm ergo præfatæ mutationes, item error & facultas inflectendi voluntatem ad malum, à libero arbitrio separari possint, satis constat ea non esse ex ratione liberæ electionis, sed ex qualitate personæ, vel ex conditione naturæ,

Enchir cap. 105. libr. de Actu cū Fœl. 4. de correp. et gratia, cap. 11. & lib. 22. Ciuitat. Dei, cap. 30.

Liberrimi sunt angeli & beati.

Patri & filio celesti, fuit liberū arbit.

naturæ, in qua existit arbitrij libertas, vnde quantò quisque inconstantior est, tantò maior varietas in his rebus offenditur. Ergo vti prælibauimus, arctior est præfata descriptio, nec satis definiti naturam explicat, vnde Prosper aliam tradit descriptionem dicens, liberum arbitrium est rei sibi placitæ spontaneus appetitus. Simile quid etiam videre est apud Bernardum: Verum vt prius data descriptio strictior est, ita hęc latius patet suo definito: nam posteriori hac descriptione etiam comprehenduntur, quæ naturali desiderio, seu ductu naturæ, citra vllam mentis deliberationem volumus, vt dum naturali motu fertur voluntas ad ea quæ simpliciter tanquam bona, & conuenientia apprehenduntur, non expectato rationis iudicio, aut simili modo refugit quæ tanquam noxia proponuntur, quales etiam motus in paruulis, & mente captis reperiri constat: nam motus isti licet spontanei sint, & voluntarij, teste Aristotele, non tamen liberè, nec per electionem fiunt. Ea verò sola per electionem fieri dicuntur à nobis, quę ex consilio & deliberatione procedunt, quoniam electio, inquit ille, cum ratione & mente est, & appetitus præconsiliati. Bruta etiam animantia spontaneè, & sine coactione operantur, vt fuse docet & luculenter Ioannes Damascenus, cùm tamen arbitrij libertate sint destituta. Da Domine, nunquam efficiamur sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.

Liberi arbitrij, alia descriptio.

Libr. 3. Ethicorum, cap. 2.

Lib. 2. ortho. fid. cap. 25.

Interioris electio voluntatis, non raro forinsecus impeditur.

CAPVT VI.

Studiosa consideratione animaduertēdum est, intra ipsam naturam ratione præditam, arbitrij libertatem esse spectandam, nec pendere ab eo quòd externo opere foris præstatur. Non enim ideo dicenda est, non esse libera voluntas, teste Damasceno, quia exteriori opere compleri non potest quod vult actu interiori. Nam externi operis exercitium etiam inuitis nobis sæpenumero impeditur, quoniam Apostolus: Volumus (inquit) venire ad vos, semel & iterum, sed impediuit nos sathanas. Constat etiam dæmones & ministros eorum homines impios, multa machinari in electorum perniciem, sed Deo, vel sanctis angelis prohibētibus, subinde implere non possunt, quod mente concipiunt, liberaq; eligunt volūtate. Moliebatur Pharao, necē Israhelis egressi Ægypto, quem expeditissima bellicosorum militum caterua insequutus est. Sed Domino pro Isra-

Lib. 2. ortho. fid. cap. 27.

1. ad Thess. cap. 2.

Liberum arbitrium, quomodo aliquādo forinsecus impediatur?

Exod.15. pro Israhele dimicante, vana spe lactatus fuit. Sicut Moyses in suo Cantico testatur, dicens: Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius. Et postea: Inimicos persequar, & comprehendam illos, diuidam spolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea, flauit spiritus, & operuit eos mare, ac submersi sunt, quasi plumbum, in
1. Reg. 18. aquis vehementibus. Saul quoque non est permissus, perimere
2. Reg. 17. Dauida, quem subinde tentauit è medio tollere. Sic nutu Dei, dissipatum est cōsilium Achitophel. Cùm ergo opus externum, cuius tamen libera est electio, frequenter impediri contingat, nec sit in nostra potestate, nō in externi operis exercitio, sed intra ipsam naturam, vt diximus ratione præditam. Hæc libertas quærenda est, quæ non aliud requirit, quàm vt quis sic in potestate sua habeat rationis iudicium, & voluntatis electionem, vt vtrumuis cohibere possit, & in diuersum mutare, quod rationali creaturæ proprium est, eáque ab irrationalibus discernit. Nam

Bruta, quomodo iudicio agant.

bruta animantia licet iudicio quodam agant, & ab agendo desistant, tamen illius iudicij sui, neque rationem nouerunt, neque plenam habent potestatem, sed ipsum iudicium sic illis præscripsit natura, vt ab eo dimoueri non possint, & ob hoc maximè semper brutorum appetitus prosequuntur, quod non existiment alia sibi esse conuenientia. Rationalis autem creatura, in potestate sua habet, non solum actiones suas, sed & iudicium, quo actiones instituat, vt hoc ipsum iudicium suum iterum atque iterum expendere, & de nouo in iudicium reuocare possit. Libertatem hanc quidam exerceri putant tantum, circa plura media ad finem aliquem destinata. Alijs autem magis placet etiam finem ipsum in nostra esse potestate (quorum sententia mihi magis probatur) nam tametsi (vt paulò ante dictum est) quidam voluntatis motus (quibus ad propositum sibi finem tendimus, aut illum refugimus) liberi non sint, hoc tamen perpetuum non est, sed vt circa media ad finem destinata, libera exercetur electio, ita inter diuersos fines, nobis propositos potest voluntas præuio rationis iudicio vnum pro alio eligere, vel respuere, & ab eo quem prosequebatur se auertere. Exemplo quod dicitur dilucidum fiat. Auarus finem sibi constituit diuitias. Luxuriosus carnis illecebras, ille opes, hic fœdam voluptatem, Deo & rebus cælestibus præfert, sic tamen vt nulla id necessitudine faciat, nam Diuina gratia adiuti possunt se abdicatis vitijs ad Deum, & virtutes conuertere, à diaboli que laqueis resipiscere, vt qui prius sectabatur Veneri thura incendere, fiat castitatis illibatæ

Exēplis probat, quod docet.

batæ amantiſſimus, & cuius præcipuum erat ſtudium magnos corradere theſauros, poſtea verus eorum contemtor effectus, oppidò quam lubens propter regnum cælorum amittat, impleatque quod ſcriptum eſt, Diſperſit, dedit pauperibus: quod in Zachæo publicanorum principe factum fuiſſe, teſtatur ſanctus Lucas. Quæ igitur homines repudiare, ac reſpuere poſſunt, nulla neceſſitate proſequuntur. Quod ſi contendas eum, qui verè finis vltimus eſt, ſcilicet Deum, refutari non poſſe: Redargueris per Prophetam, dicentem: Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus: qui enim Deum ne eſſe quidem exiſtimat, aut credit, quomodo fruitionis eius vllo tenetur deſiderio, nam conſtat voluntatem non ferri in incognitum. Qui verò Deum iam per fidem cognouit, eiuſque fruitionem expetit, poteſt hanc ſuam voluntatem in diuerſum mutare: ſi (quod fieri poteſt) errore deceptus, cum inſipiente dicat in corde ſuo, non eſt Deus, vel cum Zaducæis, futuram neget reſurrectionem. Vnde Iudæis optio legitur data, vt vel Deum verum ſequerentur, vel Deum gentium exoſcularentur. Et Helias: Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum, ſi autem Baal, ei ſacra operemini. Vnde & hic cernis, nulla neceſſitate finem hunc à voluntate concupiſci, à quo ſe auertere poteſt. Igitur, ſiue mediorum, ſiue finis comparatione, rectè liberum dicitur arbitrium, quod vt præfati ſumus, ſic in poteſtate habet rationis iudicium, & voluntatis electionem, vt vtrumuis cohibere poſſit, & in diuerſum mutare voluntatem.

Cap. 19.

Pſalm. 13.

Voluntas non fertur in incognitum.

Ioſue vlt.

3. Reg. 18.

Hæretici qui potiſſimum contra liber. arbit. impegerint.

CAPVT VII.

Liberum arbitrium, quanquam magis verberibus (vt quidam noſtra tempeſtate fecit, qui aſſerebat ſe non poſſe non, hæreticum flagris excipere) quàm verbis adſtruendum: permulti tamen varijs hoc modis moliti, recuſauerunt, diuerſas quidem facies habentes, ſed caudas (vt verbis Concilij Lateranenſis 3. ſub Innocentio 3. celebrati, vtamur,) ad inuicem colligatas. Quidam namque non libero arbitrio actus humanos, ſed ipſi fato aſſcripſère. Stoici namque omnia fato ſubiacere comminiſcebantur, fatum appellitantes vim, ac poſitionem ſiderum, quæ nobis naſcentibus ineuitabilem

Iud. 15.

Canone 3.

Hæretici quales?

Fatum quid? præscribit vitæ conditionem, vt quæ bona quisque agat, aut mala, quid sit perpessurus, quanto tempore victurus, quo mortis genere interiturus, & alia eiusmodi, quæ omnia sic cælo subijciunt, vt nullum libertati arbitrij locum relinquant, nulloque ingenio euitare posse contendant, vnde durum & inexorabile fatum pronunciárunt. In horum sententiam, quasi pedibus iuit, teste sancto Augustino, pessimus quidam Bardesanes Syrus, quem etiam hac in parte sequutus Priscillianus legitur. Hos sequuti sunt Manichæi ponentes peccata, prorsus esse ineuitabilia. Nam duas in homine mentes constituebant, alteram bonam, quam nos spiritum appellamus, alteram malam, quam carnis concupiscentiam vocamus. Illam quidem à Deo bono, hanc à malo Deo productam asseuerantes, quoniam æternam, & immutabilem mali naturam constituebant, à qua malum omne necessariam ducat originem. Addentes peccata omnia fieri à mente mala, nec libero arbitrio impediri posse, quos etiam hac in parte imitatus est, sicut vniuersa fermè Manichæi impia dogmata resuscitauit Priscillianus. Nec solum istorum tempestate impugnatum fuit liberum arbitrium, sed etiam Apostolorum, Simon Magus namque inficiatus est inter Christianos, primus liberum arbitrium, quem errorem (si quid Clementi sancti Petri discipulo credimus) ita Petrus confutauit, vt in eo astruendo, nisi centum annis interiectis, vllum habuerit Simō successorem. Nā post centum demū annos Martion hæreticus extitit, qui non dubitauit hoc ipsum asseuerare, sed proscriptus est, nec repertus quisquam inter centum alios, & triginta annos, qui in falso dogmate succedere ei vellet, donec venit Manes, vnde Manichæi, de quibus supra, quos ita sanctus compescuit Augustinus, vt octingentis annis, nullus hanc impietatem, quod equidem sciam, legatur sequutus. Demum ante quadringentos annos exortus, quasi ex Orco, Petrus Abailardus, sepultum iam dudum errorem ad superos reuocauit: cuius error sic à Bernardo est conuictus, vt annis ducentis & quadraginta non sit repertus, qui eundem tutari præsumeret, aut absoluta necessitate omnia fieri adstrueret. Post quod temporis interuallum, surrexit Ioannes Wiclef, qui idem dogmatizare conatus est, sed hæreseos condemnatus, error cum antesignano euanuit, teste Concil. Constantiensi. Huic post centum, & quadraginta plus minus annos, successit Martinus Lutherus, & eius sequaces, Bucerus, Melanthon, Caluinus, & reliqui, asserentes liberum arbitrium esse nomen absque re, nullamque actiui-

Bardezanes. Lib.5. Ciuit. Dei cap.1. & 10. hæres.35. & 70. Manichæi. Priscillianus. Simon Magus. Martionistæ. Manes. Petrus Abailardus. Ioannes Wiclef. Sess.8.ca.27. Martinus Lutherus. Libr.1.instit. ca.15. sect.8.

actiuitatem in se habere. Et prædictæ successionis tam crebro interruptæ, ipsos adeò pudet, vt in sui erroris defensionem, nullum ex præfatis authorem citare audeant, quin potius, quos Catholicos, & Catholicæ fidei propugnatores fuisse constat, in suæ peruersitatis testimonium, eorum sententijs perperam intellectis, adducere non erubescunt, magis cupientes perire, quàm redire. Quod auertat Dominus ab omnibus nobis. Amen.

Sacræ scripturæ efficaciter liberum arbitrium stabilientes.

CAPVT VII.

HAnc arbitrij libertatem in homine luculēter manifestāt, varia sacrorum eloquiorū testimonia. Quoniā ad Caim Dominus legitur dixisse: Nónne si bene egeris recipies, Genes. 4.
sin autem malè, statim in foribus peccatū aderit: sed super te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Adstruitur eadem quoque libertas, vbicunque optio datur inter plura aliqua, sicut Moyses loquitur in persona Dei: Mandatum, inquit, quod ego Deut. 30.
tibi præcipio hodie, non est supra te, sed iuxta te est sermo, in corde tuo vt facias. Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo, vitam & bonum, & econtrariò, mortem & malum. Et postea: Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semen Eccles. 15.
tuum. Et alibi: Deus (inquit quidam) ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta. Si volueris mandata conseruare, conseruabunt te. Apposui tibi aquam & ignem, ad quodcunque volueris, porrige manum tuam, ante hominem vita & mors, bonum & malū, quod placuerit, dabitur illi. Et ne cauillari queas ad solum primum hominem præmissam pertinere sententiam, in statu innocentiæ constitutum, obstat passus ex Deuteronomio allegatus. Sed & Dauidi optio data non ambigitur: 2.Reg. vlt.
Vade, ait Dominus ad Prophetam Gad, & loquere ad Dauid. Hæc dicit Dominus: Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his vt faciam tibi. Cumque ista Dauidi ex ore Domini nunciasset. Adiecit: Nunc ergo delibera, & vide, quem respondebo ei, qui misit me sermonem: vbi significatur potestatis eius fuisse, quodcunque horum eligere prætulisset. Hancque libertatem palam etiam ostendit Susannæ in angustijs constitutæ consultatio, atque electio: Angustiæ sunt

mihi vndique, inquit, & quid eligam ignoro. Si enim hoc egero, mors mihi est, si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius mihi est incidere in manus vestras, (senes alloquebatur pudicitiæ insidiantes) quàm derelinquere, &c. Poterat profectò, & in hanc, & in illam partem inflectere voluntatem, nam frustra deliberabat, si eam quam sequuta est partem necessariò amplectebatur. frustra etiam per Prophetam Dauidi dicitur, vt deliberet, sed & mendax inuenietur Deus, liberam Dauidi permissam esse electionem significãs, si ad vnum sic determinata eius erat voluntas, vt reliqua eligendi nullam haberet potestatem, quæ si absurda, & blasphema sunt, veraciter confiteamur, hominem libero arbitrio esse præditum: ad laudem & gloriam Dei, qui est in sæcula benedictus. Amen.

Veterum monumenta euidenter liber. arbitrium demonstrantia.

CAPVT IX.

QVandoquidem permulti præclari viri, eruditione & pietate insignes, in hac palæstra valido conflictu cõtra portas inferorum, hæreticorumque argutias, dimicârunt, superuacaneum ducimus, multis in hoc doctrinę capite immorari, sed sicut nonnulla scripturarum loca, reliqua missa faciendo, pro stabiliendo instituto produximus: ita pauca è multis veterum elucubrationibus, in medium sunt nobis adducenda, sic ergo habet beatus Ireneus. Aliud autem quod ait: Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti, veterem legem libertatis hominis manifestauit, quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut & suam animam, ad vtendum scientia Dei voluntariè, & non coactum à Deo. Et paulò post: Posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum & in angelis. & Tertullianus: Nec boni, nec mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inuentus, non voluntate. In hoc & lex constituta est, non excludens, sed probans libertatem de obsequio sponte præstando, vel transgressione sponte committenda, ita in vtrumque exitum libertas patuit arbitrij. Beatus quoque Cyprianus, sic habet, nec præpositum seruum deseri, à quibusdam miretur aliquis, quando ipsum Dominum magnalia, & mirabilia summa facientem, & virtutes factorum suorum Dei patris testimonio comprobantem, discipuli sui reliquerint, &

Libr. 4 aduers. hæres. cap. 71. & 72.

Lib. 2. contra Martionem.

Lib. 1. Epistola 3. quæ est ad Corneliũ Papam.

tamen

tamen ille non increpuit recedentes,aut grauiter comminatus est, sed magis conuersus ad Apostolos suos dixit, nunquid & vos vultis ire? seruans scilicet legem,qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimet mortem appetit, vel salutem Huic consentaneus est sanctus Hieronymus: Deus, inquit, æquales cunctos sorte generauit, & dedit arbitrij libertatem, vt faciat vnusquisque quod vult. Et alibi sic habet, Liberum sic confitemur arbitrium, vt dicamus nos semper diuino indigere auxilio, & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non posse, quàm illos qui cum Iouiniano asserunt hominem non posse peccare. Vterque enim tollit arbitrij libertatem, nos verò dicimus hominē semper & peccare & non peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur esse arbitrij. Hæc ille. & sanctus Basilius: Vnde quæso, ait, iniquus homo? Ex ipsius libera volūtate. Vnde malus diabolus? ex eadem penitus causa. Huius fratrem Gregorium in eandem sententiam quasi pedibus ire omnibus potest esse contestatissimum, ex libro quem de libero inscripsit arbitrio. Et beatus Cyrillus disertis verbis idem inculcat, inquiens, Voluntaria enim operandi facultate conueniebat rationalem creaturam insigniri, & electionis liberæ declarari fructum in bonis operibus dexteritatem. His adstipulatur sanctus Ioannes Chrysostomus, Si malignitates, inquit, à seipsis non sunt, noli tuos seruos castigare, nec vxorem, si peccat increpa, nec liberos verbera, nec amicos incusa, nec offendētibus inimicis infensus sis. Nam hi omnes nisi sponte delinquant, non punitione, sed miseratione digni sunt, & reliqua eo loci pro hoc argumento posita. Diuus Ambrosius quoque non est hic aspernandus, Nemo, inquit, tenetur ad culpam, nisi volūtate propria deflexerit. Non habent crimen quę inferuntur reluctantibus, volūtaria tantum cōmissa sequitur delictorum inuidia. Volūtarium militem sibi legit Christus, voluntarium seruum sibi diabolus auctionatur, in quo loco etiam differit de gloriosa libertate & pretiosa seruitute. Neque Augustini speculi præfulgidi hic obliuiscendum est, quin potius ex singulis eius tomis, certa & euidentia veritatis testimonia adferre cōplacuit. Sic igitur habet Tomo primo in Retractationibus, tres libri quos disputatio peperit appellati sunt, de libero arbitrio, &c. qui ponuntur prope calcem primi Tomi, quos immediatè sequitur liber de vera religione, vbi nostrum institutum firmiter stabilitur: peccatum est vsqueadeò voluntarium malum, vt nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium, & hoc quidem adeò manifestum est, vt

Epistola ad Hedibiam. *Epistola ad Damasum.* *Lib. an Deus author mali?* *Lib. 3. cont. Iulianum. & lib. 6.* *Homil. 60. super Matth.* *Lib. 1. de fac. & vit. beata, cap. 3. To. 4.* *Gloriosa libertas, pretiosa seruitus.* *Lib. 1. cap. 9.* *Cap. 14.* *Peccatum quod?*

nulla huic Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Et postea, Si non voluntate malè facimus, nemo obiurgandus est omninò, aut monendus, quibus sublatis, Christiana lex, & disciplina omnis religionis auferatur necesse est, &c. & reliqua lectu digna, quibus allegandis breuitatis ergô, su-
2. Tomus. persedendum putaui. Secundus etiam Tomus multum lucis
Quae est nu- adferet nobis, si epistolam ad Valentinum considerârimus, in
mero 46. & 47. cuius calce sic habetur, Ad hoc ipsum vt intelligamus sapienter, est nobis liberum arbitrium, nisi enim lib. arbitrio intelligeremus atque saperemus, non nobis præciperetur, dicente scri-
Psalm. 93. ptura, intelligite ergo qui insipientes estis in populo, & stulti aliquando sapite. Eo ipso quippe quo præceptum & imperatum est, vt intelligamus atque sapiamus, obedientiam nostram requirit, quæ nulla potest esse sine lib. arbitrio, Idē confirmat epi-
3. Tomus. stola sequenti ad eundem. Tertius Tomus vel maximè nostro
Cap. 9. deseruit instituto, sic enim habemus libro de Agone Christiano: Imbecillitatem non eius opere, sed nostra voluntate meruimus, nam Deus hominem inexterminabilem fecit, & ei liberum
De spiritu & voluntatis arbitrium dedit. Et alibi, Creatus est homo cum li-
litera, cap. 3. bero voluntatis arbitrio. Et alio quodam in loco: Libertati ar-
& 36. bitrij sui, inquit, commissus est homo, postquā verò deceptio-
De spiritu & ne serpentis per Euam cecidit, naturæ bonum perdidit, pariter
anima, c. 48. & vigorem arbitrij, non tamen electionem, ne non esset suum quod emendaret peccatum. Manet itaq; ad quærēdam salutem arbitrij libertas, id est, rationis voluntas, sed admonente prius Deo & inspirante ad salutem. Vt ergo acquiescamus salutari inspirationi, nostræ potestatis est: vt adipiscamur, quod adipisci desideramus, diuini est muneris, & cætera quæ eo loci sequun-
4. Tomus. tur. Quartus Tomus optimè quadrat nobiscū, sic namq; legitur
Lib. 83. quæst. ibi: Nec peccatum, nec rectè factū imputari cuiquā iustè potest,
quæst. 24. qui nihil fecerit propria voluntate: est igitur & peccatū, & rectū
Quæst. veteris factum in lib. arbitrio. Nec non in alio quodā libro eo loci po-
& nou. test. sito, si modò sit Augustini: Natura hominum (ait) proprio ar-
cap. 1. bitrio remissa & dimissa est, vt possit facere quod vult. Et alibi:
De bono vi- Nostrum est velle, inquit, sed voluntas ipsa etiam mouetur, vt
duit. cap. 17. surgat & sanatur, vt valeat, & dilatatur vt capiat, & impletur
5. Tomus. vt habeat. Tomus quintus insigniter elidit hæreticorum vesa-
Lib. 5. ciuit. niā, sic enim habet: Nos aduersus istos impios & sacrilegos au-
cap. 9. sus, & Deum dicimus omnia scire, antequam fiant, & volūtate
Lib. 15. nos facere quicquid à nobis non nisi volentibus fieri sentimus,
cap. 21. & nouimus: omnia verò fato fieri non dicimus, imò nulla fieri fato dicimus. At postea, Ciuitas terrena discat nō fidere liberta-
ti arbi-

ti arbitrij sui, sed speret inuocare nomē Domini Dei, quoniam volunras in natura quæ facta est bona à bono Deo, sed à bono potest declinare, vt faceat malum, quod fit libero arbitrio. Tomus sextus confutat Manichæum, qui peccatorum originē non libero voluntatis arbitrio, sed substātiæ tribuit gentis aduersæ. Et in sequentibus, Nos quidem sub fato stellarū nullius hominis genesim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis quo vel benè vel malè viuitur, propter iustum Dei iudiciū, ab omni necessitatis vinculo vindicemus. Et alio quodam in libro: Creatura rationalis, siue in angelis, siue in hominibus accepit liberum arbitrium, &c. Tomus septimus sua non recusat ad confutandos impios, munimina: sic enim habet, Dedit Deus homini liberam voluntatem, sed nec bonam infructuosam, nec malam voluit esse impunitam. Item alibi, Non arbitrium voluntatis tollimus, sed Dei gratiam prædicamus: cui enim prosunt ista nisi volenti, sed humiliter volenti, non se de voluntatis viribus tanquam ad perfectionem iustitiæ sola sufficiat extollenti. Et in sequētibus, Liberum arbitrium, inquit, & ad malum & ad bonum faciendum confitendum est nos habere, &c. Tomus quoq; octauus profert gladiū quo manus confodiatur hostilis, liberū arbitriū tibi dedi, inquit in persona Dei, voluntatis tuæ es, prosequere viam, &c. At in alio Tomo ita legitur: Quod Dominus seipsum negare non potest, laus est voluntatis diuinæ, ita quod illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanę. Tomo decimo perpulcrè clarescere potest nobis liberum arbitrium esse cōcessum, Sic, inquit, habete liberum arbitrium, vt imploretis auxilium. Et alibi, Per solum liberum arbitrium non addito etiam adiutorio promiserat se pro Domino moriturum. Verum licet varijs priscorum patrum elucubrationibus, hæc & eius farinæ alia possint adferri, hæc tamen impræsentiarum sufficere probantur.

6. Tomus. Hæres. 46.

Lib. 2. cont. Faustum Manich. cap 5.

Lib. 2. cap. 3. De actis cum Fœlice.

Lib. 3. contra Cresconium,

gratia, ca. 51. De natura & gratia, ca 33.

De correp. & gratia, cap. 1.

8. Tomus. Enarrat. 2. Psal. 26.

9. Tomus. Tract. 53. super Ioannem.

10. Tomus. Serm. 7. de verbis Apostoli, ser. 124. de tempore.

Rationes liberum arbitrium comprobantes.

CAPVT X.

VAriæ occurrūt rationes, quibus libertas arbitrij venit adstruenda. Quando namque præceptis tanquam calcaribus excitamur, nulli dubium esse debet, quin libero præditi simus arbitrio. Declina à malo, inquit, & fac bonum. Et alius, Redite præuaricatores ad cor. nec non Ezechiel, Proijcite à vobis iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Quibus præceptis locus non erit, si nulla in nostris actionibus vtamur libertate. Cur

Psal. 36.

Esaiæ 46.

Cap. 18.

legis

legis obseruantiam præscripsit, si eius transgressio sit ineuitabilis? Aut quomodo verum erit, quod Ioannes ait, mandata
Matth. 11. eius grauia non esse? Item illud Saluatoris nostri verbum, Iugum meum suaue est, & onus meum leue? Quomodo leue si factu sit impossibile? quomodo præscriptum, si humanum genus nulli sit obligatum? Omnes ergo leges & præcepta essent exibilanda, vel certè liberum arbitrium Catholice est admittendum. Profectò vates sub metaphora vineæ de populo
Esaiæ 5. Israhelitico Dominum dixisse memorat, Expectaui, inquit, vt faceret vuas, & fecit labruscas. Indicat enim in potestate populi illius fuisse proferre fructum bonorum operum, nam insipientis esset ea expectare, quæ nosset impossibilia, nulloque
Eccles. 31. modo posse euenire. Et alibi, de iusto loquens, Qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit. Eo-
1. Cor. 7. dem etiam pertinet quod Apostolus ait, Qui statuit in corde suo, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem
Cap. 9. suam, bene facit. Et posteriori Epistola, Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate. Et rursum ad Philemonem: Sine consilio tuo nihil volui facere, vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. Hæc denique libertas aufertur, quòd cuique retribuenda credatur merces iuxta merita, iustis quidem gloria, & honos, im-
Lib. 5. Ciuit. Dei, cap. 9. Lib. 2. orthod. fid. cap. 7. pijs verò ignominia & supplicium. Nam vt eleganter scribit sanctus Augustinus, & Ioänes Damascenus: Quod ex necessitate fit, inquit, neq; virtus, neq; vitiū est: si autem neq; virtutem, neque vitium possidemus, neq; laudibus & coronis, neque vituperationibus & punitionibus digni sumus. Inuenietur & Deus iniustus, his bona, illis tribulationes tribuens, sed neque gubernabit, neque suarum ipsius creaturarum prouidentiam geret Deus, si omnia secundum necessitatem ad quæ feruntur, ducantur. Sed & in nobis ratiocinandi potestas vana erit, nam si nullius actionis Domini sumus, vanè consultamus. Rationalis autem potestas omnino consilij gratia nobis, indulta est, vnde & omne rationale liberæ potestatis & arbitrij est. Alia methodo idem euincit sanctus Ioannes Chrysostomus sententia prælibata,
Homil. 60. super Matth. Nam si malignitates, inquit, non sunt, noli seruos tuos castigare, nec vxorem, si peccat, increpa, nec liberos verbera, nec amicos incusa, nec offendentibus inimicis infensus sis, nam hi omnes nisi sponte delinquant non punitione, sed miseratione digni sunt. Non possum, inquies: ita philosophari: nam quando seruus ægritudine oppressus, iussa non fecerit,

non mo-

non modo non criminaris, verumetiam valde commiſereſcis, quare tu ipſe teſtimonium perhibes, nonnihil ab ipſo fieri. Et paulò poſt, verum inde quoque ora iſtorum obſtruere facile poſſumus, nam vndique veritatis affluunt adminicula, ſi eos interrogabimus, quam ob rem nunquam ſeruos criminantur, ſi facie formoſi non ſunt, ſi non procera ſtatura, ſi non quaſi volucres in eundo, cæteraque huiuſmodi, quia videlicet natura non voluntate conceduntur. Immunis eſt ergo eius culpæ, quam ſibi natura inuexit, nec vllus vnquam huic orationi contradicet. Cum igitur accuſas tunc oſtendis non à natura, ſed à voluntate quippiam proceſſiſſe: nam ſi quæ minimè culpamus, ea naturæ delicta eſſe, aut ſaltem non voluntate teſtamur, patet ea ſolum culpari, quæ voluntate committuntur. *Lib. 2. contra Martionem.* Teſtatur idipſum & Tertullianus: nec boni, inquit, nec mali merces penſaretur ei, qui aut bonus aut malus neceſſitate fuiſſet inuentus non voluntate. In hoc lex conſtituta eſt, non excludens, ſed probans libertatem, de obſequio ſponte præſtando, vel tranſgreſſione ſponte committenda: ita in vtrumque exitum libertas patuit arbitrij. Similia etiam ſunt apud *De vera religione, ca. 14.* ſanctum Auguſtinum: Si enim, inquit, non voluntate malè facimus, nemo obiurgandus omnino aut monendus eſt: quibus ſublatis Chriſtiana lex & omnis religionis diſciplina neceſſe eſt auferatur. Inſuper ſi liberum arbitrium homini non *Rom. 13.* concedatur, malè Dei miniſter gladium portat, nec in maleficos animaduertet, ſecundum Clementem beati Petri diſcipulum, & Irenæum. *Lib. 3. Recognitionum. Lib. 4. cap. 72. cont. hereſes.* Concionum quoque non erit habenda ratio, neque alicuius eſſe cenſebuntur momenti, teſte Gregorio Niceno. *Lib. de lib. arbit. cap. 1.* Deinde ſi homini non liberum arbitrium, præcipua eius conditio, nempe mens, erit ſuperflua: ratio ſiquidem ſuo fine fraudabitur, ſi deliberationis vigore deſtituatur. Vltimò ſi liberum homini negetur arbitrium, vltimum iam aufertur iudicium, non enim iudicari debet, quod euitari non potuit, nec condemnari quod neceſſitas ad malum impulit.

Diluuntur obiectiones cont. lib. arbitrium militantes.

CAPVT II.

QVanquam varijs modis aduerſarij euertere nitãtur libertatis arbitrij fundamenta, eorum tamẽ ora patres vndecunque doctiſſimi, Ioãnes Roffenſis ſanctiſſimus martyr, Ioannes Eckius hæreticorum ſui temporis hoſtis acerrimus,

Alphõſus

Alphōsus de Castro, & Dominus Doctor eximius Petrus Canisius, familiæ Societatis Iesu magnum decus, & alij quàm plurimi ita obstruxerunt, & quasi plumbo oppilarunt, vt ne hiscere quidem deberent aut possent, quod de Manichæis legitur, Augustini, ignoro, an scientia rerum, an scripturarum copia, an eloquendi industria superatis. Nihilominus aliquid est nobis in medium adducendum, quoniam præcipua hostium nostrorum cauilla ex sacris eloquijs desumta, potissimum gratiam Dei commendant, necessariamque docent exer-
Joan. 3. & cendis pietatis operibus. Sic igitur obganniunt: Christus di-
15. xit, Sine me nihil potestis facere. Et, Non potest homo accipe-
Cap. 2. re quicquam, nisi ei datum fuerit de cælo. Et Iacobus, Omne
1. Cor. 4. datum optimum: & omne donum perfectum de sursum est, de-
2. Cor. 3. scendens à patre luminum. Et Paulus Apostolus: Quid habes quod non accepisti, si autem acceperis, quid gloriaris, quasi non
Rom. 9. acceperis? Et alibi, Omnis sufficientia nostra ex Deo est. Et rursum, miserebor cuius misertus sum, & misericordiam præstabo cui miserebor. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Has & similes proferūt scripturas aduersus Catholicam veritatem, quasi duo hæc mutuo pugnent, aut simul consistere nequeāt, gratia Dei & libertas arbitrij. Verū Catholicum dogma euertere conantes, ipsi magis illud astruunt, & in seipsos gladium stringunt. Nam dum docēt scripturæ, nihil nos posse, absque Deo, significant haud dubiè à contrario sensu, adiutos Dei gratia, aliquid posse: alioqui dicendum non erat, sine me, nihil potestis facere, sed absolutè: nihil omnino potestis. Nunc autē nō hoc dixit, sed Dei cooperatores nos esse indicauit, quod & præcedentia, & subsequentia ibidem manifestū faciunt. Nam eosdem suos Apostolos compellans, Manete, ait, in me, & ego in vobis. Et postea, Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis: vbi duo illis tribuit, velle videlicet & petere. Et rursum, Manete, ait, in dilectione mea. Item, Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem. Quod si velle & petere & manere in Christo, & eius dilectione, seu ad hoc niti, item diligere proximum, & alia huiusmodi exercere, nō sunt nihil agere, sed singula horum veræ sunt operationes, quas omnes Dei opitulante gratia in hominis potestate esse asseuerat, quæ mentiri non potest ipsa summa veritas: Errant profectò hæretici, dicentes liberum arbitrium cum gratia consistere non posse, & esse potentiā merè passiuam, quæ recipere tantum possit, nihil agere. Quando igitur Spiritu sancto dirigente benè operamur, per gratiā, libertas non adimitur,

sed pe e-

ſed peccandi & contraria faciendi poteſtas relinquitur. Sara ſterilis verbi gratia, non aliter filium ſuum Iſaac concepit ac peperit, quam Agar Iſmahelē, ſed eodem prorſus modo: atqui tamen illa gratiæ beneficio concepit, hæc naturali vigore, iuxta communem legem curſumq; naturæ. Eundem in modū & ambulamus & iuſtè operamur, liberè, eodemq; omnino modo, tametſi illud virtute naturę, hoc gratia opitulāte faciamus. Quos & eximius ille prædicator gratiæ Apoſtolus Paulus, (cuius potiſſimū verbis illi innituntur) condemnat, nam abundantius, inquit, omnibus laboraui, non ego, ſed gratia Dei mecum: ergo ex ſententia Apoſtoli, ſimul operantur gratia & liberum arbitriū. Vnde & in poſteriori ad eoſdē Epiſtola: Ego, inquit, plantaui, Appollo rigauit, Deus incrementum dedit. Et poſtea, Dei adiutores ſumus. Certè qui laborat pro Chriſti Eccleſia, ſedulā eius curā agens, qui plantat, rigat, qui deniq; Dei adiutor eſt, negari non poteſt, aliquid operis exercere. Apertiſſimus etiā locus eſt gratiam & liberum arbitrium ſimul diſertè aſtruēs, dabo vobis, ait Dominus, cor nouū & ſpiritum nouum, ponā in medio veſtri, & auferā cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciā vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis & operemini. Igitur gratia libertatē non euertit, ſed conuertit, excitat & adiuuat, quò pietatis opera exercere poſſit. Nec obſtat quod ex Apoſtolo adducūt aduerſarij. Non eſt volētis neq; currentis, ſed miſerentis Dei: loquitur enim ibi Apoſtolus, de diuina electione & prædeſtinatione, quā alicui cōtingere negat ob vllum bonæ volūtatis, aut vitæ meritum. Nō enim quia bona erat volūtas, aut bona cōuerſatio noſtra, ideò nos prædeſtinauit & elegit Deus, aut gratiam contulit, quę prædeſtinationis huius effectus eſt, ſicuti fuſiori tractatu elucidatū reliquimus, in libro de pręceptis decalogi, hoc anno in lucē emiſſo, ſed propterea & rectè velle & currere incipimus, quia ille nos ſua gratia præuenit, & adiuuat, quod nihil dictis aduerſatur. Præterea quando ſcripturæ ipſis nō patrocinātur, recurrūt ad illud cōmune illis aſylū, Nullibi leguntur in ſacris literis hæ voculæ (liberū arbitriū) ergo humanū eſt figmentum illud ſtatuere. Reſpondendum eſt quod laudabiliter patres inſtituerūt nomē perſonæ, quod prædicatur pluraliter de patre, filio, & Spiritu ſancto, non quia ſcriptura ita dicit, ſed quia ſcriptura nō cōtradicit, teſte Auguſtino. Rurſus nomēclatura ὁμουσιον, dicebat Paſcētius Arrianus, non legitur in ſcripturis, ergo ſomniū eſt velle aſtruere filium patri eſſe conſubſtantialē. Reſpōdet Aug. ei, Etſi nomen nō inueniatur in

Similitudine probat, quod docet.

1. Cor. 15.

2. Cor. 15.

Ezech. 36.

Liberum arbitrium iſta vox non eſt in ſcriptura.

Lib. 7. de Trinitate, cap. 4.

Homouſion.

tur in ſcriptura, res tamen nomine ſignificata reperitur:ſic dicendum eſt de libero arbitrio, quia licet voces haſce ignoret ſcriptura, res tamen nominibus ſignificata, reperitur, eſtq; ſcripturis compertiſſima. Cũ autem creaturæ ſint in triplici differentia ſola rationalis pollet arbitrij libertate, vtpote eligens libero iudicio bonum, vel reſpuens malũ. Aliæ ſunt quæ prorſus carent iudicio in operatione, non enim iudicio, ſed naturaliter feruntur. Tertio modo, creaturæ ſunt quæ iudicio quidem agunt, ſed non libero, huiuſmodi ſunt bruta animantia. Ouis namque cõſpiciens lupum, inquit Thomas, non libero, ſed naturali iudicio cenſet eſſe fugiendum. Verum obijci poteſt huic, eligere commoda & auerſari incommoda, fieri nequeunt abſque rationis dictamine, aut arbitrij libertate, ergo animal brutum fugiendo lupum videtur habere liberum arbitrium. Formicæ quoque congregant æſtate, quibus tempore brumali neceſſitati ſuæ ſuccurrant. Videmus, inquit Auguſtinus, immaniſſimas beſtias dolorum metu voluptatibus abſterreri: quædam etiam ſuſceptibiles videntur diſciplinę, ſicuti ſimiæ, canes, pſitaci, picæ & huiuſmodi, de quibus Ariſtoteles dicit, quod aliqua animalia voluntariè operentur, ergo nonnullis ſaltem animalibus liberum eſt arbitrium. Reſpondendum eſt, vt præfati ſumus brutis non eſſe liberum arbitrium, & quod cibum ſumant nonnunquam vel reſpuant ſub certæ perſonæ Cæſaris, aut regis nomine, non hoc fit, quod intelligant aut diſcernant, quid imperator, quid princeps, non enim minus ſub Turcæ aut draconis nomine facerent, ſi ſic edocti & aſſuefacti fuiſſent, propter conſuetudinem ſiquidem multis verberibus, multaq; maceratione in æſtimatiua & phantaſia ipſorum acquiſitam, & impreſſam, naturaliter non deliberatè mouentur ad huiuſmodi certas actiones: quod vel eo patet quia eiuſdem ſpeciei ſimiles habent operationes: aues nãque eiuſdem ſpeciei ſimiles nidos, quaſi artificioſè componunt, aranę ſimiles telas contexunt. Nec obſtat ſententia Ariſtotelis, quia largè accipit voluntatem, prout extẽditur ad operari per naturalem appetitum, vt diſtinguatur contra violentũ. Vnde Ioannes Damaſcenus, Irrationalium appetitus, non dicitur voluntas, quia magis feruntur à naturali appetitu, quam agant, ſed liberũ arbitriũ magis agit, quàm agatur per voluntatem. Calumnientur & Auguſtinum ſuæ patrocinari cauſæ, dicentem hominem peccato perdidiſſe liberum arbitrium, & ſeipſum ergo, &c. Pro huius ſolutione argumenti: Haud ignorandum eſt hominem in primordiali ſtatu, triplicem accepiſſe libertatem, nempe à peccato à miſeria, & à neceſſi-

Creaturæ ſunt in triplici differẽtia.

1. Part. quæſt. 83. art. 1.

Prouerb. 6.

Lib. 83. quæſt. 36.

3. Ethicorum cap. 4.

Bruta quomodo videantur vti lib. arbitrio aut diſcernere?

Lib. 2. orth. fid. cap. 23.

Enchirid. cap. 30.

Libertas triplex.

à neceſſitate,ſecundum mellifluum Bernardum. In ſtatu namque naturæ integræ, expers culpæ, indeque naſcentis miſeriæ extitit, ſed à peccato hanc amiſit libertatem, & priuauit ſe libertate non omni,ſed quæ à culpa & miſeria liberos faciat. Atque iſtum ſenſum haud difficulter elicere licet, ex Auguſtini verbis. eo loci ſubſequentibus, teſte beato Thoma. Quin ipſe Auguſtinus etiam alioquin clariſſimè iſtud edocet contra Manichæos, qui contēdebant, peccato liberum arbitrium perijſſe. Sic autem habet, Quis autem noſtrum, inquit, dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Et paulò poſt, Vſque adeò non perijt in peccatore, vt per illud peccent maximè, qui peccant cum delectatione. Nihilominus tamen eſt peccato infirmatum non extinctum,debilitatum non amiſſum, vti manifeſtat Concil. Arauſicanum ſecundum, & Tridentinum: Tametſi liberum arbitrium non ſit extinctum, tamen viribus eſt extenuatum, & inclinatum. Et poſtea,Si quis liberū hominis arbitriū per Adę peccatum amiſſum & extinctū eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, imò titulum ſine re, figmētum deniq; à ſathana inuectū in Eccleſiam, anathema ſit.Quò iſtud manifeſtius euadat, ſciendum eſt liberum arbitrium in ſtatu naturæ integræ, nullum impedimētum ad bonum, aut aliquem impulſum ad malum habuiſſe,ſed conſentiendo peccato deſcendit prothoplaſtes Adā ab Hieruſalem in Hiericho, & incidit in latrones, qui gratuitis eum ſpoliauerunt,id eſt, gratia, iuſtitia, originali charitate,&c.& plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto,id eſt,ratione,libero arbitrio, voluntate,debilitatis,& ad malum pronis.Supereſt quidem adhuc liberum arbitrium,quia dicitur ſemiuiuū, id eſt,ad bonum infirmum,atque ad malum inclinatum, nō tamen coactum,nec ſufficit per ſe mereri, imò nec ad gratiam gratum facientem ſe præparare(quod per attritionem,quam vocant,fieri conſueuit) niſi gratia Dei præueniat,& infirmitatem noſtram adiuuet.Ratio quoque corrupta eſt proprio inflata iudicio, nec ſecundum Deum à quo condita eſt,ſed ſecūdum proprium appetitum eſſe viuendum dijudicat, quemadmodum & Stoici,& Peripatetici exiſtimauerunt,teſte Auguſtino,ex Hortenſio Ciceronis. Cum tamen id non ſit bene viuere, ſed illecebris carnis frena laxare. Voluntas eſt debilitata & corrupta,quia non ſolum fornicationibus,alijſque ſenſuum oblectamentis inhæreſcit,verum etiam faſtui & ſimilibus,quibus ita captiua retinetur,vt ne veri quidē boni per ſe deſiderium habere queat. Non abſonè quærunt hic Doctores,quot vulnera ſint primis parētibus inflicta? & paſſim

Lib. de gratia & lib. arbit.

1. Part. quæſt. 83. art. 3.

Lib. 1. cont. 2. Epiſtolas Pelag. cap. 2.

Liberum arbit. peccato eſt debilitatum, non extinctum.

cap. 13.

Seſſ. 6. ca 1. Cap. 5.

Imago Dei peccato non amittitur, ſed obſcuratur.

Cont. Epicur. & Stoicos, cap. 4.

Lib. 13. Trinit. cap. 5.

Lib. 14. de Ciuit. cap. 2.

lib. 1. Retra.

1. Epiſt. 107. ad Vitalem, Ser. 13 de verbis Apoſtoli.

quatuor à patribus constituuntur, quæ à Beda existimant tradita. Verum apud Bedam non recolo me vidisse, sed in quodam sermone de festo Palmarum Bedæ quidem asscripto, sed quem nulla ratione existimem eius esse, sed posterioris cuiuspiam: res tamen optima est, & à patribus tradita, apud quemcunque tandem ea verba reperiantur. Primum vulnus in intellectu est, quod appellatur ignorantia eorũ, quæ scire deberet, id est, pronitas ea qua humanus intellectus procliuis est, ad ea ignoranda, quorum notitia deberet nobis esse certissima. Quod vulnus etiam existit in sanctis hominibus, sed alligatum malagmate quatenus sensim curetur: in alijs neglectum & opertum est putrescens indies magis magisque. Secundum vulnus est voluntatis malitia, id est. procliuitas ad eligendum & appetendũ etiam quod ratio iudicat esse malum, quæ ipsa ad malum eligendum pronitas, etiam in sanctis est, qui sedulò operam dant vt curentur: in cęteris redditur grauius, quia negligitur. Tertium vulnus est in appetitu cõcupiscibili, per quem rebellat homo legi Dei, ferturque ad ea, quę motibus concupiscentię grata & plausibilia sunt, vt pronitas ad libidinem, & voluptates cæteras consectandas. Quartum vulnus est in appetitu irascibili, quo se tuetur contra id quod malum esse iudicat, quod vulnus interdum infirmitas, seu imbecillitas appellatur. Reliqua quæ obijcere solent aduersarij argumenta, ex præmissis dissoluere haud fuerit difficile.

Quatuor vulnera primis parentibus inflicta.

Adam in gratia supernaturali est creatus.

CAPVT XII.

ET quin ita se res habeat non arbitror esse ambigendum, sed veritas propter oppugnantes, authoritate firmanda & roboranda est. Primum igitur scholasticos Doctores eosque facilè primarios in medium adducam, ne cui fortè quod docemus cum doctrina Scholastica pugnare videatur. Tametsi enim contraria sententia mordicus tenentes, multos habeant suæ causæ patronos, audemus tamen illis quosdam obijcere, omnium iudicio claros, sanctosque, Bonauenturam, Thomam, nec non eius præceptorem Albertum Magnum. Sanctus Thomas igitur tametsi cum in libros sententiarum commentatur, in alteram declinarit partem, tamen alibi apertè & indubitanter resoluit hominem in ea gratia creatum, qua vitam æternam

1. parte, quæst. 95. art. 1.

nam quam nos per Christum expectamus mereretur. Albertus quoque cum non ignoraret omnes sui temporis Scholasticos contrariam tueri sententiam, atque adeò Magistrũ ipsum idem tradere, tamen in hanc distinctionem scribēs, postea quam Magistri, eorumque qui hac in parte Magistri Doctrinam amplexi sunt, placita recitauit, subijcit se nihil recipere. Istud totum, inquit, non credo, sed docet hominem in gratia creatum, quod ipsum tradit in Summa sua, quo loco dicit rationes eas, quæ adferuntur ad probandum hominem in gratia esse creatum, rectè procedere, verumq; concludere. Sed quibus scripturis suam constituit sententiam? Ex apertissima illa quæ sacris eloquijs expressa est sententia: Deus creauit de terra hominem, & secundum se, id est, ad sui similitudinem vestiuit eum virtute: non est autem homo per virtutes Deo similis, nisi eiusmodi sint, quæ ad ipsum Deum perducāt. Adducit & ex Genesi aliam scripturam, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem, &c. similitudo autem in gratia consistit: cum ergo ex scripturis contestatissimum sit hominem rectum & sanctum esse creatum, certum etiam esse debet, eum in gratia esse creatum, hoc enim est sanctum & rectum esse. Sed his adiungenda est veterum authoritas, quæ plus habet momenti roborisque ad firmandam veritatem. Ac primum eorum doctorum verba sunt producenda, qui Augustini tempora præcessêre. Sanctus igitur Ireneus perueustus scriptor, Adam lapsum ita loquentem inducit, Eam quam habui à Spiritu sancto sanctitatis stolam, amisi: quibus verbis inclusa est scriptura illa, Cito adferte, adferte stolam primam, ergo filio prodigo significat stolam illam restitutam, quam Adam primitus habuit & amisit. At dixerit aliquis: habuit quidem stolam illam, sed non ab ipsa creatione. Vide igitur quid idem author scribat, eodem libro cap. 20. & lib. 5. folio 298. 304. & 310. secundum antiquam editionem Basiliensem. Quibus euidentissimè astruit factum esse hominem in ea sanctitate & iustitia, quam recipimus per Christum. Sic & sanctus Cyprianus, sermone 3. de patientia, Basilius homilia nona, Quod Deus non est author malorum. Et in Psal. 48. tractans illud, Homo cum in honore esset, &c. Item lib. de Spiritu sancto, capite 9. Hunc æquis quasi passibus sequitur diuus Ambrosius, de tribunalibus ad Sacerdotium promotus, in Lucam super illo: Homo quidam descendit ab Hierusalem. Et in caput quartum Lucæ. Quem locum allegat diuus Augustinus lib. primo contra Iulianum, ad probandum originale peccatum. Idem habet lib. sexto

Prima parte tract. 14. quæst. 90.

Ecclef. 17.

Lib. 3. contra heres. ca. 37.

Lib. 1. off. c. 1. & lib. 2. de pœnitē. ca. 8.

Exaëmeron cap. 7. & de dignitate hominis capite 3. Huic consentaneus est diuus Hilarius, in quadam homilia de libro sancti Iob, quem citat diuus Augustinus lib. 2. contra Iulianum cap. 8. Gregorius quoque Nazianzenus nullo modo refragari intendit, Ser. 4. qui est de Paschate, quin vel maximè nostro deseruit instituto. Cui sociandus est sanctus Ioannes Chrysostomus, homilia 16. in Genesim. Methodius quoque martyr apud Epiphanium in hæresi Origenis, vbi per spiraculum quod inspirauit Deus in faciem hominis, intelligit animam Spiritu sancto plenam. Cyrillus lib. 1. in Ioannem, non est hic dissimulandus cap. 15 lib. 10. capite 26. & lib. 12. capite 56. & in Ioannem capite 13. dicitur iustitia hominibus & angelis supernaturalis. D. Hieronymus quoque lib. 1. contra Iouinianum sic habet: Non cogitauit ille integritatem aliam quàm sit ea, quæ nobis restituitur per Christum. Hi sanè vniuersi qui & multi & magni sunt, docuerunt hominem primum in gratia creatum. Quibus adiungendus est sanctus Augustinus, qui in primario illo suo opere de ciuitate Dei, lib. 14. cap. 10. sic habet, Amor erat imperturbatus in Deum, & cap. 15. docet Christum talem nobis reddidisse iustitiam, qualem habuit Adam. Atqui nobis talis reddita est, vt per eam vitam æternã & visionem Dei consequi possimus, ergo talis fuit Adæ, item lib 13. capite 1. & lib. 14. cap. 27. Euidentissimè vero de Corrept. & gratia, capite 10. & 11. nec non 27. de spiritu & litera, vbi asserit hoc agere spiritum gratiæ, vt imago Dei per peccatum labefactata & detrita in nobis restauretur. Si obijciatur Cyprianus qui Epistola ad Pompeium dicit: Ante plasmauit hominem: deinde inspirauit, &c. breuiter responderi potest, naturæ non temporis ordinem significari, simul enim tempore & animam dedit, & Spiritum sanctum, sed anima, & natura ac consideratione prior est Spiritu sancto. Potest opponi & Basilius, vbi dicit non repetitam similitudinem, secundò, quod imago quidem in ipsa conditione data est, sed similitudo bonis actionibus recuperanda sit. Simile quippiam habet sanctus Hieronymus. Verum hi eum id dicerent lapsum hominem considerarunt, qui similitudinem peccando prorsus amisit. Item obijcitur diuus Augustinus, sed hoc retractat lib. 1. Retractationum, cap. 10. Item illud quo dubitare videtur, an mulier fuerit spiritalis: ad quod ex ipso respondeo, quod in ijs libris multa disputarit, pluraque quæsierit, quàm inuenerit, & eorum quæ inuenit, pauca affirmarit. Ex his abundè constat, quid veteres de primorum hominum conditione & gratia senserint.

Homil. 10. Hexa.

Lib de Gen. con. Manich. cap. 8.

Lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 46.

Neque

Neque enim tanquam dubij de re incerta, sed tanquam nihil hæsitantes de re certissima loquuti sunt, eamque ex sacris literis definitam reliquerunt. Producenda sunt tamen alia veterum testimonia, ex quibus effici posse videtur, non modò rem esse certam, sed fidei. Dionysius Areopagus lib. de Cælesti [Cap. 3.] Hierarchia, id habet ex quo colligi possit, quod senserit ad fidem pertinere, hominem in gratia conditum: nam de Incarnationis mysterio verba facturus, se præfatur loqui secundum sanctarum scripturarum fidem & doctrinam, à viris sanctis traditam. Vt autem Incarnationis mysterium explicet, proponit lapsum hominis, quem ait excussisse vitale iugum, & recepisse contraria à superna vita relapsum, & à recto ad Deum tramite deuiasse. Sic sanctus Augustinus, qui Euodium sic lo- [Lib. 1. de lib. arbit. cap. 11. & lib. 13. Ciuit. Dei, cap. 19. nec nō de correp. & gratia. cap. 10.] quentem inducit, quanquam enim credamus, &c. Gregorius lib. 4. Moralium, cap. 3. Prosper libro contra Collatorem, Rectum, inquit, & omni vitio carentem creatū esse hominem primum, in quo omnium concreata natura est, dubitare phas non est, eumque tale accepisse liberum arbitrium, vt posset in eo perseuerare, quod acceperat: meritoque illius perseuerantiæ peruenire ad illam beatitudinem, vt cadere amplius non posset, nec vellet. Leo eius nominis primus. Ser. 4. de natali Domini. & Serm. primo de ieiunio 10. mensis. Fulgentius lib. de fide ad Petrum, cap. 25. & lib. 2. de Incarnatione, cap. 12. & Gregor. lib. 5. Registri 114. & lib. 6. cap. 195. Hæc & eius generis complura loca tanquam fidei doctrinam, hominem in gratia creatum, edocent suscipiendam.

Adiutorium aliud, an Adæ perseueraturo fuerit necessarium?

CAPVT XIII.

VEterum patrum, ipsiusque veritatis sententiam hac in re non est assecutus V. Petrus Lombardus, nam distinctione 24. sic habet, §. D. hic considerandum est, quod fuerit illud adiutorium homini datum, &c. Sanè est D. Augustini sententia, hominem primum præter libertatis arbitrium & rectitudinem voluntatis, aliarumque animæ potentiarum, alio externo quodam adiutorio eguisse. vt in iustitia perseueraret, & ad vitam æternam peruenire posset. [Enchir. 106.] Etsi, inquit Augustinus, peccatum erat in solo libero arbitrio con-

ſtitutum, non tamen iuſtitiæ retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium, niſi participatione immutabilis boni Diuinum adiutorium præberetur. Et alibi: Nec ipſum primum hominem Deus eſſe voluit, ſine gratia ſua, quam reliquit in eius libero arbitrio. Quoniam integrum etiam, ſanum, rectum ad malum ſufficit, ad bonum autem parum eſt, niſi adiuuetur ab omnipotente bono. Et infra: Tunc ergo dederat Deus homini bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum, dederat & adiutorium, quo in ea poſſet ſi vellet permanere. Et alio in loco aliquid habet ad hanc rem faciens, nimirum ita inſtitutum fuiſſe hominem, vt ſi de adiutorio Dei fideret, bonus homo malum angelum non haberet. Quod ſi nomine adiutorij, quo creſceret homo, & permaneret in bono, non aliud intelligas, quàm voluntatis & aliarum potentiarum animæ rectitudinem. Ridiculum eſt quod ibi Auguſtinus, inquit: Sic enim nihil aliud diceret, quàm non habiturum fuiſſe hominem malum angelum, ſi in ſua bonitate, in ſuis viribus, in natura ſua fidiſſet. Non vult hoc Auguſtinus, abſit, nec docet hominem in ſeipſo fidere: at contrarium intendit, ſi homo non in ſeipſo, ſed in Deo ſemper fideret, bonus homo malum angelum non haberet, ac per conſequens vult Auguſtinus adiutorium illud hominis, in primo ſtatu aliud fuiſſe à libero eius arbitrio, ſano & integro. Quodnam autem illud fuerit adiutorium, quod homini dabatur ſupra ſanam, & omnino integram voluntatem, ad promerendam vitam æternam, difficilè fuerit ſcire: dicam tamen perpaucis (ſaluo ſemper meliori iudicio) quid mihi videatur. Exiſtimo illud fuiſſe continuum quendam Dei influxum, quo aſſiduè præbebat intellectui hominis lumen ſapientiæ, & bonæ eius voluntati, fomentum amoris. Quod ipſum locis non paucis ſenſiſſe mihi videtur Auguſtinus: Natura, inquit, humana, etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo modo ſeipſam creatore ſuo non adiuuante ſeruaret. Sed adhuc ibi in genere manet, vnde alibi adhibita congrua ſimilitudine, adiutorium iſtud aliquanto apertius explicat. Sicut oculus corporis, inquit, etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adiutus, non poteſt cernere, ſic homo etiam perfectiſſimè iuſtificatus, niſi æterna luce iuſtitiæ diuinitus adiuuetur, certè non poteſt viuere. Clariſſimè autem, & fuſiſſimè hac de re ſuam exponit ſententiam pluſculis aliijs locis. Atqui hic naſutiores quidam, perperam Auguſtinum intelligentes, obijcient fortaſſe: Vniuerſæ res pendent

De correp & gratia, ca. 11.

Libr. 14. de Ciuitat. Dei, cap. 27.

Epiſt. 106. quæ eſt ad Paulin.

De natura & gratia, cap. 26.

Similitudine probat.

8. de Gen. ad lit. cap. 12. & lib. 14. Ciuit. Dei, cap. 15.

pendent à Deo, eiusque influxu & continuo concursu, sicut lumen à sole, ita vt si ille vel ad momentum lumen rebus subtraheret suum, protinus in nihilum tenderent, quod ergo de adiutorio Adæ recto & sano à Deo præstito dictum est, non est aliud, quàm quod Deus Adam conseruat in esse, in bona voluntate, & iustitia eius. Sic illi quasi illud adiutorium duntaxat fuerit bonorum habituum in mente & voluntate eius conseruatio, sicut omnia & singula secundum suam quæque naturam conseruat. Verum hæc Augustini expositio multipliciter à veritatis semita exorbitat: inde enim consequeretur, hominem posse & debere propriè, secundum Augustinum, in seipso confidere. Deinde quod Deus conseruaret in Adam generali illo suo influxu bonos naturæ conditæ habitus, rectam voluntatem. Non deberet ergo Augustinus, adiutorium illud Adæ vocare gratiam Dei & maximè Christi, & participationem incommutabilis boni, vti prælibatum est. Pro intellectu autem pleniori huius adiutorij, siue influxus, quo Deus continuo in hominem primum lumine sapientiæ & iustitiæ, influebat, notandum est Deum diuersis modis res instituisse, & proinde etiam diuersis gubernare modis. Quasdam enim ita instituit, vt perseuerent semper in natura sua, per solam illam generalem conseruationem, vt angelus, anima rationalis, &c. Sunt aliæ res quæ non conseruantur nisi fomento & continua subministratione alterius rei, præter illam generalem conseruationem Dei omnibus communem, quemadmodum nisi animalibus subministres cibos, alimenta, item tutelam ab iniurijs aëris, & aliarum rerum noxiarum, non possunt vitam suam tueri. Quemadmodum autem non dicimus, quod qui animalibus alimenta subministrat, nihil aliud præstat eis, quàm quod generaliter ea conseruet, vt omnia à Deo generali illo influxu conseruantur: sic non est dicendum illam bonæ voluntatis conseruationem in primo homine per adiutorium Dei ad illum generalem influxum pertinere, quem Deus præstat vnicuique rei, secundum suam naturam, sed quod præter illam omnibus rebus communem conseruationem, præstabat Deus bonæ voluntati Adæ fomentum perpetuum, nempe spirituale lumen, & sapientiam in mente, & amorem bonum iustitiamque in voluntate, quæ iustitiæ fomenta solus Deus præstare potest, quas non præstat nisi agnoscentibus se. Adam sic Deo acceptum ferre debebat: Bone Deus cum aliquid intelligo video te lucentem,

Res diuersis modis à Deo sunt institutæ.

meque ad hoc intelligendum illuminantem, cum aliqua verò desidero, facio, &c. agnosco te accedentem, tuamque continuam gratiam elargientem: quod sanè plus quippiam est, quàm illa generalis conseruatio, quam præstat omnibus hominibus, sicut animalibus, præter illam communem conseruationem, vt possent viuere tribuit alimenta, cæteraque necessaria. Eo enim exemplo libentius vtor, quod scriptura ipsum Deum viro, hominem autem in hoc gratiæ negotio mulieri comparet. Et diuus Augustinus, quinque locis adiutorium, quo indiget homo iustus, corporali animalium nutrimento comparare non dubitat.

Enchir cap. 106. de cor. & gratia, cap. 11. Libr. 14. Ciuit. Dei, cap. 17. de natura & gratia, cap. 20. & lib. 3. de libr. arbit. cap. 10.

Adiutorio Diuinæ gratiæ, Adam quando vtebatur?

CAPVT XIIII.

Grandis licet & sublimis sit quæstio, tamen ex doctoribus est demonstrandum, quidnam impræsentiarum sit sentiendum. Vtebatur hoc Diuinę gratiæ, adiutorio primus homo, creaturarum omnium & maximè suam ipsius pulcritudinem contemplando: neque enim, tam à Deo alienus erat, quin ex admirandis speciebus à Deo conditis, fuerit mirabiliter in contemplationē, & amorem Dei omnium cōditoris raptus. Quam sanè creatoris pulcritudinem, in creaturis nos ob cæcitatem mentis cernere non valemus, teste Augustino, & Prospero. Verum his fortassis obuiabit, opponetque Augustinum alicubi asserere angelos stetisse per liberum arbitriū, & hominem etiam si voluisset, per idem liberum arbitrium in iustitia perseuerare potuisse. Quonam igitur modo dictum est, hominem primū ad hoc, vt perseuerare potuisset, alio eguisse auxilio Dei, præter bonam suam voluntatem, liberumque arbitrium? Non sunt hæc repugnantia. Poterat quidem homo perseuerare per liberum arbitrium, atqui inde non sequitur, quod ad perseuerandum non eguerit alio adiutorio. Quemadmodum verbi gratia, Homo sanus, & robustus per sanitatem suam, & fortem complexionem diu viuere potest, attamen non inde consequens est, ipsum ad hoc, vt diu viuat, non indigere adiutorio cibi & potus: verum si alimenta conuenientia habeat, per illa Nestorios quasi annos attingere potest. Sic primus homo optimè stare dicitur, & perseuerare potuisse per liberum arbitrium, quia semper habebat paratum adiutorium, & fomentum, pendebatque ab eius nuda voluntate, accipere, illoque vti adiutorio.

Libr. 10. confess. cap. 6. Lib. 2. de vocat. gēt. ca. 1. De bono perse. cap. 7. & de correp. & gratia, cap. 11.

Iustitia originalis & gratia, quando in parentibus deperdita?

CAPVT XV.

NEotericorum quidã argumentantur hoc modo: Clarum eſt per originalẽ iuſtitiã, primos homines nõn erubuiſſe, habuerũt igitur originalem iuſtitiam tantiſper dum nõ erubuerunt. Gratiam autem gratum faciẽtem certum eſt eos ſimul, atq; peccauerunt amiſiſſe: neque enim gratus eſſe poterat Deo, qui grauiter eum offenderat. Igitur Eua per comeſtionem ligni vetiti, perdidit haud dubiè gratiam gratumfacientem, atq; per eandem comeſtionem, iuſtitiam originalem non mox perdidit. Conſtat enim ex Geneſi nõ erubuiſſe, nec prauum concupiſcentiæ motum mulierem ſenſiſſe, donec Adam ipſe comedẽdo tranſgreſſus eſſet, remanſerunt igitur inferiores vires ſubiectæ, & rationi obedientes. Siquidem Moyſes, inquiunt, apertiſſimè ſcribit mulierem guſtatum fructum viro obtuliſſe, virumq; mulieri acquieuiſſe, vt comederet, ac, tum demum apertos eſſe amborum oculos, & ob rebellionem carnis erubeſcere cœpiſſe. Ecce poſt peccatum Adæ, aperiuntur oculi mulieris, non ante peccatum, viri, ergo iuſtitia originalis remanſit in muliere, iam pulſa gratia gratum faciente, per tranſgreſſionem Diuini præcepti: alia igitur res eſt originalis iuſtitia, alia gratia gratum faciens. Conſequutio certa eſt, & aperta, & quæ negari non poſſit, prorſus enim effecerunt, quam volunt differentiam, ſi verum eſt quod aſſumunt. Sed hoc ipſum eſt quod inficiamur, Originalem ſcilicet iuſtitiam in Adam remanſiſſe, cum tranſgreſſionis peccato, expulſa iam gratia gratumfaciente, ſed ſimul atque peccauit Eua, etiam priuſquam vir peccaret, perdidit originalem iuſtitiam. Ac à ſuperiori & inferiori ſimul animi parte ſenſit rebellem carnis motum. Nam ex ſuperbia, gula, &c. nata eſt, vnde vidit mulier pomum aſpectu delectabile, & gulæ obſecundans, eam vilem rem Diuino præcepto antepoſuit, & comedit. Quod autem amborum oculos apertos eſſe, poſteaquam vir peccauiſſet, ait, id ita eſt accipiendum, vt intelligatur, tum amborum concupiſcentia in duobus exarſiſſe in ſe mutuo, cùm nimirum vterq; ab altero iam ſe concupiſci videret Nam Eua priuſquam virum pellexiſſet in eandem tranſgreſſionem, non aduertit quod vir ſe concupiſceret, nec vir cùm adhuc innocẽs eſſet, animaduertit ab vxore carnaliter ſe amari, at vbi vterq; de altero id cognouit, tum cœpit alter in alterum exardeſcere,

Cap. 3.

Iuſtitia originalis, quando deperdita?

Oculi amborum, quomodo aperti?

Libr. 11. de Gen. ad lit. cap. 30. lib. 1. de nup. & cõ. cap. 5. libr. 1. cõt. 2. epistolas Pela. cap. 16. & libr. 2. de peccator. mer. & remiss. cap. 22.

vnde magna quoque erubescentia exorta est. Hinc D. Augustinus, oculi, inquit, aperti sunt, ad inuicem concupiscendum. Potuitque fieri, vt coram viro adhuc iusto & innocente, Eua non erubesceret, sicuti coram paruulo vir nudus non erubescit, quia necdum sciunt paruuli, quicquam esse in homine pudendum. Nec sanè quicquam absurdius, quàm originalem iustitiam, cùm tot, tantisque vitijs, superbia, infidelitate, gula consistere potuisse, velle tueri.

De nomenclatura gratiæ.

CAPVT XV.

MVltipharià Gratiæ vocabulum vsurpatur: nonnũquam enim accipitur pro quodã fauore, quo quis gratiã alicuius habere dicitur, quod illi nunquã non sit acceptus, sic Lucas accepisse creditur, inquiens angelum dixisse, Inuenisti gratiam apud Deum. Aliquãdo pro dono, & temporali beneficio exhibito. Vnde hoc mihi, vt inueniam gratiã? Tertiò, gratia est, quod non sumus arbores, oues & boues rationis expertes, sed creaturæ fideles, beatitudinis capaces, secundum Augustinum. Gratia etiam si Paulo credamus, quia à Deo gratis nõ ex debito datur, appellatur, alioqui iam gratia non esset gratia. Et alibi: Merces, inquit Apostolus, imputatur, non secundum gratiã, sed secundum debitum. Hanc acceptionem comprobat D. August. plusculis locis, qui propositiones quaſdã ponit, quæ non parum conducunt ad explicationem gratiæ. Atqui fortè instas, Natura isto modo gratia est: neque enim Deus, nos homines ob vllum nostrum meritum fecit. Grãmaticam quidem significationem, & nominis vim, si spectes, naturã quoque nulla ratione improbanda, gratiã dici posse confiteor: Nullam tamen propheticam, Euangelicam, aut Apostolicam scripturam, Gratię nomen in ea significatione vsurpasse, vt & naturæ dotes, ipsámque adeò naturam complecteretur legisse me recolo. Præterea & aliud quiddam de nomine gratiæ adnotandum est, hoc nomen in sacris eloquijs esse admodum generale, frequenter enim complectitur dona quædam gratuita, quæ tamen per se, nec iustitia sunt, nec iustitiæ pars, id est, quę hominem, neque absolutè, neque ex parte iustum reddant: cuiusmodi gratiæ dona Scholastici gratias gratis datas, docendi gratia vocare, velut est gratia sanitatum, genera linguarum, interpretatio sermonũ, de quibus Apostolus Paulus, diuisiones, inquit, gratiarum sunt. Et Petrus, Vnusquisq; sicut accepit gratiã, in alterutrum illam administrãtes, sicut Dei dispen-

Marginal notes: Daniel. 2. — Ruth 2. — *Epistola 95. ad Innocentium.* — Rom. 11. — *De gratia & liber. arbit. cap. 14.* — *De prædest. sancto. cap. 2.* — *Epistola 107. quæ est ad Vitalem.* — *Variæ acceptiones gratiæ.* — *Gratia gratis data.* — 1. Corin. 12. — 1. Epist. ca. 4.

dispensatores multiformis gratiæ Dei. Sumitur & pro memoria impensi beneficij, & voluntate rependendi, hinc dicimus gratias agere, referre gratiam, &c. Item pro obligatione beneficij accepti, vt apud Salustium: Nunquam redditam tibi gratiam putaris, semper apud me integra erit, hoc est, pro tuo in me beneficio, puta me perpetuò tibi deuinctum fore. Est & alia acceptio, sed scripturis propria, vt idem sit, quod donum in anima residens, à plenitudine gratiæ Christi in eam deriuata. De qua Ioannes ait: Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Et Paulus, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis: Hanc Scholastici vocarunt gratiam gratum facientem, extenditque se ad iustitiam, ac omnes eius partes, ad remissionem peccatorum, quibus Diuina lex violatur, quin etiam vitam comprehendit æternam. Atque hæc est, quæ proprio nomine gratia Christi appellata est, siue gratia Dei per Iesum Christum. Hæc est gratia iustificans, de qua Paulus ad Romanos sublimiter philosophatur, hæc omnino gratia est, de qua nostra futura est disputatio, differimus enim de gratia, qua iustè viuitur, aut saltem iniustè actæ vitæ venia obtinetur. Quamobrem magna, & præclara legis Diuinæ cognitio, per se non est propriè dicta Christi gratia. Nec possibilitas qualemcunque mente conceperis, quæ sit ab actione & effectu separata, propriè dicta Christi gratia censeri debet: Nam sicuti præclarè dixit beatus Augustinus. Gratia Christi non est communis bonis & malis. Et alibi illustrem sententiam expressit: Qui nouit, ait, quid facere debeat, & non facit, &c. Est insuper illud obiter de nomine gratiæ considerandum, quo & scripturas & veterum monumenta inoffenso pede legamus, ipsum nimirum gratiæ nomen interdum, tam in sacris literis, quàm in veterum scriptis, pro ipso munere gratis propter Christum homini dato vsurpari. Aliquando pro misericordia & liberalitate, quod scripturæ bonam Dei voluntatem, beneplacitum aliquando simpliciter voluntatem appellant, velut in Psalmis, Benignè fac in bona voluntate tua Sion, id est, propter tuam misericordiam, siue ex gratiæ tuæ fauore. Item, Ira in indignatione eius, & vita in voluntate, id est, benignitate & fauore. Et Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Ac in Epistola ad Ephesios, vocatur beneplacitum Dei, id est, magna misericordia. In hac significatione vsurpatur etiam ab Augustino, distinctione 26. §. C. cùm ait voluntatem bonam comitari gratiam, id est, Dei misericordiam & gratuitum fauo-

In Bello Iugurtino.

Gratia creata.

Cap. 1.

Rom. 5.

Gratia gratũ faciens, quid?

De prædest. sanct. cap. 5. & de gratia Christi, 13. et 14. & 47.

Psalm. 50.

Psalm. 29.

Ibidem.

Cap. 1.

fauorem,&c. Non est sensus bonam voluntatem comitari gratiam creatam, cum ipsa sit bona voluntas. Absurdus autem foret sensus, bonam voluntatem comitari bonam voluntatem, & ipsam præuiam esse non pedissequam, sed Spiritus sanctus ille præuius est, ille mouet, ille ducit,&c. Eodem in loco gratiæ nomen accepit pro increata, cum ait, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa meretur augeri, &c. Manifestior locus est alibi, Cum data,inquit,fuerit gratia,ait inter cætera, si se gratia subtraxerit.quod de creata non potest intelligi, neque enim se subtrahit qualitas vlla animis nostris, sed misericordis Dei manum operatricem, Deumq; ipsum nomine gratiæ August. significauit. Sic & aliàs dicit gratiam subdere sibi rebelles hominum voluntates, quod non creatam gratiam facere vult, sed increatam, ipsum Deum imbecilles adiuuantem. In Concilio Arausicano, gratia facere dicitur, vt inuocetur à nobis, vel Deus scilicet, vel gratia: quibus verbis non aliud significatum est, quàm Deum misericordia sua corda nostra excitare, facereq́ue vt eum inuocemus, qui est gloriosus & superexaltatus in sæcula. Amen.

De lib. arb. cap. 6.

Gratia increata.

De effectu gratiæ.

CAPVT XVI.

GRatia facit vt homo qui ante ebriosus erat, libidinosus, infidelis. &c. efficiatur sobrius, castus, fidelis. &c. Item gratia efficit vt homo qui peccato erat æternæ damnationi obnoxius, regnoq́ue Plutonico dignus, fiat amicus Dei, & hæres æternæ salutis, omnibus peccatis ac supplicijs ijs debitis, condonatis, ac remissis. Denique longe maxima gratia facit, vt Deus ipse chlamyde nostræ mortalitatis indutus appareat, vt fœmina sine virginitatis detrimento pariat. Hæc omnia nullam habent seminalem in creaturis rationem, sed causas in solo Deo absconditas. Non enim in primis illud habet natura ebriosi, & hominis illecebris carnis dediti, vt sobrietatem & castitatem diligat, quippe quæ sunt appetitui eius contraria: impellit eum corrupta natura ad ebrietatem, gulam, carnis voluptatem sectandam, hæc amat homo naturaliter, & in his collocat bonum suum, eiusmodi est ratio seminalis, talis est naturæ virtus in homine. At Deus optimus maximus, admirabili & singulari sua gratia, naturam hominis mutat, & voluntatem eius inclinat, vt naturali desiderio ac gratuito Dei beneficio cōtraria velit, hoc est, vt contrariā naturam

amet

amet & fectetur iuſtitiam, pietatem, &c. Atque ita vis quædam fit naturæ hominis, vt homo qui naturaliter fertur, atque impellitur ad peccatum, nunc pietatem ſeruet, & contrarium velit, non aliter quàm mortuus ad ſuperos reuocatur. Non habet enim in ſe mortuus virtutem aliquam qua reſurgere queat, ſed eius natura eſt, vt mortuus maneat & in pulueres reuertatur. Sic Æthiops naturaliter nõ poteſt mutare colorem ſuum, nec pardus pellem ſuam, ſed ſuperiori aliqua potentia ad hoc opus eſt. Tale aliquid fit, quando homo iuſtificatur, ac ſi mortuus reſuſcitaretur, Æthiops vel pardus pellem ſuam mutaret. Simile eſto iudicium de perſeuerantia in iuſtitia. Vnde quantumcunque aliquis in iuſtitia profecerit, ſi ſibi relinquatur, ſi permittatur naturæ ſuæ virtutem & inclinationem ſequi redibit homo mox ad ingenium, confeſtim omni abiecta iuſtitia, ſe ad peccata conuertet: non eſt ergo in virtute naturæ hominis iuſti, aut rationibus ſeminalibus, vt in iuſtitia perſeueret. Quædã verò ſunt, quibus peccatores ſalui fiunt, quę & ad illa pertinent, quorum ratio ſeminalis tantum in Deo eſt. Nam quod omnes ære alieno grauati ac oppreſſi, confugiebant ad Dauidem, pulcrè quidem ſignificat gratiam Chriſti, quòd omnes qui peccata ſua agnoſcerent, ideoque amaro animo eſſent, ad Chriſtum pro conſolatione & defenſione confugerent. Quæ verò ad ſignificandam gratiam Chriſti, contra naturalem motum rerum per miraculum à Deo facta ſunt, illa in ſolo Deo cauſas habere dicuntur, vt quod Sara in iuuentute ſua ſterilis ex ſene in ſenectute filium pariat. quo exemplo libenter vtitur Apoſtolus, eo quod beneficium diuinæ gratiæ luculenter adumbret. Significatur enim, quod qui ſemper ſteriles fuerunt ex ſe, ad producendos fructus iuſtitiæ, ac bonorum operum, per gatiam Dei fœcundi in iuſtitia Dei fiant, & iuſtitiæ opera pariant. Talia etiam ſunt miracula omnia, quæ Chriſtus egit, quòd mortuus reſurgat, leproſus mundetur, &c. Hæc enim omnia ſpiritualem animæ ſanitatem ſignificant, quæ per Chriſtum confertur, ad quæ nulla eſt ratio ſeminalis, in creaturis. Hic autem breuiter illud de gratia addimus, opus diuinæ prouidentiæ eſſe quo facit naturas exiſtere, datque eis internas qualitates & operationes, vt quo facit ignẽ, & dat ei proprietatem vt ardeat. Alterũ opus diuinæ prouidentiæ eſt, quo adminiſtrat Deus conditas naturas, vt vult, quo applicat actiua paſſiuis, vt quo lignum in ignem mittit, &c. Vnde fit vt vnum lignũ diutiſſimè duret, alterum citius comburatur, non ex naturæ ipſorum lignorum diuerſitate, aut illo prouidẽtiæ opere, quo Deus naturas

Similitudinibus oſtendit gratiæ effectum.

naturas substituit, vt sint, & suas internas operationes habeant, sed quo res administrat, vt vult quo aliquid noui addit rebus, & aliquid circa naturales eorum operationes efficit.

Definitio gratiæ. CAP. XVII.

Hoc aut simili modo gratia potest describi: Gratia est forma à Deo nobis data gratis, sine meritis gratum faciens habentem, & opus eius bonum reddens dignum vita æterna. In qua descriptione, gratia dicitur esse forma: quo demonstratur preter donum increatum Spiritum sanctum, in nobis esse donum creatum & intrinseca quædam qualitas menti inhærens, qua anima formaliter iustificatur & sanctificatur, secundum beatum Augustinum, Conciliũ Arausicanum, & Tridentinum, nec non diuum Thomam. Vbi sic legitur: Si quis dixerit, homines iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate quæ in cordibus eorum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam per gratiam qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei, anathema sit. Quo decreto, anathematis vinculo innodatur Philippus Melanthon cum suis complicibus, qui arbitrantur per gratiam nihil aliud significari quàm fauorem & gratuitam quandam acceptationem. Quando autem constituimus in anima hominis donum creatum præter increatum, teste August. necessarium est ponere gratiam in genere accidentis non substantiæ, & proinde non potest esse nisi in subiecto. Nec potest simul consistere cum culpa, quæ si alicui insit ab illo gratiã pellit, & quodammodo in nihil tendit, quia deficit in se ipsa propter auersionem mentis humanæ. Cum enim gratia non seruetur nisi ex continuatione influentiæ bonitatis diuinæ, super faciem mentis nostræ, quãdo anima à Deo per peccatum auertitur, influentia non continuatur, & per consequens gratia quasi corrumpitur, non quod peccatum agat in gratiam, sed quia anima per peccatũ se auertente, & Deo influere cessante, necessum est gratiam in se deficere. Deinde additur in descriptione (gratis data sine meritis) qua particula descriptio restringitur ad gratiã primam. Duplex siquidem inuenitur gratia, prima & secunda. Gratia prima rursus tripartita diuisione secatur. Primò, illa gratia dicitur prima, à qua cæteræ fluere cognoscũtur, hoc modo dicitur Deus prima gratia: Omne datum optimũ, & omne donum perfectum descendens à patre luminum. Secũdò, prima gratia dicitur aliquando gloria ipsa, quæ est summa gratia, appellaturque prima ratione perfectionis: gloria namque nihil aliud

De natura & gratia, cap. 4. & 70. Lib. 2. contra 2. epistolas Pelag. cap. 5. 6. & 9. epistola 106. ad Paulinum. 2. canone 17. Sess. 6. ca. 11. quæst. 110. Prima 2. art. 2. Lib. 3. contra Max. ca. 14 tract. 74. in Ioannem. 8. in epistolam eius & 15. de trinit. cap. 26.

Iacobi 1.

est quàm gratia consummata. Tertio modo, prima gratia, dicitur habitus gratuitus qui animę ad resipiscendũ stimulãdo & illuminando, confert remissionem peccatorum ac iustificationem. Sic paruulis gratia baptismatis dicitur gratia prima: in adultis verò post peccatum gratia in contritione habita. Gratis, inquã, sine meritis, quia nemo primam istam gratiam mereri potest, teste Apostolo: Si ex meritis, iam non ex gratia. Et de hac gratia intelligendus est beatus Augustinus, quãdo dicit, quod gratia nõ cadat sub merito. Nemo enim hãc primã gratiã ex cõdigno mereri potest, ante peccatorum remissionem & iustificationem, qua adepta nascitur principium meriti. Atqui huic objici potest Augustinus sermone primo & quarto de Sanctis, & de bono perseuerãtię, qui videtur insinuare sanctum Stephanum meruisse Pauli conuersionem: Si, inquit, sanctus Stephanus sic non orasset: Paulum Ecclesia non haberet, fortasse enim sic sunt prædestinati quidam, vt nostris orationibus concedantur, accipiantque eandem gratiam qua velint esse efficianturque electi. Respondendum est, nullum hic de condigno meritum, & si fuerit aliquid meriti, fortassis meritum congrui nuncupari potest quod non est proprij nominis meritum. Sed vnde prouenit quod aliquis alteri primam gratiam de congruo mereri queat, & non sibi, cum homo sibi quam alteri intimus magis esse debeat? Respondendum secundum Richardum, & beatum Bonauenturam, nec non Thomã, quod mereri de congruo alteri primam gratiam procedit ex gratia, ex qua omne opus est gratum, Deoq; acceptum, quo fit, vt alteri suppetias ferre possit, at sibi nemo primam gratiam mereri valet, vtpote ante primam gratiam inimicus Dei existens, & filius æternæ dãnationis, quo fit, vt nullius valoris, aut meriti sint apud Deũ, si quæ habeat opera secundũ Augustinũ. Cũ autẽ gratia possit augeri sicut & fides, adauge nobis fidẽ, & iustificatio, qui iustus est, iustificetur adhuc: istud augmẽtum quod prouenit ex bono vsu primæ gratiæ, potest homo mereri per actus à gratia informatos, seu à charitate elicitos, ac imperatos. Deinde additur (gratũ faciens habentẽ) quo excluditur gratia gratis data, quę quidẽ creditur donũ supernaturale gratis homini cõcessum, disponẽs ad propriã vel aliorũ salutem, secundũ sanctũ Thomam. Sed per se non iustificat, nec gratum Deo efficit, nõ enim gratia miraculorũ, sanitatum, linguarum, & huius farinę alia, nos Deo reddũt acceptos, quia possũt inueniri in idololatris, vti liquido cõstat de Balaã Propheta: Vnde Apostol. Si linguis hominũ loquar & angelorũ, charitatẽ autẽ nõ habeã, &c. quia sine charitate

Lib. de bono perse. cap. 11. & 12.

Epist. 105. ad Sixtũ 143. ad Iulianum. 144 ad Anastasium. 200. ad Asellium.

Tract. 115. in Ioannẽ, c. 22.

Gratiam primã nemo mereri potest.

Meritum cõgrui quale?

Distin. 27. lib. 2.

Prima 2. quæst. 114.

Epist. 106. ad Paulinum.

Lucæ 17.

Apocal. 21.

1. 2. *quæst. 111. art. 1. & 4.*

Numer. 24.

1. Cor. 13.

secundum

Libr.1. cont. Donatist. cap. 9. & serm. contra Emeritū episcopū. secundum Augustinum inesse possunt, sed prodesse non possunt. Nequaquam tamen destituuntur omni effectu laudabili, quia si illis homo bene vtatur, illis ad æternam beatitudinem disponitur: Si verò malè, Deus ea ordinat aliorum profectui, & saluti. Gratia autem gratum faciens, facit hominem amicum, sponsum, filium, hæredem Dei, & cohæredem Christi. Hæc cùm gratia gratis data habet se, vt maius & minus commune. Gratia gratum faciens, est minus communis, quia omnis gratia gratum faciens est gratis data, teste Augustino. quod gratuito Dei eam habeamus munere, sed non contra. Est & aliud discrimen, quia gratia gratis data consistit cum peccato lethali, explosa charitate, sed non gratia gratum faciens, per quam Spiritus sanctus potius possidet corda fidelium. iuxta illud Apostoli: Nescitis quia templum Dei estis vos, & Spiritus sanctus habitat in vobis? quod non fit gratia gratis data. Vltimò additur (bonum opus reddens dignum vita æterna) qua particula docemur hominem, non solum per gratiam Deo esse gratum, sed & vniuersa eius munera & opera, adeò illi placere, vt æterna retributione digna habeat, tum quia ita sacratissima ordinatione disposuit, tum quia non ab homine solum, sed etiam à seipso Deo, quasi profecta. Non enim vos estis, inquit, qui loquimini, sed spiritus patris vestri loquitur, &c. Sic procedere non fuerit incongruum: Non estis vos solum qui operamini, pœnitemini, orationes funditis, ieiunatis, sed spiritus patris operatur, ingemiscere facit in vobis. Vnde Augustinus, haud incongruè protulit, quod hoc disticho comprehenditur:

Gratiæ gratū facientis, & gratis datæ habitudo.

Lib.1. ad Simplicianum. quæst. 2. & de natu. & gratia, cap.4.

1. Corin. 3.

Opera, æterna digna vita quomodo?

Matth.10.

De bono perse. cap.2. lib. 9. cōfess. cap. 13.

Epistola 106. ad Sixtum.

Quicquid habes meriti præuentrix gratia donat,
Nil Deus in nobis præter sua dona coronat.

De diuisione gratiæ.

CAPVT XVIII.

IMpræsentiarum haud dissimulandum est, Deum non solum nobiscum operari, & cooperari, sed etiam operando, nostram voluntatem anteuertit, & præuenit. Voluntas siquidem humana (qualem accepimus ex carne & sanguine) & alia quæcunque naturæ vis, præstare nihil potest, quod dignetur Deus intueri, vt eius intuitu gratiam, ac munera sua largiatur. Omnis quippe ait Propheta, caro fœnū, & gloria eius, quasi flos

Cap. 3. fœni. Vnde Concil. Arausicanum sic habet: Si quis inuocatione huma-

humana,gratiam Dei dicit posse cōferri,non autem ipsam gratiam efficere,vt inuocetur à nobis,contradicit Esaię Prophetæ, vel Apostolo idem docenti : Inuentus sum à non quærentibus me,id est,cum me nullus quæreret,ego homines præueni,& eis vt me quærerent,dedi. Et canone sequenti:Si quis vt à peccato purgemur voluntatem nostrā Deum expectare contendit,non autem etiā vt purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem, & operationem in nobis confitetur fieri , resistit ipsi Spiritui sancto,per Salomonem dicenti:Præparatur voluntas à Domino.Et Apostolo salubriter prædicanti,Deus est qui operatur in nobis,velle,& perficere pro bona voluntate. Sextus canon ita habet:Si quis sine gratia Dei,credentibus,volētibus,desiderantibus,conantibus,laborantibus,vigilantibus,studentibus,quærentibus,petētibus,pulsantibus nobis,misericordiam dicit nobis proferri diuinitus,non autem vt credamus,velimus,vel hęc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem & inspirationem sancti Spiritus,in nobis fieri cōfitetur, & aut humilitate,aut obedientiæ humanæ subiungit gratiæ meritum,nec vt obedientes & humiles simus,ipsius gratiæ esse donum consensit, resistit Apostolo dicenti : Quid habes quod non accepisti? Gratia Dei sum,id quod sum. Eodem recidunt duo consequentes, Si quispiam igitur ad vitæ sanctimoniam , ita exhortetur, vt petendum,pulsandum,vigilandum moneat, sed hæc ad gratiam Dei comparādam, sine gratia fieri ab homine arbitretur, cum scripturis aduersari definitum est. Verbi gratia : Si hoc dicentes , Pete , ora , pulsa , &c. intelligunt petitionem boni esse homini à seipso , non ex adiutorio & gratia Dei , præuenientе hominem,vt petat, oret, & pulset,falsissimum est:at verò si intelligunt à Deo hominibus dari , vt petant , verum est , talisque oratio; vtpote munere Dei concessa,impetrat.gratiamq; meretur . Ex his , haud difficulter elucescit duplicem esse gratiam . Vna appellatur operans, altera vocatur cooperans. *Gratia operās & cooperans.* Cooperans dicitur motio, qua Deus concurrit ad actum bonum exteriorem, secundum Aquinatem, per voluntatem imperatum,quia ad hunc actum,Deus iuuat interius voluntatem confirmando, & exterius facultatem operis præbendo, & impedimenta remouendo . Operans autem dicitur motio, qua volūtas,quæ prius volebat malum,mouetur ad volendum bonum.Hæc diuisio non solum sumpta est ab Augustino,sed cognoscitur etiam ab ipso Paulo vsurpata : Certus sum, inquit, quia qui operatur in vobis opus bonum,perficiet,&c.& capite sequēti,Deus qui operatur in vobis velle & perficere.In quibus

1. 2. quæst. 111. art. 2.

Epistolā 105. ad Sixtum,et de gratia, & liber. arbit. cap. 17.

Philip: 1.

locis insinuatur vtraque gratia, tam cooperans quàm operans, quæ scilicet operans, vt velimus, sine nobis operatur: cùm autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum cooperatur. Certum est namq; nos velle, cùm volumus. sed ille facit, vt bonum velimus, pręparatur siquidem, vt pręlibatum est voluntas à Deo, hoc est, prius paratur à Deo, cor lapideũ nobis auferente, vnde non faciebamus, & dat cor carneum, quo faciamus, testibus Augustino & Gregorio. Exemplo quod dicitur dilucidum euadat, Petrus Apostolus, quod mortem pro Christo oppetere voluerit, dicendo: Animã meam pro te ponã. Et iterum: Si oportuerit me mori tecum, nõ te negabo: haud dubiè alicuius gratiæ operantis fuit, mox tamen ad interrogationem ancillæ, ter vitã negauit, quòd mori timeret: postea verò pro nomine Iesu contumeliam passus, etiam crucis dira tormẽta pro Christo sustinere non dubitaret, quod fuit gratiæ cooperantis. Per operantem namque gratiã fit homo bonæ voluntatis, qui prius ad malum propendebat: Per cooperãtem autem vt bona quæ iã cœpit, augeantur, quatenus eò proficiat, vt victa cupiditate, Diuina iussa perficiat. Vtrãque igitur Deus in nobis operatur, sed nõ pariformiter, quia velle in nobis operatur immediatè sine nobis. i. absq; nostra vt velimus cooperatione. Cùm autẽ sic volumus vt faciamus, cooperatur, non immediatè potentiã inclinãdo, vel opus externũ producẽdo, sed duntaxat per bonæ voluntatis medium, quo concurrit ad actũ bonum exteriorem per voluntatem imperatum, quia ad hunc actum Deus iuuat interius voluntatẽ confirmando, & exterius facultatem operis præbendo, atq; impedimenta resoluendo, secundũ Augustinũ. Hæc duplex gratia, operans & cooperãs, aliquãdo dicitur gratia incipiens, & subsequens, præueniens cõcomitans, &c. secũdum Thomã. Et quanquam vocũ prædictarũ varietas eodẽ tendere videatur, penitius tamen negotium inspicienti, & lynceis quasi oculis rẽ considerãti nonnihil diuersitatis emerget, quia offendet gratiã præuenientẽ, & operantẽ, se dirimere, sicuti illa, quæ sunt magis & minus (apud Logicos) cõmunia. Quod vt manifestius euadat, assignãdi occurrunt quinque effectus, quorũ primus est, bonum velle, secundus sanare mentẽ, tertius efficaciter operari, quartus perseuerare, quintus gloriam cõsequi. Quibus positis eadem gratia diuerso respectu potest dici præueniẽs, & subsequẽs. Exempli gratia, Efficaciter operari est gratia præueniens, respectu perseuerantiæ, & nihilominus subsequens respectu sanationis mentis, non tamen efficaciter potest dici gratia operans, vti ex prælibatis euasit manifestum. Eadem est habitudo

De gratia & lib. arbit. cap. 16. & 17. & 21. Epistola 107. ad Vitalem.

Libr. 19. de ciuit. Dei, cap. 1. tract. 107. in Ioan. & 93.

Ench. ca. 32.

Libr. 24. moral. cap. 6.

Matth. 26.

De gratia & lib. arbit. cap. 16. & 17.

De spiritu & litera, cap. 15. & 35.

Enchrid. 32.

Libr. 4. cont. 2. Epistolas Pelag. cap. 6.

1. 2. quæst. 111. art. 2.

Gratia præueniens, & operans, differunt.

tudo

tudo inter gratiam subsequentem & cooperantẽ, quoniam sanare mentẽ, est gratia consequens, comparatione velle bonum, nequaquam tamen cooperans dici meretur. Gratia tua Domine Iesu nos semper præueniat, & sequatur, ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos, per Christum Dominum nostrum.

Auxilium Dei, omnibus & singulis præsto est.

CAPVT XX.

PIum fuerit sentire, Diuinæ bonitatis viscera omnibus & singulis esse exhibẽda, nullumq; Deũ relinquere, sed omnibus & singulis hominibus inspirationes aliquãdo præstare, quibus ad resipiscentiæ cognitionem, melioremq; vitæ frugem pertingere queant. Scripturæ namq; generaliter loquuntur: O quàm suauis est Domine spiritus tuus in omnibus. Et alibi: Nõ veni vocare iustos. Et iterum: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Et rursum, Prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Ac quo nihil est manifestius: vult omnes homines saluos fieri, vti docet Paulus. Huius rei paradigma producit sanctus Cyprianus, haud incongruum. Quemadmodum, inquit, omnibus & singulis mãna Deus cælitus, in deserto præstitit: ita omnium corda pulsare, & auxilia offerre credendus est. Nec minus dilucida, quàm expressa generalitate diuus Augustinus eloquitur: Nulli, inquit, agnoscendæ veritatis abstulit facultatem. Quin alibi luculenter edocet, nullam esse animam, quantumuis peruersam, quæ tamen vllo modo ratiocinari potest, in cuius conscientia nõ loquatur Deus. Hic tamen nõ est ignorandum, hominum vitam, bipartito modo esse considerandam. Vno modo, quo sectantur carnis illecebras, ac concupiscentiæ motibus laxat habenas, contra legem spiritus, quibus Deus suo influxu subtrahi nullo modo credendus est: nihil etenim valet creatura, non cooperante, tanquam causa vniuersali, creatore, teste beato Augustino, & Concil. Arausicano. Multa, inquit, facit Deus in homine, quæ non facit homo, sed nulla facit homo, quæ non faciat generali aut influxu speciali Deus. Influxu autem sine concursu generali conuertit Deus vniuersa ad seipsum, tanquam ad finem vltimum, secundum esse naturæ. Hoc modo concurrit in motu progressiuo hominis, in vineæ plantatione, domorum ædificatione, & in similibus operibus. Specialis autem influxus, seu auxilium speciale est, quod hominem conuertit ad finem supernaturalem, hoc est, ipsum Deum, & ad visionem beatificam, & proinde ad ea, quæ adictum finem

Sapient. 12. Matth. 9. & 11. ac 28. 1. ad Timoth. 2. *Libr. 4. Epistola 7. ad Magnum.* *Lib. de prædest. & grat. cap. 13. lib. 2. Ser. Domini in mont. libr. 13. de Trinit. cap. 12. et lib. cont. art. falsò sibi pos. ca. 15* Libr. 2. cont. 2. Epistolas Pelag. cap. 8. 2. Cap. 20. *Influxus generalis.* *Specialis influxus.*

Influxus specialis quis? finem proficiunt. Hic tamen specialis influxus, non est aliqua gratia habitualis, sed est motio Diuina, siue instinctus, qui connumerari potest inter gratias gratis datas, quia cōsistit cū peccato lethali, quo mouetur, ac ad bonum excitatur, nec alicui denegatur, quandiu in hac degit miseriarum valle. Homines nihilominus diuersimodè se ad istum habent instinctum: aliqui namque illi acquiescunt, sicque ad gratiam habitualem de congruo disponuntur, quia facientibus quod in se est, non defore

Lib. 3. de lib. arb. cap. 20. creditur, secundum Augustinum. Non sunt, inquit, mediocria bona, quod anima facultatem habeat, vt adiuuāte creatore, seipsam excolat, & pio studio possit omnes acquirere, capereq; virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur: Non enim ante meritum boni operis parum est accepisse naturale iudicium, quo sapientiam præponit errori, & quietem difficultati, vt ad hæc non ascendendo, sed studendo

Tract. 26. in Ioannem. perueniat, quod si facere noluerit, peccati rea iure tenebitur, tanquam quæ non bene vsa sit ea facultate quam accepit. Hinc idem dicit: Si non traheris, ora vt traharis. Profectò quicunque

Facere quod in se est, quid? destitutus est gratia & charitate, non trahitur, si autem per orationem impetrare liceat, vt trahatur, in confesso est, quod per

Can. 9. Eccl. Libr. lib. 2. de actionibus cum Fel. cap. 8. 1. 2. quæst. 112. art. 2. & 3. orationem homo vtique se disponere possit ad gratiam. Dicitur autem homo facere quod in se est, quando conamine humanę infirmitati congruo, satagit vitare peccata, atque ad bonum rationis anhelat, secundum Dionysium Areopagitam, & Augustinum, nec non Thomam, ac Bonauēturam. In hominis siquidem potestate, quodāmodo relictum est, & positum, vt ei fides & charitas infundantur. Potest namq; aliquid facere, quo

Lib. 2. dist. 9. quæst. 3. Ephes. 2. facto Deo dante, fidem accipiat, quāquam eam à se habere nequeat, donum enim Dei est, secundum Apostolum. Pro hac re dilucidanda, Alexander de Hales exemplum adducit in mediū.

3. part. quæst. 69. art. 3. Qui in domo est, inquit, fenestris vndiq; occlusis, luminis nihil percipit, nec Phœbus radios suos solares super occlusum diffundit, nisi fenestrā aperiat, qua aperta mox suo iubare omnia

Similitudine probat, quomodo gratia negligatur? perlustrat. In qua similitudine comparat fenestram, eiusque apertionem actui voluntario qui potest assentire, & dissentire, tenebras verò peccato. Si igitur homo aperiat fenestram, ac

Actor. 17. obicem repagulorum remoueat, agatque quod in se est, mox Deus talē sua clementia emolliendo affluit. Thessalonicēsibus siquidē scrutantibus scripturas, à quo essent profectæ, an etiam veritatem præ se ferrēt, omniaque se ita haberent, quemadmodum Paulus inculcabat, Diuinum auxilium adfuit, nec solum omni auiditate verbum Dei audiuerunt, sed & permulti ex eis

Christo fœliciter nomina dederunt. Prouisum quoque legitur immēso Diuinæ beneficio largitatis fuisse super doctore veritatis, ac remedijs salutis: haud dissimiliter Abagaro Regi Edessenorum, misit Christus diuina dispensatione Iudā Thadæum, qui ipsum non solum pristino incolumis corporis vigori restituit, verumetiā ab ipsius corde omne infidelitatis vulnus amputauit, secundū Eusebium Cæsariensem, & Nicephorum Callixtum. Profectò si paganismi nebulis offuscatis, ac barbarica cæcitate oberrantibus, faciētibus tamen quod in se est, Dei gratia non desit, quantò magis talibus, quibus aliquid fidei affulget, adesse credendus est? quatenus fœlicem sortiatur progressum, vbi alea salutis, tam salubriter cadere inceperit? Deus siquidem potius cælitus daret ostensionem, angelicoque ministerio suppleret magis, quàm tales desereret, aut iterum tyrannidi diaboli subiugandos relinqueret, quod cuique potest esse contestatissimum ex sacris eloquijs, nā Eunuchus vir Æthiops adorandi gratia profectus legitur Hierosolymam, nisi certè aliquali fidei lumine præditus fuisset, nunquam sacras literas tam studiosè etiam non intellectas reuoluisset, nec tanta sedulitate per mare, per terras, per mille discrimina rerum, ad terram sanctam, viam carpsisset. Huius sedulitati diuinitus admonitus Philippus adfuit, qui ipsum Christianum perfectum consecrauit. Nec Apostolorum duntaxat, aut discipulorum interuentione, hæc operari dignatus est Deus, sed etiam angelico ministerio quosdam Diuinis Sacramentis initiandos curauit. Sic angelus legitur destinatus cuidam sacerdoti, qui sanctum Geminianum in carcere positum, fonte perēni ablueret, vti habet Reuerendiss. Aloysius Lippomanus, Episcopus Veronēsis. De Cornelio quoque Centurione legitur apud Chrysostomum: Mittit, inquit, Angelum operibus ad acquirendum præmia ministrantem, ita vt bene certando ob fidem coronari possit. Quid dicitur? Corneli preces tuæ ascenderunt in memoriam coram Deo. Si igitur exaudita est petitio & eleemosynæ acceptæ sint, quid deest mihi ad iustitiam? Mitte in Ioppen, & accerse Simonem, qui cognominatur Petrus, qui vbi venerit, loquetur tibi verba, in quibus saluaberis tu, & domus tua. Saluaberis, inquit, ergo prius salutem non erat adeptus per opera. Quibus liquidò constare manifestum est, hominem de congruo se ad gratiam disponere posse, sicuti apertis verbis edocet Concilium Tridētinum Quo disposito redditur aptus gratiæ infundendæ, qua meritoriè operari poterit, hinc dicitur Michæi 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis, quia

Marginalia: Cap. 16. — *Libr. 1. eccl. hist. cap. 15. Libr. 2. cap. 7. & 40. itē lib. 17. ca. 16.* — *Deus neminē relinquit.* — Actorū 8. — *Deus cælitus magis illuminat, quàm hominē relinquat, hoc est, cælica reuelatione.* — *Tom. 4. Vitæ sanctorum.* — Act. 10. — *Ser. 1. de fide & leg. naturæ, & Spiritu sancto.* — 6. *Sess. ca. 4.*

dispositio præcedit collationem gratiæ habitualis. Nihilominus hanc dispositionem præcedit Dei instinctus & auxilium speciale: Nemo siquidē venit ad me,inquit Christus,nisi pater meus traxerit illum.Falsissimè autem docuit Martinus Lutherus,& Ioannes Caluinus,hominem semper peccare,quando facit quod in se est,quia considerare incumbebat,aliud esse facere quod in se est, & aliud,quod quis potest ex his, quæ à se habet: nihil quippe homini est à se, præter peccatum, nihil ex nobis tanquam ex nobis. Adseuerare autem hominem peccare,quando facit quod in se est, esset incusare factum Publicani in templo peccati, qui tamen iustificatus descendit in domum suam, præ illo. Sic Zachæus fecit quod in se fuit,ascendendo in arborem sycomorum, & tantum vt argueretur malefacti abfuit,vt etiam Dominum vniuersorum, suis ædibus attraxerit. Paulus quoque induxit Corinthum, nondum percepta gratia, ad pœnitentiæ opera. Et Ioannes Baptista licet cognosceret quosdam aduentantes peccatores,tamen intulit: Facite fructus dignos pœnitentiæ: Ad quos suos quoq; Esaias inducit Iudæos, inquiens, Discite benefacere, &c. Et Daniel ad Nabugodonozor. Profectò sanctus Daniel nunquam Regem ad erogandas eleemosynas induxisset, si præsciuisset eum distributione earum,peccaturū. Quod autem Augustinus dicat liberū arbitrium peccare, intelligendum est, quod opera quædam faciat, sed nequaquam vitæ æternæ meritoria. Nihil enim eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, inquit Concilium Tridentinum, ipsam iustificationis gratiam promerentur, Si enim gratia iam non ex operibus. Et canone priori, Si quiuis dixerit opera omnia, quæcunque ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium mereri, aut quantò vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tantò eum grauius peccare, anathema sit. Et alibi: Si quis dixerit liberum arbitrium à Deo excitatum, nihil cooperari, vt ad iustificationis gratiam se disponat, atque præparet, anathema sit. Et idem Augustinus eodem libro,vocat bona opera impij,quæ tamen non prosunt ad vitam æternam Sic enim habet: Nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.Qui autem præfato instinctui resistunt, & carnis desideria perficere malunt: his secundum Bonauenturam,sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem,gratia recusatur, & Thomam in scripto secundi,quæstione quarta. Deinde vita hominis consideratur, qua reclamātibus carnis illecebris,se qui nititur,

Duo consideranda in homine ex se operante.
Rom. 5.
2. Cor. 3.
Lucæ 18.
Lucæ 19.
1 Corint. 5.
Matth. 3.
Esaiæ 1.
Daniel. 4.
De spiritu & litera, cap. 3.
Occurrit tacitæ obiectioni.
Sess. 6. ca. 8.
Canone 4.
Cap. 28.
Dist. 28. libr. 2. quæst. 1. art. 2.

nititur, ea quæ ſuggerit ſpiritus, & qua reſipiſcit prorſus à diaboli laqueis, quod fit per habituale gratiæ donum, ſecundum Concilium Arauſicanum. Si quis, inquit, ſicut augmentum, ita & initium fidei ipſum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iuſtificat impium, & ad regenerationem baptiſmatis peruenimus, non per gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritus ſancti, corrigentem voluntatem noſtram, ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus aduerſari comprobatur, beato Paulo, dicente: Confidimus in vobis, quod qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet, &c. Et poſtea: Nullus miſer de quantacunque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordia præuenitur, ſicut dicit Pſalmographus; Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ Domine. Et iterum: Deus meus miſericordia tua preueniet me. Quibus aſſentitur Concilium Tridentinum, vndecunque doctiſſimum: Si quis dixerit, inquit, ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.

2. Cap. 5. *Fides non eſt donum naturale.*

Cap. 14.

Seſſ. 6. cap. 3.

Gratiam ſingulis actibus eſſe neceſſariam, quomodo intelligendum?

CAPVT XXI.

VErum vt huius dogmatis certiſſimam veritatem probè cognitam atque perſpectam habeamus, operæpretium fuerit ea potiſſimum concilia & pontificũ decreta conſulere, quæ aduerſus Pelagium & Cæleſtium (quorum ætate, hæc de gratia quæſtio vehementiſſimè agitata fuit) celebrata fuiſſe, atq; ædita legimus. Ac prima quidem Synodus (quod equidem ſciam) contra Pelagium habita, Palæſtina fuit, in qua multos Pelagij errores condemnatos fuiſſe, beatus Auguſtinus commemorat, atque ita condemnatos, vt niſi eos Pelagius ipſe damnaſſet, non niſi damnatus à Synodo exiuiſſet. Atqui inter cæteros errores (omnes enim commemorare, neque euitandæ prolixitatis ſtudium patitur, neque ad præſens inſtitutum pertinet) hic vnus fuit qui ad rem noſtram, vel maximè facere videtur. Gratiam Dei atque adiutorium, non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege, atque doctrina. Eundem hunc errorem in Concilio 214. Epiſcoporum, quod in Africa celebrato damnatum fuiſſe beatus Proſper contra Collatorem ſcribens, ita refert. Ducenti, inquit, quatuordecim

Epiſt. 106.

Cap. 10.

Sacerdotes iudicarunt ad fidem orthodoxam pertinere, Gratiam ad singulos actus nos adiuuare. Quam patrum sententiam aduersus pertinacissimos gratiæ Christi hostes, constanter prolatam, ita nos decet accipere, vt eam non ad peccata, sed ad opera bona Deoq; accepta, referendam esse meminerimus: id quod non obscurè beatus Prosper indicat, cum ad faciēdam iustitiam ad singulos actus adiuuari nos asserit, diuum Augustinum secutus, qui hoc ipsum apertissimè demonstrat. Neque est hoc loco silentio prætereundum, quod idem sanctissimus Augustinus sententiam hanc de adultis libero arbitrio vtentibus intelligendam indicat. Scimus (inquit, in epistola ad Vitalem) maioribus ad singulos actus gratiam dari. Adeò verò prisci illi patres diuino spiritu illustrati de Christi gratia magnificè senserunt, eamque aduersus Pelagium & Cælestium, aliosque huiusmodi ingratissimos hæreticos sedulò defenderunt, vt & illum quoque Pelagij errorem in synodo Palestina damnauerint, victoriam nostram non ex Dei adiutorio esse, sed ex libero arbitrio, quemadmodū refert Aug. in epistola quam supra citauimus. Didicerant nimirum ex sacris literis, quemadmodum ad opera Deo accepta facienda, ita etiam ad victoriam de tentationibus atque peccatis reportandam, bellumque sacrum ac spiritale aduersus mūdum, carnem ac diabolum fœliciter gerendum, Christi redemptoris gratiam prorsus esse necessariam. Vnde præclarè Cælestinus ex Innocentio in epistola ad concilium Carthaginense: Necesse est (inquit) vt quo adiuuante vincimus, eodem non adiuuante, vincamur. Illustre quoque huic rei testimonium à Zozimo perhibitum videre licet in epistola Cęlestini, vbi in omnibus actionibus, diuina nobis opus esse protectione demonstrat, ne cupiditate victi peccemus. Qui plura hac de re desiderat Innocentij primi epistolam legat, quam ad Conciliū Carthaginēse scriptam reliquit. Quoniam verò de tentationū victoria per Christū obtinenda loqui cœpimus, nō abs re fuerit illud obiter admonere, quod à beato Augustino verissimè sapientissimeque animaduersum est: tentationes nō ab ijs omnibus superari, qui peccata quędam quocunq; tandē modo euitant. Neq; enim tentationem vincere illi censendi sunt, qui vitij vnius amore ab alio sese cohibēt, & peccatum vnum alio peccato ex animo expellunt. Cupiditas enim carnalis (si beato Augustino credimus) qua peccatum augetur, & maiores indies vires acquirit, cupiditate alia minimè sanatur. Nisi fortè qui ideo à fornicatione abstinet quòd hominum oculos vereatur, fœdissimi huius peccati cupiditatem superasse censen-

Serm. 13. de verbis Domini.

Epist. 107.

censendus sit, quo nihil sanè absurdius dici cogitaríve potest, cum potius huiusmodi hominem ignauissimum in pugna turpiter succubuisse, vel ipsa luce meridiana clarius pateat. Non enim voluntatem ab hoc peccato alienam habet, sed magno ipsius desiderio flagrantem: id quod actu ipso externo hominibus testatum redderet, nisi vel honoris vel diuitiarum vel aliarum rerum, quarum amore vehementius ardet, detrimentum metueret. Quamobrem illi demum veram atque laudabilem de tentationibus victoriam reportant, quorum animi virtutis, atque adeò ipsius Dei amore ita sunt accensi, vt propterea peccatum detestentur, ac fugiant, quod virtuti contrarium sit, & ab ipso Deo vetitum, ad cuius voluntatem omnes vitæ actiones dirigere statuunt, quam sententiam beati Augustini testimonio comprobare licet. Tunc vitia (inquit) victa sunt deputanda, cum Dei amore vincuntur. *Lib. 21. Ciuitat. Dei, cap. 26.*

Gratiæ necessitatem euidentius comprobat.

CAPVT XXII.

Rationes autem, quibus adducti patres tanto omniũ consensu, veritatem hanc aduersus Pelagianã heresim confirmarũt, & multæ sanè & magnæ sunt. Vix enim vllum est catholicę fidei dogma, quod vel pluribus, vel apertioribus scripturæ sacrę testimonijs nitatur, mirũ vt sit Pelagianos in tanta scripturarum luce, tam grandi cæcitate laborasse. Atque vt de multis pauca proferam, illustriora aliquot ex vtroque instrumento loca in medium producam, ex quibus facilè quiuis intelliget, quantæ fuerit dementiæ, Christi gratiam necessariam esse non agnoscere, quam ex sanctorum hominum lapsu, & frequentissimis ad Deũ fusis orationibus, & gratiarum actionibus, necessariam esse, tota penè scriptura testatur. Quis te discernit? (inquit Apostolus Paulus) diceret fortasse Pelagianus quispiam, discernit me virtus mea, discernit me fides mea. Audiat igitur quid subiungat Apostolus, quid (inquit) habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Et alio loco non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Quid, quod ipse Christus apertè dicat: Sine me nihil potestis facere? & Paulus apertè testetur, Deũ in nobis operari & velle & perficere pro bona volũtate. Iã verò sanctissimi quiq; homines ex proprio lapsu, præsertim cũ se in graue aliquod aut nefariũ crimẽ corruisse vident, quid aliud, quàm palam fatentur,

ſuarum virium non fuiſſe quod ſteterint. Agnoſcunt ſanè miſericordiam Dei & immenſam ipſius gratiam, qua fulciebãtur ne in peccatorum profundum demergerentur, quaque excitabantur & fortes reddebãtur vt alacri animo Dei iuſſa capeſcerent, iuxta veriſſimam illam regij Prophetæ ſententiam: Viam mandatorum tuorum cucurri, cũ dilataſti cor meum. Hanc ſanè rationem ſæpenumero & eleganter àb Auguſtino tractatam legimus: qui & apertiſſimum alium ſcripturæ locum ad eandem rem comprobandam in medium producit: Ego dixi in abundantia mea non mouebor in in æternum. Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Ac memorabile profectò exemplum in ipſo ſanctiſſimo Propheta Dauid propoſitum habemus, cuius in diuinis literis duo grauiſſima fœdiſſimaque ſcelera leguntur, adulterium nimirum & homicidium, quæ non ſolum tantus vir quem Deus ſecundum cor ſuum ſe inueniſſe teſtatur, perpetrauit, verum etiam in ijs nõ paruo tempore perſeuerauit. Nam in adulterio cum Berſabea totos nouem menſes, donec ex commiſſo ſcelere filium illa peperiſſet, ſine vlla pœnitẽtię cõtritione perſtitit. Quis nõ iure admiretur atque obſtupeſcat virum, aliàs tam religioſum & ſanctum, tam erga hoſtes etiam coniuratos clementem, tanta erga Deum pietate inſignem, Prophetam tanta rerum diuinarum cognitione illuſtrem, tam cito in tam grauia facinora dilapſum, & tamdiu obſtinato obfirmatoque animo in ijſdem perſtitiſſe. Eo igitur valet illuſtriſſimum Dauidis regis ac Prophetę exemplum, vt diuinæ gratię neceſſitatem omnes intelligant, atque Pelagianam impietatem damnantes, ad ſingulos actus bonos, Dei nos gratia adiuuari, & corde credant ad iuſtitiam, & ore confiteantur ad ſalutem. Neque tantum ad bene operandum, verum etiam ad opera tenebrarum euitanda & ignea diaboli tela repellenda, diuinæ gratiæ præſidio mortales omnes egere fatendum eſt. Vt enim hoc nobis manifeſtum fieret, maximorum interdum ſanctiſſimorumque virorum lapſu oſtendere Deus dignatus eſt, quantas ad bonum faciendum malumque declinandum vires liberum arbitrium per ſe habeat. Quæ ſanè ſi ſatis magnæ eſſent, atque ad omnes exurgentes cupiditatum tentationes ſuperandas ſufficerent, quid quæſo cauſæ eſſe putabimus, cur cum erroris ſui atque peccati admonitum fuerit liberum arbitrium, non exerat continuo cunctiſque ſuam in reſiſtendo potentiam manifeſtam faciat. Verum quia ſi diuinæ gratiæ auxilio deſtituatur, bona facere opera, Deoque accepta nequit: ideo auertente Deo faciem

De gratia & lib. arb. ca 6. de corrept. & gratia, ca 9. lib. 2 de pec. mer. cap. 17. & 19.

faciem suam, & auxiliatricem manum subtrahente, in scelera mox prolabitur. Id quod sanctissimus ille atque celeberrimus Apostolorum Coryphæus Petrus experientia ipse sua didicit, qui quamuis magna de se fiducia præditus Domino dixit, etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo: tamen non ita multò postea sibi permissus. & diuina eum deserente gratia libertati suæ traditus, non modò tentationem non superauit, verum sceleri scelus addendo, magnos in iniustitia progressus fecit. Postremò Catholicum hoc dogma ex ipsis sanctorum orationibus comprobare possumus. Admonet enim nos scriptura sacra, vt assiduas ad Deum preces fundamus, ne quid committamus quo ipsius maiestatem ad iustam in nos iram prouocemus. Quid verò multis opus est, cum ex ipsa dominica oratione perspicuum sit, orandum esse vt Dei voluntas à nobis fiat, quam cum facimus diuina sanè præcepta obseruamus, animosque nostros virtutum splendore exornamus. Quod sequitur, ne nos inducas in tentationem, an non manifestè ostendit ad tentationes superandas diuinam hominibus gratiam prorsus esse necessariam? Etenim cum oramus, nisi fallaciter & perfunctoriè id agamus, significamus profectò eum ad quem preces dirigimus, id nobis quod petimus præstare, neque illud nostra in potestate situm esse. Hanc autem rationem diuus Augustinus plerisque in locis per quam eruditè & & copiosè confirmat. Et quis tandem inficias eat, orandum esse Dominum vt gressus omnes nostros dirigat, illudq; confirmet quod operatus est in nobis. Neq; enim est alia frequentior, vtilior, aut expeditior in Christi Ecclesia docendi, demonstrandique ratio, quemadmodum & præcepta Dominica obseruare, & animos à peccatorum labe puros atque immunes conseruare fideles queant, quàm vt assiduis precibus diuinæ clementiæ aures pulsemus, tum pro nobis ipsis, tum pro alijs, vt qui nondum fideles sunt, fidei donum diuinitus accipiant, vitam Dei præceptis conformē degant, aut si fideles sint vt dignè ambulent vocatione qua vocati sunt, quæ oratio si prætermittitur, frustra ad iustè recteque viuendum, quamlibet præclara morum præcepta traduntur. Neque solum vt virtutis morumque præcepta seruentur, firmissimum in oratione diuinique auxilij petitione præsidium est collocatum, verum etiam cum ingruentibus vndique grauissimis tentationum procellis, magno in salutis discrimine versamus. Semper enim in huiusmodi necessitatibus fideles per orationē ad Christum, tanquam ad certissimam salutis anchoram sollicitè confugere consuee-

consueuerunt. Quæ sanè Catholicæ Ecclesiæ cõsuetudo hominibus crimine præfractis & cõtumacibus diuinę gratiæ necessitatem, abunde cõprobare deberet, etiamsi omnis in hac quæstione scriptura sileret. Orationi autem gratiarum actio respondet: Cum enim quod postulabas orãdo impetraueris quid superest nisi vt voti compos factus, omnipotenti Deo gratias agas, qui in te bonitatis suæ diuitias effudit, eum laudes, eum celebres, eiusque misericordiam ac bonitatem nũquam nõ vehementer extollas, nisi ingratissimus haberi homo velis. Iam verò quoties Deo pro beneficijs acceptis gratias agimus, quid aliud quàm beneficium ipsi nos accepisse testamur. Aut quis adeò est humanitatis & religionis expers, vt non ingentes Deo gratias se debere intelligat, cum occasione peccandi & impendenti tentationi integra se virtute ereptum cernit? Quam ob rem certa & indubitata fide credendum est, tum ad diuina præcepta vt par est obseruanda, tum ad crebras atque periculosas quæ in hac vita peregrinantibus occurrunt peccatorum tentationes superandas, atque vincendas, diuinæ gratiæ auxilium omnibus esse necessarium. Atque hæc aduersus superbum illum ingratumque Pelagium dicta sufficiant. Quæ non ita intelligenda sunt, quasi ad singulas actiones bonas præstãdas, singulasque tentationes superandas, homini etiam iusto præter gratiam iustificantem, quam habitualem & gratum facientem in scholis appellant, aliud quoddam speciale Dei monentis auxilium necessariũ esse dixerim. Nam etsi minimè ignoro, scholasticis quibusdam Doctoribus hanc sententiam placuisse, non possum tamen contrariam non longè præferre, quam & rationi magis consentaneam, & Theologis, tum pluribus, tum illustrioribus, imò ferè omnibus probari video. Neque profectò iniuria. Primum enim si peccatores gratia gratum faciente destituti, nullo accepto speciali Dei monentis auxilio, naturalibus viribus cum solo generali Dei concursu, opera quædam saltem moraliter, & ex suo genere bona, interdum prçstare possunt, (posse autem communis estatque recepta Theologorum ferè omnium sententia) efficitur omnino meo quidem iudicio, hominem iam iustum gratia gratum faciente, Dei filium factum, sine nouo aliquo aut speciali auxilio ab hac gratia distincto, opera quædam moraliter bona præstare posse, nisi minores homini iustificato, quàm peccatori vires tribuendas esse dicamus, quo nihil absurdius, & à diuinæ gratiæ dignitate alienum magis arbitror. Quare cum omnia opera bona ab homine, in gratia constituto facta, meritoria rectè censeantur,

Aug. epist. 106 & de natura & gratia, cap. 68. & lib 2. contra 2. epi. Pel. cap. 10.

Obserua.

ſcantur,(vt enim ſit opus aliquod vitæ æternæ meritoriũ, non aliud requiritur,quàm vt ſit genere ſuo & circunſtantijs bonũ & ab amico Dei fiat)conſequens eſt, ſi neceſſarium non ſit auxilium ſpeciale, ad omnia bona quę faciũt iuſti, neque ad omnia meritoria neceſſarium eſſe.Fallitur igitur Gregorius Ariminē-ſis, tum contra omnes eſſe catholicos, ait, aſſerere poſſe homines abſque auxilio Dei ſpeciali,aliqua opera meritoria facere: fallitur (inquam) ſi de iuſtis etiā hominibus hoc eſſe intelligendum exiſtimet. Vt enim illi vltro, & quidem libenter cōcedamus. ad quodlibet opus meritoriũ,diuinam gratiā requiri,neq; liberi arbitrij vires ſufficere,quemadmodũ neq; noſtris viribus ſine gratia à peccato reſurgere valemus, quod quia negauit Pelagius,hæreticus eſt ab eccleſia declaratus. Vt (inquā) hæc concedamus tamen accepta iam iuſtificante gratia, ſpeciale aliud auxilium requiri,nō omnes, imò pauciſſimi ſenſerunt, cum contraria ſententia omnibus ferè Scholaſticis doctoribus ſit communis. Imò verò vt ingenuè fatear, eorum ego ſententiam vehementer probo, (ſaluo tamen ſemper peritiorum iudicio)qui homines iuſtos aſſerāt per gratiā iuſtificantē abſq; auxilio Dei ſpeciali,aliqua opera bona efficere poſſe,quę neque peccatores neq; homines in puris naturalibus cōſtituti,pręſtare valerēt.Per gratiā enim gratũ facientē,virtuteſq; cum ea infuſas, non modo ſanātur animæ noſtræ & libertati perdirę reſtituũtur,& naturæ vires per peccatũ grauiter læſæ reficiuntur, atq; reparātur:verũ etiā incrementũ roburq; accipiũt(quod niſi dicamus fruſtra profectò hominib⁹ dari videbũtur,& virtutib⁹ acquiſitis,imperfectiores eſſe)quamobrē rationi cōſentaneũ videtur, poſſe hominē ſine auxilio ſpeciali quædā bona opera facere,quę ante acceptā iuſtificantē gratiā minimè poterat. Accedit concilij Mileuitāni authoritas apud Celeſtinũ primũ canone 10.epiſtolę decretalis.Itē placuit(inquit conciliũ)vt quicunq; dixerit gratiā Dei,in qua iuſtificamur per Ieſum Chriſtũ Dominũ noſtrũ,ad ſolā remiſſionē peccatorũ valere, quæ iam cōmiſſa ſunt,non etiā ad adiutoriũ,vt nō cōmittamus,anathema ſit. Ex quibus verbis perſpicuum euadit,iuſtificantem gratiam, ad peccata vitanda valere. Neque id profectò cuiquam mirum videri debeat, cũ gratia & virtutes hominibus dentur, vt Deo ſint grati, vtque à malo declinantes, bonum faciant. Quare niſi tantam eſſe gratię, & virtutum Chriſtianarum imperfectionem, aſſerere velimus, vt ne id quidem homini conferre valeant, cuius cauſa ſunt illi diuinitus conceſſæ. fateri omnino debemus aliqua nos pietatis opera, per cæleſtia hæc

Greg. Arim. in 2. Senten. Di.29.q.1.

Dei

Dei dona præstare posse quæ iisdem destituti minimè possemus. Non tamē negauerim quin vt homo iustus in iustitia accepta diu perseueret, vt excellentia magnaque pietatis opera præstet, & grauibus tentationū fluctibus fortiter resistat, pręter iustificantē gratiā etiā speciale Dei auxiliū requiratur. Magna est enim in carne nostra corruptio, & ad malū procliuitas, & in intellectu obscuritas, quę per gratiā iustificantē non penitus ab homine tolluntur. Verę enim & iusti quid orent sicut oportet nesciunt, & cogitationes eorum timidæ sunt & incertæ prouidentiæ, corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam &
Rom. 8. Sapien. 9. terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantē. Huc pertinere arbitror quod beatus Augustinus de natura & gratia ca. 26. de oculo corporeo, & luce ait: Sicut oculus corporis plenissime sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere. Sic & homo perfectissimè etiam iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non potest viuere. Quo loco non dixit, rectè nō potest operari, sed rectè non potest viuere, indicans fortasse intellexisse se auxilium speciale gratiæ, ideo requiri vt in omnibus homo se rectè gerat, nec in multis deficiat, quæ passim occurrunt tentationibus. Quamobrem etiam sancti ad tentationes superandas, diuinum auxilium suppliciter petūt, & quo sunt sanctiores, eo in huiusmodi orationibus frequētiores esse solent. Persuasum enim sibi habent neminem etiam baptismatis gratia renouatum (vt est apud Cælestinum, canone 6. epist. 1) idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum
Psal. 26. adiutorium Dei, perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit. Vnde Regius propheta ad Dominū clamat: Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neq; despicias me Deus salutaris meus. &, Deus in adiutorium meum intēde, Domine ad adiuuandum me festina. & rursum: Adiuua nos Deus salutaris noster. &: Nisi quia Dominus adiuuit me, paulò minus in inferno habitasset anima mea. Neque tantum auxilium à Deo petūnt suarum virium infirmitatem testantes, verum etiam quod grati animi signum est, pro acceptis beneficijs quantas valent gratias agunt, Deoque victoriam quam de hostibus tam corporis, quàm animæ reportarunt, acceptam ferunt. Benedictus Dominus Deus meus (inquit Dauid) qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellū. &: Domine Deus virtus salutis meæ, obumbrasti caput meum in die belli. Quid quod non peccatores solum, verum etiam iusti orare debent: Fiat voluntas tua, & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Perspi-

cuum

cuum est igitur etiam iustos diuino egere auxilio, atque à Deo bonorum omnium largitore accidere non solum vt bonum faciant, verum etiam vt à malo declinent.

Diluuntur breuiter obiectiones contra communem sententiam fieri solitæ.

CAPVT XXIII.

VNum mihi hoc loco superesse video, nimirum vt ad ea breuiter respondeam quæ aduersus communem hanc de speciali auxilio sententiam à quibusdam adferri solent, qua in re quidem non video, cur sit magnopere laborandum. Eorum enim pars non exigua hoc potissimum fundamento nititur, quo nonnulli asserunt nullum opus ne quidem moraliter bonum, ab homine fieri posse, qui nō ad illud faciēdum præter naturales vires & generalem illum Dei concursum, aliud quoddam auxilium peculiare diuino munere acceperit. Hoc autem quam sit non modo à communi & longa iam annorum veluti præscriptione recepta Theologorum sententia, verùm etiam à recta ratione & veritate alienum: nihil opus est in præsentiarum prolixa oratione demonstrare, cum ex ijs quę à nobis hactenus dicta sunt, facilè intelligi queat. Nō est igitur mirum si quæ hinc petuntur argumenta, parum in se aut nihil ponderis habētia. Nam quæ ex scripturis aut patrum testimonijs, sacrorumque conciliorum atque pontificum decretis, ad suam illi sententiam comprobandam afferunt, si diligenter omnia inspiciantur, non aliud sanè significare videntur, quàm quod paulò superius à nobis contra Pelagianos est abundè probatum: gratiam nimirum ad bonum operandum, & malum fugiendū, omnibus esse hominibus necessariam. Nihil autem adducunt, quo probent ad singulos actus bonos faciendos singulasque tētationes superandas, præter gratiam iustificantem speciale Dei auxiliū prorsus necessarium esse: quod tamen in primis faciendum erat, vt communē Theologorum sententiam minus probabilem redderent. At verò etiam iustis hominibus (inquiunt) speciale Dei auxilium necessarium est. Quis hoc quæso negauerit? quod & scripturis, & veterum patrum testimonijs supra probauimus. Verum hoc auxilium ita ad singulos actus bonos præstandum, aut tentationes singulas vincendas esse necessarium, vt si homini iam per inhabitantem in se spiritum sanctum iustificato desit, nihil vel boni facere,

vel

vel mali doceantur possit, communem secuti Scholasticorum Doctorum sententiã, negamus. Vnicum verò argumentum superest, cui vbi responsum fuerit, non erit difficile reliqua omnia quæ ferè similia sunt, diluere. Iustissimi quiq; sanctissimique homines inquiunt, etiam singularum tentationum victoriam, non sibi ipsis, sed Deo acceptam ferunt, illique immẽsas pro collata sibi victoriæ palma gratias agunt, quemadmodum & pro omnibus suis operibus bonis, quæ ipso auxilium ferẽte se fecisse agnoscunt. Implorant deniq; supplices Diuinã opẽ sine qua nihil se facere posse fatentur: vt ex Innocẽtio supra citauimus. Adde quod sanctos coronas suas ante Dei thronũ mittere in Apocalypsi legimus, quod si B. Gregorio credimus lib. 22. Moralium, non aliud nobis significat, quàm sanctos omnes certaminum suorum victoriam authori suo tribuere: quæ cum ita sint, videri profectò posset, non solum ad præcellentia illa opera, maximaq; Dei mandata implenda, & grauissimas quasq; tentationes superandas: verum etiam ad quæcunq; bona opera facienda, malave declinanda, præter iustificantem gratiam speciale Dei auxilium esse necessarium. Verumenimuerò ne hoc quidem argumento quicquam isti efficiunt. Nam vt homines Deo gratias agere teneantur pro bonis omnibus, minimè sanè necesse est ea per auxilium speciale preter iustificantẽ gratiam concessa esse. Quis enim nescit etiam pro ijs gratias Deo esse agendas, quæ ad gratiam gratum faciẽtem pertinent: cum ad cæleste etiam auxilium reducantur quæcunq; homini Deus, per gratiam gratum facientẽ, & virtutes infusas præstat.

Homo an certò cognoscere queat se in gratia constitutum? CAP. XXIIII.

Impium Lutheri axioma. LVtherus sermone contra Carolstadium prius quidem discipulum, sed pòst proprio vexillo dimicantem, & libro de captiuitate Babylonica, adseuerat hominem sola fide iustificari, non ex operibus. Quo falsissimo principio statuere molitur, hominem iustum certò cognoscere posse se in gratia esse, quia fides secundum eum, qua homo iustificatur, cuilibet potest esse certa, sic enim habet, Nulla peccata hominem damnare possunt, etiamsi velit, nisi incredulitas sola, neque habenti fidem dubitandum est de salute, &c. Hæc proculdubio eius & aliorum hæreticorum certitudo est blasphema, Deoque iniuriosa: Nihil quippe magis iniuriosum censeri potest, quam sentire Deum fœdus percussisse cum latronibus & sicarijs, insuper istos & eius farinæ similes superius charismatum donis

suffragari;

suffragari, dum modò firma in illis, fixaq; sit fides. Quare Concilium Tridentinum, istis apertissimè refragatur. Super his V. patrem Alphonsum de Castro, titulo de Gratia, articulo tertio consulere non pigebit, qui fusissimè ista tractat, probans certitudine euidentiæ neminem scire posse, in gratia se constitutum esse. Nihilominus triplici notitia quisque ad sui agnitionem peruenire potest. Primò notitia reuelationis, quam singulari prærogatiua sanctissima peccatrix Maria Magdalena obtinuit, quando eius auribus insonuit, illud magnę fœlicitatis elogium: Remittuntur tibi peccata. Et cuidam alteri adulterio & homicidio contaminato: Transtulit quoque Deus peccatum tuum. Et, alius præcinget te, & ducet quo tu non vis: Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et postea: Si eum volo manere, quid ad te? Exijt ergo sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur. Sic Apostoli dę iustitia non defectura fuère certificati, & post Pentecosten in gratia confirmati: Vt maneat vobiscum, inquit Christus, in æternum. Et alibi: Neque mors, neque tribulatio poterit nos separare, &c. Secundò notitia scripturarum, quæ generaliter pœnitentibus remissionem peccatorum promittunt. An autem quis veram in se habeat pœnitentiam, cum plena cordis conuersione coniunctam, ignoratur. Et tantum abest, vt aliquem voluerint esse certum, vt vel maximè refragentur, quemadmodum liquidò constat in ista sententia: Quis dicet, mundum est cor meum? quasi dicat: nullus. Et de propitiato peccato, noli esse sine metu, quia nescit homo, an odio, vel amore dignus sit. Et alius quidam, delicta quis intelliget? &c. Et Hieremias: Prauum est cor hominis, & inscrutabile. Et Paulus, qui vel maximè vanam Lutheranorum securitatem elidit, Nullius mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Sic Petrus: Per bona opera certam faciamus vocationem. Hanc gratiæ incertitudinem comprobant vniuersi veteres & recentiores doctores: Cyprianus serm. de eleemosyna, Hieron. in commentarijs super 3. & 13. caput Hieremiæ, & super 6. caput Michæi, Augustinus de prædestinat. Sanctorum, cap. 20. lib. 83. quæst. 58. & ser. 16. de verbis Apostoli, Bernardus Epistola 41. Bonauentura in primam dist. 17. part. 1. quæst. 3. Nec non Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 5. & Concilium Tridentinum. Si quis dixerit, inquit, sola fide impium iustificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cóoperetur, & nulla ex parte necesse esse, cum suę voluntatis motu preparari, atq; disponi, anathema sit. Et in sequentibus: Si quis dixerit omni homini, ad remissionem pec-

Sess. 6. ca. 27. — *Tribus modis nostri cognitionem habere licet.* — Lucæ 7. — 2. Reg. 12. — Ioan. 21. — *Apostoli quãdo in gratia confirmati.* — Ioan. 14. — Rom. 8. — *Secunda notitia.* — Prouer. 20. — Ecclef. 5. — Ecclef. 9. — Psalm. 18. — Cap. 17. — 1. Corint. 4. — 2. *Epistolæ cap.* 1. — Cap. 9. — Cap. 13.

nem peccatorum assequendam, necessarium esse, vt credat certò, & absque hæsitatione vlla propriæ infirmitatis, & indispositionis peccata sibi esse remissa, anathema sit. Tertiò, notitia est probabilis, & coniecturalis, qua per probabilia signa, & vero similia argumenta, cognoscimus hominem in gratia bifariam cõstitutum. Priori modo si doleat de peccatis, quæ nequaquam cum charitate consistunt, includente nimirum gratiam, & peccatorum remissionem, nam pellit peccatum, vt illucescente sole tenebræ dispelluntur, secundum Augustinum. Altero, firmum non reiterandi propositum, & in semita virtutum procedendi, quod est probabile gratiæ homini inexistentis indicium, teste eodem, & diuo Bernardo: Sanè, inquit, nouum superuenisse spiritum, certissimè noua conuersatio testatur.

Tertia notitia.

Tract. 8. in Ioannem. & libr. 2. Retract. cap. 8. Serm. 2. Dominicæ in albis.

Gratia non datur propter merita.

CAPVT XXIIII.

Nunc alia quædam gratiæ contraria, & in Pelagio dãnata sententia, paucis est expendenda, nempe gratiam Dei, secundum merita nostra dari. Adhortans enim ad virtutis studium Pelagius, vnumquemq; liberum arbitrium habere dicebat, quo si vti vellet, promereri posset gratiam & adiutorium, Nec aliam esse causam, cur gratiam Dei non habeat, quàm quia torpens otio, & ignauus, vel vitijs deditus noluisset eam promereri. Verum hoc in Pelagio, tanquam scripturis repugnans, damnatum est. Huic errori, vt occurratur intelligenda venit nomine meriti, quæuis præparatio, vel dispositio, qua impetratur quippiam à Deo, siue id sit meritum de congruo (vt scholæ loquuntur) quod non est propriè meritũ, siue de condigno. Verbi gratia, fides meritum est, quando comparatur ad remissionem peccatorum, sic pœnitentia ad eãdem reconciliationem relata, nec non oratio qua bene operandi facultatem à Deo impetrare nitimur, meritum est respectu operationis, non de condigno, sed de congruo, de quo fusius August. Vbi fatetur pœnitentiam aliquo modo esse meritum veniæ, sed contra Pelagium negat nostrum esse: alibi autem docet illos qui asserunt initium fidei ex nobis esse, consummationem ex Deo, docere gratiam Dei, secundum merita nostra dari. Itaq; nomine meriti quamcunque preparationem accepit, tametsi quidã improuidè sententijs patrum, non satis trutinatis, Pelagium propterea arbitrẽtur damnatum, quod assereret meritũ gratiæ de condigno. Nostra verò ea in-

Impium Pelagij paradoxum.

Epistola 105. ad Sixtum, et 106. ad Paulinum. Lib. 1. de prædest. Sanctorum, cap. 2.

ea intelligũtur,quæ ex nobis,quæ ex origine,ingenio,industria, nobilitate naturæ, experientia, exercitio, parantur, acquirunturque,quam sanè pronominis huius acceptionem studiose attendit diuus Augustinus.Itaque hic sensus est Catholicę sententiæ, quam Pelagianæ patres opposuerunt, Gratia Dei non datur secundum vllam dispositionem, quam ex nobis habemus. Sumtum est autem illud axioma ex sacris eloquijs,quæ pronomen nostra reijcere,negare,& improbare consueuerunt. Vt non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis. Volentes suam iustitiam constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Apparuit gratia Dei Seruatoris nostri, non secundum opera, quæ fecimus nos. Item & hoc, non ex vobis, Dei enim donum est,ne quis glorietur.Et non estis vos qui loquimini,sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.Et iterum: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Ex his, & eius generis alijs locis, patres celebrem illam sententiam elicuerunt, Gratiam Dei secundum merita nostra non dari. Pro cuius pleniori intelligentia aduertendum, vnum gratiæ donum posse ad aliud comparari, non respiciendo subiectum, seu habentem, veluti fides, opera nostra, vita æterna. Hæc tria Dei munera, sic possunt inter se comparari, vt conditionis subiecti, nulla habeatur ratio, atque hac consideratione dici omnino potest, vitam æternam, mercedem esse bonorum operum. Ista quoque consideratione sola fides gratia dicitur, quæ nullam ad se præparationem admittat, quia fides priori dono non redditur, sed ipsa prima datur, per quam cætera impetrentur, sicuti prosequitur diuus Augustinus,præmissa Epistola. Possunt deinde hæc dona comparari ad hominem consideratum, prout nascitur ex carne & sanguine, & hac comparatione vita æterna dicitur gratia, & quæcunque ad fidem impetrantur, si ad subiecti conditionem referas, gratiæ sunt. Quæ sanè consideratio desumta est ex memorabili illa Augustini apprime huc pertinente sententia, Epistola ad Sixtum. Quapropter, ô homo, inquit, si accepturus es vitam æternam, iustitiæ quidem stipendium est,sed tibi gratia est,cui gratia est,& ipsa iustitia. Tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset iustitia, cui debetur. Nunc ergo de plenitudine eius accepimus, non solum gratiam, qua nunc iustè in laboribus, vsque in finem viuimus, sed etiam gratiam, pro hac gratia, vt in requie postea sine fine viuamus.Quod præstet Deitas beata nobis,cuius reboat in omni gloria mundo. Amen.

De gratia & lib. arb. cap. 6. & 14. &c.

Sētentia Catholica.

Insignis Augustini sententia.

De Pelagio, & eius errore.

CAPVT XXV.

Anglia dicitur Britãnia. PElagius Monachus fuit ex Britannia, quæ modo Anglia vocatur, oriundus, qui quum esset varijs disciplinis instructus, eruditioni suæ simulatam & falsam adiunxerat pietatem, ieiunijs corpus atterens, vigilijs animum exercens, liberalis in pauperes, erga omnes humanus. Cum his relicta Britannia visendorum sanctorum locorum gratia, in Palestinam (quæ tum monachis abundabat, plerisq; bonis quidem illis, sed non adeò peritis) se cõtulit. *Pelagij vesania, & vita.* Hos Pelagius aggressus, primum specie pietatis, in admirationem sui pertraxit. Deinde sensim peruersissimæ doctrinæ suæ venena sparsit, & in rudiorum hominum animos instillauit. Inter cæteros autem vnus eius extitit discipulus, nomine Cælestius, quia de cęlo venisse & cælestem se esse iactabundus gloriabatur, quem conuenientius scelestum appellitassent. Hic præ cæteris sub Pelagio præceptore profecerat, atque in Pelagiano dogmate mirè excellebat: latiusq; per hunc Pelagianus error serpsit, atque ad Græcos vsque intra Palestinæ limites se continere non valens perductus. Ab hoc etenim *Cælestiani hæretici vnde dicti?* Cælestio in Synodo Ephesina, primò Cælestiani appellantur: Cum Nestorio (inquiunt patres) adhærent omnes Cælestiani. Nec mirum, cum vtrisque idem fundamentum esset, Nestorius siquidem Christum aiebat, per liberum arbitrium eo progressum in virtutis studio fecisse, vt filius Dei vocari meruerit, hoc cùm diceret Nestorius, & suæ hæreseos fundamentum in hæresi Pelagiana constitutum haberet, mirum non est, Cælestianos illi se adiunxisse. Itaque Pelagiana hæresis vna cum Nestoriana lue, sub nomine Cælestianorum damnata est. Pelagiano Græcis non admodum cognito. Iam Pelagij dogma gratiæ Christi contrarium est proponendum, quod non tam eleganter, quàm *Hæres. 88. ad Quodvult deum.* eruditè præstitit diuus Augustinus: Pelagianorum, inquit, est hæresis hoc tempore omnium recentissima à Pelagio monacho exorta, quem magistrum sic Cælestius est sequutus, vt sectatores eorum Cælestiani etiam appellentur. Hi Dei gratiæ (qua prædestinati sumus in adoptionem filiorũ per Iesum Christum in ipsum, & qua eruimur de potestate tenebrarum, vt in eum credamus, atque in regnum ipsius transferamur, propter quod dicit: Nemo venit ad me, nisi ei fuerit datũ à patre meo, & quia diffunditur charitas in cordibus nostris, vt fides per dilectionem operetur) adeò inimici sunt, vt sine hac, credant hominem posse

prestare omnia diuina mandata, quod si veritatem haberet, frustra dixisset, Sine me nihil potestis facere. Deinde Pelagius à fratribus increpatus, quod nihil tribueret adiutorio gratiæ Dei, ad eius mandata capessenda, correptioni eorum hactenus cessit, vt non eam libero preponeret arbitrio, sed infideli calliditate supponeret, dicens: Ad hoc eam dari hominibus, vt quæ facere per liberum arbitrium iubentur, facilius possint implere per gratiam. Dicendo vtique vt facilius possint, voluit credi etiam si difficilius, tamen posse hominem sine gratia capessere & facere iussa Diuina. Sed quidnam fecit redargutus, num palinodiam cecinit? minimè verò. Sed pestiferum dogma suum retinens, cùm cessisse videretur, Catholicis ter illusit. Sæpius enim reprehensus & interrogatus, ter respondit, & ne tertiò quidem attigit id, de quo potissimum quærebatur. Nam primum (vt præmissum est) obiurgatus, quod adiutorio gratiæ Dei nihil tribueret: respondit, se hoc tribuere, vt quæ possemus per liberum arbitrium, per gratiam facilius faceremus, ergo vtilitatem non necessitatem gratiæ confessus est. Secundò, cum vehementius vrgeretur, tandem & hoc expressit. Gratiam ad bene viuendum esse necessariam, ex quibus verbis Catholicus poterat videri, at non si sensum inspicias, nam gratiæ nomine intelligebat versipellis, liberum arbitrium, quod profectò necessarium est ad rectè operandum. Hinc subnectit Augustinus: Illam verò gratiam Dei, sine qua nihil possumus facere, non esse dicunt, nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis, ab illo accepit nostra natura. Denique cùm & hic offenderet, gratiam Dei necessariam in sola natura constitui, tertiò præter naturam, aliam gratiam requirere se respondit, qua natura iuuaretur à Deo. Verum hanc ponebat in lege, atque doctrina, & exhortationibus, nimirum id semper volens intelligi, liberum arbitrium per se satis valere, ad bene agendum, si modo proposita lege, quid faciendum, quídve fugiendum doceretur, si præmijs, quæ virtutis studiosis reposita sunt, exhortatione suaui propositis, hominum voluntas, & natiuus ille vigor excitaretur, & inflammaretur. Quod ipsum etiam aduertit Augustinus, dum immediatè subiungit: Ad hoc tantum ipso adiuuante per suam legem, atque doctrinam, vt discamus quæ facere, quæ sperare debeamus, non autem ad hoc per donum Spiritus sancti, vt quæ didicerimus facienda, faciamus. Ac per hoc nobis diuinitus dari scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur, charitatem autem dari negant, qua piè viuitur, vt scilicet cùm sit Dei donum, scientia, quæ sine charitate inflat, non sit Dei donum,

Pelagius ter, quomodo hæresim abiurauit?

ipſa charitas, quæ vt ſcientia non inflet, ædificat. Hæc ibi. Circa ea Auguſtini verba, quibus dicit: Pelagium infideli calliditate ſuppoſuiſſe gratiam libero arbitrio: aduertendum eſt, gratiam non ſupponendam, ſed præponendam eſſe libero arbitrio. Quod ipſum varijs modis contingit. Et primò quidem, cum liberum arbitrium ad rectè viuendum prorſus neceſſarium ſit, gratia verò non omnis neceſſaria iudicatur, ſed ad facilitatem duntaxat maiorem exigitur, qui modus verbis beati Auguſtini ſatis indicatur. In quem incidere mihi videntur illi, qui gratiam aſſerunt, nihil aliud eſſe, quàm habitum quendam, quo animus informetur, & exornetur. Et habitus quidem nomen accipiunt Philoſophorum more, vt qualitatem ſignificet, quæ repetitis frequenter actionibus acquiratur, & multo exercitio comparata, ad eum modum inhæreat, vt ægrè à ſubiecto queat dimoueri, quomodo ars & ſcientia habitus appellãtur: nam hic poſſe quidem hominem benè viuere, recteque operari per liberum arbitrium ſubſinuant, ſed ægrè, & cùm difficultate, ſicut illi qui habitu deſtituti ſunt, at vbi acceſſerit habitus crebris exercitijs paratus, per eum expeditè, facilè, & promtè poſſe operari, ac tum veluti connaturale eſſe, ſecundum virtutem viuere. Cùm ergo virtutum habitibus hoc tribuant, quod Philoſophi ſuis, hoc eſt, facilitatem & promtitudinem, quid aliud dicunt, quàm ad hoc gratiã dari, vt quod liberum facere poteſt arbitrium, facilius fiat per gratiam? Quod eò moneo, ne cùm abhorrere & diſcedere nos arbitramur à Pelagij dogmate, quo gratiam libero arbitrio ſupponebat, imprudentes in hoc ipſum, ſed alijs tectum verbis incidamus. Secundò, ſupponunt illi gratiam libero arbitrio, qui exiſtimant aliquid ex ſolo libero arbitrio debere
Canone 2. procedere, cuius intuitu gratia detur. De his mentio eſt in Con-
Lib.1 de præ- cilio Arauſicano, & apud Auguſtinum: vbi contra eos agit, qui
deſti. Sancto- dicebant ex nobis eſſe fidei exordium, ſed ex Deo augmentum,
rum, cap. 2. quos reprehendit tanquã qui priores partes libero arbitrio, po-
& lib.2. cõt. ſteriores verò Deo darent. Exiſtunt alij quidam non minus pe-
2. Epiſtolas riculoſi prioribus, qui in eo gratiam libero arbitrio poſtponũt,
Pelag. cap.9. quod arbitrentur, cuiuſque liberum arbitrium adeò pertinax, durum, & rebelle eſſe poſſe, vt gratiam Dei ſimpliciter impediat, & excludat, ne ipſum ab ea conuertatur. Aſſerere autem poſſe liberum arbitrium pertinaciter obluctari gratiæ, nec gratiam ſatis valere, ad ſubigendum ſibi rebelle liberum arbitrium, quid aliud eſt, quàm gratiam libero arbitrio poſtponere? Hinc quoſdam audias loquentes. facilè gratiam Dei haberent illi, ſicut & cęteri, ſi vellent, ſed rebelli, & duro corde, atq; inobedienti

volun-

voluntate, illam arcent, Contra quos plena est scriptura testimonijs salubribus, quin & ipse Augustinus millies inculcat, doctrinæ huius absurditatem, sicuti ex locis subnectendis euadet manifestum. Sic enim habet Augustinus: Nos possumus nostro libero arbitrio efficere, vt operatio Dei, nihil in nobis proficiat. Et verum id quidem est, si non est aliud Dei operatio in nobis, quàm admonitio, suasio, præceptio, prædicatio, & externa similia, his enim profectò possumus mala voluntate resistere. Cætera legat studiosus, & expresse reperiet veritatem esse præmissam. Et alibi: Non potest, inquit, effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo nolit, nempe quia gratia libero arbitrio potentior est. Rursus de prædestinatione Sanctorum, negat vllum esse cor tam durum, vt gratiam Dei respuat, cùm idcirco tribuatur, vt duritia cordis primitus auferatur. Audiat hæc homo, inquit alibi, & non contemnat, quod si contempserit, vt contemneret, sciat se obduratum, id est, merito peccati prioris id sibi euenisse. Si autem non contemnat, etiam vt non contemneret, se credat adiutum. Idipsum tribus compluribus alijs locis comprobat Enchiridij cap. 95. 96. 98. libr. 2. cont. 2. Epistolas Pelag. cap. 8. & 9. vbi ponit quoddam Pelagianorum decretum, quo definiebant Deum adiuuare, eumque bonum propositum, non autem reluctanti studium virtutis immittere: ad quod lib. 4 cap 6. plenè respondet, varijs vtens scripturarum testimonijs, quibus probat priusquam libero arbitrio gratia detur, esse ipsum resistens, aduersum, & rebelle, vt quotquot per eam conuertuntur, conuertantur, sicut Paulus excepto miraculo, ex rebellibus, inquam, obedientes, ex infidelibus fideles, ex superbis humiles, ex impijs fiant pij. Sic cap. 15. & 20. de prædestinatione Sanctorum, de gratia & libero arbitrio, vbi multis productis scripturarum testimonijs probat, vniuersos priusquam Deus gratiam suam admoueat, habere cor lapideum, & Christo aduersum, sed gratia Christi auferri cor lapideum, & dari cor carneum, rebellesque animos subijci, & fieri obsequentes. Profuerit etiam pro hoc argumento legisse caput penultimum, & vltimum de bono perseuerantiæ, vbi ex oratione pro infidelibus ostendit, quemadmodum Deus subdat sibi rebelles hominum voluntates. His adstipulatur Concilium Arausicanum, vbi asserit gratiam efficere, vt nos obedienter submittamus, & Dei voluntati non resistamus. Hæc quia in libro de præceptis decalogi, articulo, de Reprobatione, non per omnia insinuâram, paulò altiori principio duxi hæc

Epistola 107. ad Vitalem.
Deo quomodo resistere possimus?
Lib. 1. ad Simplicianum, cap. 2.
Cap. 8.
106. *Epistola ad Sixtum.*
Cap. 14. & 16.
Lib. 2. de pec. mer. & remiss. cap. 17.
Cap. 6. & 4.
Lib. 1. de vocatione Gen. cap. 1.
Ioan. 6.

præſenti loco enucleanda. Nec veterum ſcriptis præmiſſam ſententiam, cupio tantum ſtabilitam, quin Scholaſticorum etiam calculum adijciam. Thomas igitur ſcribẽs ſuper illud Ioannis: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum, præclarè philoſophatur, Deũ quantum ex ſua inſtitutione paratum eſſe, omnes illuminare inſtar ſolis, diuerſa quantum in ipſo eſt illuſtrantis. Sed omnium corda per peccatum veluti clauſa inueniri, ipſamque humani cordis malitiam diuidere inter Deum & hominem, & qui ſecundum primam inſtitutionem, diuinam lucem in hominum mentes influeret, ſi capaces inueniret, ac tales, quales ipſe creauerat, iam propter impedimẽta peccatorum, & obicem corrupti animi, non idem facere. Quærit igitur primum, cur Deus gratiam ſuam, & lucem hominibus omnibus non infundat? Et reſpondet veriſſimè, quia omnes reſiſtunt, & peccatis impedimenta obijciunt, quia omnium corda per infidelitatem, ſibi clauſa inuenit, magna tamẽ miſeratione ad nonnullos venire, & impedimenta peccatorum auferre, quô lucem ab eo diffundendam queant recipere. Subiungit, cur non id vniuerſis præſtatur? Reſpondet, quia nolit, quod iuſtus ſit, & iuſtitiam in multis, & miſericordiam ſuam in paucis velit oſtendere. Et ſanè ex iam dictis liquet, gratiam libero arbitrio non eſſe ſupponendam, ſed præponendam. Sunt & alij, qui dicant liberum arbitrium ordine ſaltem naturæ præcedere, in bono opere efficiendo, liberum enim arbitrium, tãquam primarium agens, gratiam, tanquam inſtrumentum concipiunt: Contra quos Auguſtinus hæc dicit, Comitante non ducente, pediſſequa, non præuia gratia, &c. Et alibi, Pulcra ſimilitudine probat liber 3. hipognoſticon: In omni opere ſancto prior eſt voluntas Dei, ſi ſpectes æternum Dei conſilium, & prior principalitate in operando, quare liberum arbitrium ibidem comparatur iumento, gratia verò ſeſſori, cui ſuffragatur Concilium Arauſicanum: Hoc ſalubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono, non nos incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuuamur, ſed ipſe nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem ſui prius inſpirat, vt & baptiſmi Sacramenta fideliter requiramus, & poſt baptiſmum cum ipſius adiutorio, ea quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus. Hactenus ſatis, ſuperque demonſtratum eſt gratiam libero arbitrio ſemper eſſe anteponendam. Quæ nos ſemper præueniat & ſequatur, ac bonis operibus iugiter præſtet eſſe intentos, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Gratiā Deus, quare non omnibus infundat?

Epiſtola 109. *ad Paulinum. & 13. de Ciuit. Dei, cap.* 15.

Liberum arbitrium comparatur iumento, gratia ſeſſori.

2. Cap. 25.

Homo quomodo queat gratiam respuere?

CAPVT XXVI.

QVò prælibato articulo præfata rectius intelligantur, fideique Catholicæ, Romanæ quoque Ecclesiæ conformiora demonstrentur, operæpretium fuerit, perpendiculo rationis considerasse, sententiam Saluatoris apud Ioannem positam: Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit illum. Si trahitur, inquiunt quidam, arbitrium non est liberum, nam tractus violentiam designat. Atqui hic falluntur, quum etenim teste scriptura subinde voluntas reluctetur trahenti, nec sequatur quo trahitur, constat nullam ei violentiam inferri, nec aliquam adduci necessitatem, sed suæ libertati etiam dum trahitur, illam relinqui. Istud edocet diuina Sapientia, inquiens: Vocaui & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Quid enim est ibi manus extensio, nisi auxilij diuinæ gratiæ oblatio? quo possent si vellent, ad bonum se erigere. Et alibi clamat Christus in æternum benedictus, Hierusalem, Hierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti. Quod si Christo volente noluit, quis libertatem neget? quis dicere ausit voluntati Dei aut eius tractui vllam humanæ voluntati adferri necessitatem? Si gratiæ trahentis Dei nos deesse non possumus, sed quo illa trahit necessariò sequimur, frustra Corinthios hortatur Apostolus, ne in vacuum gratiam Dei recipiant. Superflua est etiam illa exhortantis Prophetæ admonitio. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Possumus ergo diuinitus oblatam nobis gratiam respuere, quod fecit seruus ille nequam, qui acceptum à Domino talentum, fodit in terra. Vnde Augustinus: Quis, inquit, trahitur, si iã volebat, & tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis, vt velit, ab illo, qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari. Non vt homines (quod fieri non potest) nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant, de quo latius alibi differit, elucidans nullam voluntati inferri vim, sed amore potius eam duci. Nam qualis sit iste tractus explicans, Ramum, inquit, viridem ostendis oui, & illam trahis, & nuces puero demonstrantur, & trahitur. Item beatus Ioannes Chrysost. Sponte, inquit, nos vult Deus effici bonos, non necessitate, atque violentia.

Cap. 6. *Trahi in scriptura quid?*

Prouerb. 1.

Matth. 23.

2. Cor. 6.

Psal. 111.

Lib. 1. cont. 2. Epistolas Pelag. ca. 19.

Tract. 26. in Ioannem.

Homil 5. de laudibus Pauli.

lentia. Et paulò post: Si traheret inuitos, eriperet ipse quod contulit, id est, arbitrij libertatem. Consentit & Hilarius, vbi ex eo quod scriptum est, dedit eis potestatem filios Dei fieri, docet, quod fieri filios Dei voluntatis sit opus, non necessitatis. Ad eundem etiam modum interpretatus est locum illum diuus Augustinus: Audiamus, inquit Euangelistam, dicentem, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, ne omnino existimemus in nostra potestate esse quod credimus. Quibus omnibus accedit Concilium Tridentinum, Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, & vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passiuè se habere, anathema sit. Et sequitur proximo canone: Si quis liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à sathana inuentum, in Ecclesia, anathema sit. Sed adhuc vrgent aduersarij ductis à Diuinæ prouidentiæ, prædestinationis, & præscientiæ certitudine, ac infallibilitate, argumentis. Quibus illæ apertissime scripturę sunt obijciendæ, quas superius pro libertatis assertione adduximus, & ex eis percunctandum est, num sibi ipsi contrarius sit Spiritus sanctus, scripturæ author, vt quod vno loco astruat, alio destruat, quod cum non dubitent impossibile, etiam fateantur necesse est, hac diuinæ prouidentiæ, prædestinationis vel præscientiæ certitudine, nō tolli libertatē arbitrij, quam toties author scripturæ Spiritus sanctus disertis verbis asserit. Dicendum ergo cuncta sic Dei ordinatione, gubernari vt naturas rerum, quas condidit, minimè destruat, sed ita cuique illabatur, vt ei cooperetur secundum propriæ naturæ modum, diuersis effectibus diuersas adaptans causas, ijs quidem quas necessario vult euenire necessarias, quas contingenter contingentes. Alioquin quomodo verum erit, quod de iusto superius dictum est: Qui potuit transgredi, & non est transgressus? Si etenim illa diuinæ prouidentiæ, prædestinationis, & pręscientiæ certitudo necessitatē rebus adduceret, dicendum omnino esset, quod necessariò peccauerit, si autem necessario peccauerit, mēdacem facimus Spiritum sanctum, qui ait illum peccare potuisse: nam simul hæc consistere non posse, necessario non peccare, & posse peccare, nemo ambigit. Ne ergo blasphemiæ notam Spiritui sancto videamur inurere, integram seruemus homini suam libertatem. Et quod huic libertati

Lib. 1. de Trinitate.

Cap. 1. Ioā. Tract. 93. in Ioannem.

Sess. 6. ca. 4.

bertati

bertati nihil deroget diuina præscientia licet infallibilis, ele-ganter tradit D. Hieronymus super Hieremiam, dicens, Non ex eo quòd Deus futurum scit aliquid, idcirco futurum est, sed quia futurum est, nouit, quasi præscius futurorum. Et alibi: Loquitur hæc Deus, inquit, ambigentis affectu, vt liberum hominis monstret arbitrium, ne præscientia futurorum boni vel mali immutabile faciat, quod Deus futurum nouerit: non enim quia ille ventura cognoscit, necesse est nos facere, quod ille præsciuit, sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille quasi Deus nouit futurum. Sic & Augustinus de prædestinatione & gratia: Respondetur, inquit, Dei præscientiam non cogere hominem, vt talis sit, qualem præsciuit Deus, sed præscire talem futurum, qualis futurus est, quamuis eum non sic fecit Deus. Idem docet Prosper simul declarans qui fieri possit, vt rerum quæ contingenter eueniunt, certa & infallibilis haberi possit præcognitio. Postquam multa enim de præscientia Dei differuisset, tandem subiunxit: Contra hanc inuictæ veritatis splendidissimam lucem, solent quidam non sobriè dicere, superfluè ad acquirenda bonorum operum merita laborari, frustra etiam orationibus, quibus Deus exorandus speratur insisti, si ex incommutabili proposito eius Christianæ gratiæ subsistit electio, nec aliter quicquam procedere potest, quam omnipotentis voluntate dispositum est. Sed qui se ingeniosè arbitrantur hoc opponere, & intelligunt scientiam Dei, quę & præterita & præsentia & futura complectitur, tempore non teneri, & tam in conspectu eius astare, quæ gerenda sunt, quàm illa quæ, aut geruntur, aut gesta sunt. Quod quam verissimum sit, non indiget mora cernendi & discernēdi illa virtus, quæ perpetuò vno contuitu creata & creanda simul conspicatur. Et quicquid per secula infinita in vniuersitate rerum euoluitur, ac multimodis varietatibus explicatur, id totum in eo ordine comprehendit, quem ex ipsius summo illoque perfecto iudicio, mundi huius finis accipiet. His adstipulatur Leo Papa, & Chrysostomus, nec non Concil. Constantiense, Sessione 8. inter 45. articulos Ioannis Wiclef, quos ibidem damnat, hunc 27. loco recenset, quo obganniebat, omnia necessitate absoluta euenire. Sed adhuc pergunt obstrepere, Martinus Lutherus, & Ioānes Caluinus, contendentes vsque adeò hominem nihil posse, vt ne peccatorum quidem ipse author sit, sed Deus, nam & mala, inquit, opera ipse Deus in impijs operatur. Et rursum, Non sicut nos, inquit, sed sicut ille vult, ita viuimus, facimus, patimur,

Lib. 5.

Lib. 3. Ezechiel.

Lib. 1. cap. 1. & lib. 2. de vocatione Gentium.

Ser. 16. de passione Domini.

Homil. 60. in Matthæū.

Lib. assertionum, cap. 36.

Lib. 3. instit. sect. 3.

patimur, omnes & omnia. Adducunt ad sui erroris confirma-
Prouer. 16. tionem, quod scriptura habet, omnia per semetipsum opera-
Ro. 1. cap. tus est Dominus, etiam impium & malum, item Apostolus
Paulus: Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant
Cap. 9. quæ non conueniunt. Et postea, cuius vult miseretur, & quem
vult indurat. Quibus & similibus locis, significari putãt Deum
Psalm. 5. operari peccata. Atqui huic intelligentiæ manifestè obsistit, quod ait Propheta, mane astabo tibi, & videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, nam si iniquitatem Deus non vult, non est peccati author appellandus, neque enim inuitus aliquid operatur, cui teste scriptura subest cum voluerit posse.
Sap. 11. Alibi quoque legitur: Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. Quod si diligat omnia, quæ fecit, & peccatorum ipse au-
Cap. 1. thor est, vti volunt aduersarij, igitur & peccata diligit. Verum istud scriptura elidit eo loci, significans odio esse impium, & impietatem eius Deo. Si ergo nihil eorum odit Deus, quæ fecit, peccata autem odio habet, consequens est peccata ab eo
1. Epistol. non esse facta, quod & Ioannes agnoscit, inquiens, Deus lux
cap. 1. est. & tenebræ in eo non sunt vllæ. Quod ex verbis Saluatoris
Matth. 7. nostri dilucidum esse potest, dicentis, non potest arbor bona, malos fructus facere, neque arbor mala, bonos fructus facere.
Cap. 12. Et postea, Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum, siquidem ex fructu arbor cognoscitur. Quod si non nisi bona potest operari voluntas bona, fieri nequit, vt mali aliquid fiat authore Deo, qui summa est & incommutabilis bonitas. Aut si mala omnia ipse operatur, vt Zoili isti effutiunt, cum teste Saluatore, ex fructibus æstimari debeat arboris qualitas, vt mala sit arbor, cuius mali sunt fructus, consequens est, malum esse Deum, qui fructus proferat malos. Sed hanc tantam blasphemiam quis ferat? Existimasti iniquè Deum tibi fore similem Luthere, sed vacuas aures parum præbe. Arguam te, inquit ille altitonans, & statuam contra faciem tuam. Et alio in loco: Arguet te malitia tua, & auersio tua, increpabit te.
Hier. ca. 2. Et postea: A sæculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti non seruiam. In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prostituebaris meretrix. His audis omnem culpam in Israël reijci, nam tu, inquit, confregisti iugum, rupisti vincula, dixisti non seruiam. Et quo clarius elucesceret, Deum non esse mali authorem, subnexuit, ego autem plantaui te vineam electam, omne semen verum. Quomodo ergo conuersa

uersa es in prauum vinea aliena? Obsecro si peccata eorum in illis operatus est Deus, cur illum admiratio inuasit, eos à bonitate ad malitiam exorbitasse? cur in eos malitiam conijcit? cur eos increpat? frustra hæc omnia facit, si mala ipsa Deus in ijs operetur. Nec bonitati tantum, sed & omnipotentiæ Dei derogant, dum eum furti, rapinæ, incestus, blasphemiæ & reliquorum criminum authorem faciunt, nam peccare deficere est, deficere autem ad impotentiam pertinet, quam nephas est, vel de Deo somniare. Si ergo Deus author peccati esse nequeat, alius profectò scripturarũ quas adducunt aduersarij, sensus est requirendus, quam illi ex eis comminiscuntur. Sicque interpretandæ sunt, quæ obscurius ibi dicuntur, vt manifestissimã hanc veritatem non destruant. Quod ergo ex prouerbijs adductum est: Omnia per semetipsum operatus est Dominus, etiam impium, &c. non hunc habet sensum, quod impietatem in impijs Deus operatus sit, sed quod illum, qui propria volũtate sua impius factus est, ad iustitiæ suę manifestationem æternis destinauerit supplicijs. In hũc sensum Hieronymus illum locum interpretatus est: Nulla, inquit, Domino causa fuit, creaturam visibilem vel inuisibilem faciendi, nisi vt bonitatem rationali creaturæ (quam perpetuo beatam faceret) ostenderet. Eum qui bonæ conditionis charismata propria sponte deseruit, diabolum quoque cum suis sequacibus, iusta seueritate damnauit. Reliqua huic argumento proficua, fusius videre qui voluerit, breuitatis ergô, articulum de reprobatione super primum præceptum decalogi inspexisse non fuerit indignum.

Quanta absurditas, Deũ comminisci peccatorum authorem.

Exponitur scriptura præmissa.

Gratia an aliquando amitti possit?

CAPVT XXVII.

IOuinianus in ea fuit hæresi, vt asseueraret gratiã Dei semel in baptismo collatam, non posse amitti, quod astruere conabatur ex eo quod ait Ioannes Apostolus, omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in ipso manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Et rursum ex verbis Saluatoris: Non potest arbor bona malos fructus facere. Verum hanc Iouiniani sententiam ac intelligentiam, ipsemet Ioannes in eadem epistola destruit, vbi de ijs loquens, qui baptismi gratiam iam fuerant consequuti: Si dixerimus, inquit, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est, & quæ ibidem sequuntur. Et in sequentibus: Filioli mei hęc scribo vobis, vt non peccetis.

Iouiniani error.

Primæ epist. cap. 3.

Matth. 7.

Cap. 1.

Cap. 2.

Si enim

Si enim peccare non potuerunt, vt voluit Iouinianus, quid hac exhortatione opus fuit? frustra enim suaseris quæ res fieri non sinit, mendax quoque offendetur scriptura, pronuncians neminem à peccato immunem. Non ergo negat Ioannes, peccare eos potuisse, quos dicebat peccato iam esse obnoxios, & ne peccarent nō temere hortabatur, sed ostēdit quo discrimine internosci possint, qui ex Deo & qui ex diabolo sint: Filioli, inquit, nemo vos seducat. Qui facit iustitiam iustus est, sicut & ille iustus est. Qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam diabolus ab initio peccat. Deinde ostensurus non illum esse ex Deo, qui seruit peccato, sed magis aduersari illi, adiecit: In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli. Ex quo cōsequens esse vult, nō posse illum seruire peccato, qui filius Dei est, nam qui peccato seruit, non Dei, sed diaboli filius est. Vult ergo hominem tantisper peccare non posse, subaudi mortaliter, teste Augustino, dum manet Dei filius. Similì modo præmissam interpretatus est sententiam Saluatoris, sanctus Hieronymus: Tamdiu, inquit, nec arbor bona malos fructus facit, nec mala bonos, quamdiu vel in bonitate sua, vel malitia perseuerat. Et certè nisi ad illum modum illa intelligamus loca, nō solum Ioannes sibi ipsi contrarius erit, sed tota penè scriptura destruetur, quæ passim docet iustos gratiæ Dei posse excidere, & frequenter excidisse. Apostoli namq; quos in vltima cœna Christus mundos pronunciauit, paulò post scandalum passi, relicto in manibus hostium crudelium Domino suo, ad vnum omnes fugam ceperunt. Ex quibus Petrus, qui cæteris erat feruentior, eadem nocte trina negatione Deum abiurauit. Quomodo ergo fieri posse negatur, quod testante scriptura factum non ignoratur? Vnde & Dominus illos hortabatur, vti clypeo vigiliarū, ac orationum casside, contra impendentem hostilium nequitiarum impetum, se munirent: Vigilate, ait, & orate, vt non intretis in tētationem. Huc etiam pertinet, quod Apostolus ait, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Et capite sequenti: Qui stat, videat ne cadat. Et posteriori epistola: Timeo, inquit, ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo Iesu. Et alibi, Currebatis benè, quis vos impediuit nō obedire veritati? Legimus etiam quendam fuisse increpatum, quod charitatem primam dereliquisset. Sed & Nicolaus quidam Antiochenus, vnus ex septem primis Diaconis iudicio Apostolorum, ac reliquæ multitudinis credentium, plenus fuit spiritu sancto,

Libr. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 7.

Lib. 2. cont. Iouinianum.

1. Cor. 9.

Cap. 11.

Gal. 5.

Apocal. 2.

ſancto,qui poſtmodũ à fide deſciuit,& Magiſter errorũ poſteris, qui Nicolaitæ appellati ſunt, tranſmiſit:quorum facta Chriſtus ſe odio habere teſtatur. Sunt & alia paſſim in ſcripturis obuia teſtimonia, at iſta abundè ſuffecerint. Quũ ergo omnibus ſit in confeſſo, quoſdam peccaſſe, & quidem grauiſſime, abſque vlla controuerſia credendum eſt, eos charitatem ſemel in baptiſmo, aut alias perceptam, amiſiſſe. Nam ſecundum ſcripturam: Qui diligit, legem implet, quiſquis igitur non implet, profecto dilectione ſeu charitate vacuus eſt. Quod etiam diſertè docet Cõcilium Tridentinum, inquiens: quocunque peccato mortali, quanquam non amittatur fides, amittitur tamen accepta iuſtificationis gratia. Et poſtea: Si quis, inquit, hominem ſemel iuſtificatum dixerit amplius peccare non poſſe, neq; gratiã amittere, atque adeò eum qui labitur, & peccat, nũquam vere fuiſſe iuſtificatum, aut contra poſſe eum tota vita peccata etiam venialia peccare, niſi ex ſpeciali Dei priuilegio (quẽadmodum de beata virgine tenet Eccleſia) anathema ſit. Idem ferme edocet concilium Mileuitanum: falſa proinde cõuincitur Iouinianiſtarum aſſertio, dicentiũ, baptiſmi gratiam amitti nõ poſſe, rectéq; illis accõmodari poteſt, quod Dominus querulosis prophetæ vocibus deplangit: Curabant, inquit, contritionẽ filiæ populi mei, cum ignominia dicentes, pax, pax, & non erat pax, Et alibi: Popule meus qui te beatum prædicãt, ipſi te decipiũt, & viã greſſuum tuorum diſſipãt. Nec illis ſuffragatur Apoſtolus, qui dicit charitatem nunquam excidere: Non enim vult in præſenti vita eam amitti non poſſe, quod frequenter etiam ex ipſius Apoſtoli verbis manifeſtum eſt, ſed vult charitatem, quæ vſq; ad extremum vitæ terminum perſeuerãter retinetur, etiam in vita futura permãſuram: cum fidei & ſpei nullus ibi locus ſit futurus, quandoquidem fidei ſuccedet clara viſio eius rei, quæ prius obſcurè, & in ænigmate videtur. Spei verò ſuccedet poſſeſſio quę antea tantũ per deſideriũ habebatur, quã nobis largiatur gratia, & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen.

Seſſ.6.ca.15. Cap. 23. *Maria expers omnis peccati actualis & originalis, ca. 6. & duobus ſequentibus.* Hier. 6. Eſa. 3. cap. 1. Cor. 13. *Soluitur Iouiniani argumentum.*

Liberum arbitrium an aliquid valeat abſque gratia gratificante?

CAPVT XXVIII.

MAnifeſtũ euaſit ſectionibus præfatis, peccato liberũ hominis arbitriũ nõ prorſus eſſe extinctũ & amiſſum, cũ multa queat abſq; gratia gratificãte, ſecundũ Aug. Nõ vſque

De ſpiritu & litera, ca. 28.

vſque adeò, inquit, in anima humana, imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint, vnde meritò dici poſſit, etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua naturaliter. Primò, namque poteſt homo quamlibet gratiam internam & externam ex viribus liberi arbitrij non contemnere, & non negligere. Poteſt etiam, inquit beatus Bonauẽtura, S. Rom. Eccleſiæ Cardinalis, & Thomas, nec non Richardus, nõ conſentire aliquibus peccatis, & tentationibus abſque gratia gratificante. Sed nequaquam poteſt diaboli ſuggeſtiones abſque eadem vincere, quia victoria palmam meretur, quæ non niſi gratia prædito præſtatur. Dicitur autem aliquibus peccatis, quia in omnibus non obtinet veritatem, propter inſtabilitatem hominis & liberi arbitrij infirmitatem. Peccatum peccauit Hieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. Ad huius rei comprobationem: Bonauentura geminam profert ſimilitudinem: Si contingat, ait, homini, vni reſiſtere tentationi, adeò multiplicari poſſent, quod niſi adforet præſidium, neceſſario ſuccumbere deberet, ſicut patet in foraminibus nauis quibus aqua irrumpit. Alia eſt pugilis ſimilitudo, qui cum ſe vna contra inſultus hoſtiles cooperit parte, altera diſcoopertus, ſtrennuus athletha proſternitur. Haud ſecus diabolus pluribus facit, quo tentatione ad carnis illecebras pertrahere nititur, & quia concupiſcentiæ motibus non acquieſcit, alio tentationis impetu in ſuperbiæ faſtum perducere ſatagit. Cum igitur homo ex viribus liberi arbitrij reſiſtere nequeat omnibus tentationibus & peccatis, ſed duntaxat aliquibus, propter liberi arbitrij inſufficiẽtiam, nec quidem aliquibus diu, propter eiuſdem inſtabilitatem, multominus vniuerſas tentationum inſidias & diaboli ſuggeſtiones vincere præualet. Hinc orare compellitur, & frequentare cogitur illud orationis Dominicæ (Ne nos inducas in tentationem) contra Pelagium, qui nullis precibus opem diuinam nobis neceſſariam docebat efflagitandam, ſecundum diuum Auguſtinum: Ne nos inducas in tentationem, ſiue non patiaris nos induci in tentationem, vti habet beatus Cyprianus in expoſitione huius paſſus, qui ſubdit: Quando rogamus, ne in tentationẽ incidamus, admonemur infirmitatis & imbecilltatis noſtræ, ne quis ſe inſolenter extollat, quin potius pia mente & ſedulo cordis affectu imploret: mitte Domine de cælo ſancto tuo, & de ſancta Syon tuere nos, ne incidamus in tentationem, quia, ne inducas, eſt ſecundũ Auguſt. & Gregorium, à tentationis illecebris nos vinci non permittas, fit namque commu-

Lib. 2. diſt. 28. art. 1. quæſt. 2. & 2. quæſt. 2. 1. 2. quæſt. 109. art. 8. Ad ſolut. 1. argumenti. Diſtinct. 28. quæſt. 2. Thren. 3. Similitudinibus probat.

Lib. 1. de gratia Chriſti cap. 41. Epiſtolis 90. & 92. ad Innocentium. Epiſtola 89. ad Hil. tract. 53 in Io. lib. 3. moral. ca. 3.

communiter,vt arbitrium ſibi relictum,gratiaq; non informatum,ad omnia peccatorũ genera deflueret,& à motibus concupiſcentiæ, tanquam quibuſdam ineſcatum laqueis,ad incentiua queq; vitiorũ prorueret.Secundò,homo per liberum arbitrium gratia non informatum, poteſt conſtruere domos, plantare vineas, &c. vt docet liber Hypognoſticon apud Auguſtinum, & Thomas. Quæ opera non faciunt ſolum gẽtiles & pagani nunquam Chriſti myſterijs initiati,verumetiã graues in eccleſia Dei peccatores,Diuinæ gratiæ obicem conſtituẽtes.Tertiò liberum arbitriũ abſq; gratia gratũ faciente, poteſt Dei facere præcepta, ſecũdum Apoſtolum: Gentes,inquit,naturaliter,ea quę ſunt legis,faciũt. Verum iſtud videtur derogare alijs ſcripturarum locis,quia in eadem Epiſtola,Plenitudo legis dicitur eſſe dilectio, & charitas,quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris,non per noſipſos, neque viribus liberi arbitrij,ſeu proprię voluntatis,ſed per Spiritum ſanctum,qui datus eſt nobis.His conformis videtur diuus Auguſtinus:Illud,inquit,quod dicunt homini ſufficere liberum arbitrium,ad Dominica pręcepta implenda,etiãſi gratia & Spiritus ſancti dono,ad opera bona nõ adiuuetur,omnino anathematizandum eſt,& omnibus execrationibus deteſtandum.Reſpondendum eſt.Impletionem mandatorum Dei,bipharium intelligendam,ſecundum ſanctos,Thomã,& Bonauenturã.Priori modo,quãtum ad intentionẽ legiſlatoris Dei,quo modo nemo ea implere poteſt abſq; gratia, quia intentio mãdantis dilectionem prærequirit,ſecundum B.Paulum:Finis legis eſt dilectio.Si vis ad vitam ingredi,ſerua mandata. Nemo autem vitæ futuræ beatitudine perfruetur, per opera bona, niſi charitate fuerint formata. Sed vniuerſi anhelo ſpiritu deſideramus habitare in atrijs Domini,ergo etiã videtur, teſte Ambroſio,& Auguſtino, quod aſtringamur operibus charitatę formatis, implere præcepta,modo digni eſſe velimus promiſſionibus Chriſti.Poſteriori modo,quantum ad ſubſtãtiam operis,ſic ſine gratia gratum facientę,aliqua fieri poſſunt pręcepta,etiã à gentibus vt pręmiſſa ex Paulo demõſtrauit ſententia,teſte Auguſt.Hoc etiam modo hæretici,ſchiſmatici, ſeruant iuſſa diuina.varijsq; falſi martyrij diſcriminibus,charitate deſtituti,ſe exponunt. Sed,ſi tradidero, inquit Apoſtolus,corpus meum ita vt ardeã, charitatẽ non habuero,nihil mihi ad vitã prodeſt æternam,vti comprobat Aug. varijs locis.Sic namq; Pelagius ſpretis parentibus, abruptiſque huius mundi quiſquilijs,apicem Euãgelicæ perfectionis ſe adeptum iactitauit.Atqui Auguſtinus pręmiſſis,& aliquot alijs locis luculenter edocet, ſine gratia & charitate nihil Deo gratum

Lib. 3. *1.2. quæſt. 109. art. 2.* Rom. 2. Cap. 13. Rom. 5. *Epiſtola 89. ad Hilarium. Vbi ſup. art. 4.* 1.ad Timo. 1. cap. *De Iacob & vita beata,ca. 5. ſuper Pſal. 35.& Enchirid. 101. De ſpiritu & litera,cap.17. 26. & 28.* 1.Corin.13. *Lib.1.de actibus cum Fœl. cap.10.& 11. Libr. 1.cont. Donat. ca. 9. Epiſtola 104. ad Donatum, lib. 5. contra Fauſt. cap. 1. & 2. Tract.86. in Ioan. & de prædeſt ſanc. cap.10.*

existere. Hinc Fabricius, Camillus, Regulus, Scipio, contra Zvvinglianos hæreticos nunquam salute potientur, secundum eundem & Thomam. Mitiora tamen fortassis æternarum pœnarum dabunt flagella. Nec præmissa asserendo, Iouinianistarum incurrimus errorem, qui hominem nullo modo peccare posse percepto baptismo contendebant, quod quàm aduersum sit prælibatis, nullus est, qui non videat. Nec etiam scopulis Pelagianorum illisi periclitamur, quia Pelagius arbitrabatur hominem ex sola liberi arbitrij potestate gratiam mereri, omnia implere præcepta, iustè viuere, Deoque placere. Imò scientiæ reuelationem solam Deo referebat acceptam, cognitam autem operi mancipare, nostra referre mentiebatur. Cùm autem falsitatis conuinceretur, quòd nihil gratię Dei, vt premissum est, adscriberet, hactenus correptioni cessit, vt infideli calliditate diceret gratiam, non omnino inutilem, sed quod illa accedente facilius Dominica implerentur præcepta.

Libr. 4. cont. Iul. cap. 3. 1. 2. quæst. 109. De spiritu & lit. cap. 28. & 89. in Ioannem. Epistola 90. ad Innocen. & 143. ad Iulianum.

Gratia an aliquid valeat absque libero arbitrio?

CAPVT XXIX.

Serm. 15. de verbis Apostoli.

VErum quidem est sententiam Augustini scripturis esse consentaneam, quæ dicit: Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. Nihil siquidem exigit creandis hominibus, quid obsecro exigeret ab his, qui nondum in rerum natura existunt? & subdit, Sine voluntate tua non erit in te iustitia Dei. Potest quidem esse iustitia Dei, sine tua voluntate, sed in te esse non potest, nisi per tuam voluntatem, quia ad iustificationis gratiam, plura requiruntur, nimirum credere, resipiscere, ad cor redire, pœnitere, orare, &c. quæ nequaquam fieri valent, absque concursu vsus liberi arbitrij & voluntatis: Deus namque vniuersa moderatur, & mouet, secundum vniuscuiusque naturam & conditionem, vti docet Thomas, & Bonauentura. Cum autem homo suapte natura liberi sit arbitrij, non ad conuersionem, gratiam, & iustitiam mouetur, absque concursu eiusdem, quia ita infundit iustificantis gratiæ donum, vt etiam pariter moueat liberum arbitrium, ad donum gratiæ acceptandum, in his, qui huius motionis sunt capaces: secundum beatum Augustinum. Infantes autem vsum liberi arbitrij nondum habentes, mouentur à Deo per solam animæ ipsorum informationem, vnde consequitur tales paruulos, simul & amentes, sola gratia absque voluntatis, & liberi arbitrij operatione, regna consequi æterna, secundum lib. 3. Hypognosticon apud Augusti-

1. 2. quæst. 113. super 4. dist. 4.

Tract. 72. in Ioannem.

guſtinum, ſtatim poſt medium, qui aperrè inſinuat paruulos abſque vſu liberi arbitrij aſſequi remiſſionis gratiam,& D. Bernardus,quemadmodum,inquit, tunc infantibus circuncifio, ita nunc baptiſmus, ſine vllo propriæ voluntatis vſu ſufficit ad ſalutem. Et poſtea: Sinite paruulos venire ad me,quia talium eſt regnum cælorum, & pax hominibus etiam ſine voluntatis vſu in ſacramento pietatis.Et reliqua eo loci perpulcrè poſita.Huic adſtipulari cognoſcitur Concilium Arauſicanum, poſt Auguſtinum: Multa,inquit,in homine fiunt bona, quæ non facit homo. Nec iſtud inconueniens videri debet, quia quemadmodum ſine ſuo arbitrio corporaliter generantur, ita ſine concurſu vſus liberi arbitrij,ſpirituali regeneratione,in qua ſingulariter Diuina gratia relucet, iuſtificantur.

Ser.de Innocentibus. 2. Cap. 20. *Libr.* 2. *cont.* 2. *Epiſtolas Pelag. cap.* 8.

Quod officium gratiæ, quod item liberi arbitrij in conuerſione peccatoris?

CAPVT XXX.

HAllucinatus eſt quidem beatus Thomas, quando aſſeruit liberum arbitrium ſua naturali, quæ ſibi à naturæ conditore indita eſt, poſſibilitate, præparare ſe poſſe ad gratiam grâtum facientem, propterea hanc ſuam ſententiam retractauit, conſtituendo ſentẽtiam ſcripturis magis conſenraneam, nimirum, quod nullus naturæ viribus, aut liberi arbitrij poteſtate,queat pertingere ad gratiam prælibatam. Sine me,inquit Chriſtus, nihil poteſtis facere. Et iterum: Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit illum. Dicit traxerit, non duxerit, ne Pelagianam credamus præceſſiſſe, ipſi gratiæ voluntatem, aut liberum arbitrium, ſecundum Auguſtinum, & Chryſoſtomum: Ille, inquit, trahitur ad Chriſtum, cui datur vt credat in Chriſtum, quæ poteſtas niſi à Deo detur, nulla eſſe poteſt ex libero arbitrio. Nemo namque poreſt ſurgere de profundo præuaricationis Adæ, niſi eum gratia miſerentis Dei erexerit: nec aliquatenus liberum minuit arbitrium, quod nihil boni valeat, abſque Diuino præſidio, quin potius ſtatuit illud. Nec ſequitur, non poteſt abſque Dei auxilio bene velle,ergo liberam homo non habet voluntatem. Reſpondet etenim diuus Auguſtinus: Abſit, inquit, vt per gratiam euacuemus liberum arbitrium, ſed magis ſtatuimus, quod ſimilitudine congrua comprobat: Sicut, inquit, lex per fidem, ita liberum arbitrium per gratiam non euacuatur, ſed ſtatuitur, neque enim lex ſine libero arbitrio impletur,ſed per legẽ cognitio peccati,per fidem

In ſcript. 2. *diſt.* 28. *ar.* 4. 1. 2. *queſt.* 109. *art.* 6. & 112. *art.* 3. Ioan. 15. Cap. 6. *Lib.* 1. *cont.* 2. *epiſt. Pelag. cap.* 3. & 19. *lib.* 2. *ca.* 84. *de bono perſe. cap.* 14. *Homil.* 45 *in Ioan.* *De ſpiritu & litera, cap.* 3. *Et in lib. eccl. dog. cap.* 22. & 27.

impetratio gratiæ, cōtra peccatum: per gratiam sanatio animæ à vitio peccati, per animæ sanationem, libertas arbitrij, per liberum arbitrium iustitiæ dilectio, per iustitiæ dilectionem, legis operatio. ac per hoc, sicut lex non euacuatur, sed per fidem statuitur, quia fides impetrat gratiam, qua lex impletur, ita libe-
Libr. de Eccles. dog. cap. 32. rum arbitrium non euacuatur per gratiam, sed statuitur, nam gratia sanat voluntatem, qua iustitia liberè diligitur. Et alibi, Auxilio & munere Dei, liberum non aufertur arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente prouidum, atque ita cooperatur conuersioni hominis, vt tandem ad Deum recurrat: Conuerti tamen
Canone 5. nequit, nisi Deo ipsum ad se conuertente, teste Concilio Mileuitano, & Arausicano, nec non Thoma. Hinc Hieremias, Con-
2 Cap. 4. 1. part. quæst. 62. art. 2. & 1. 2. quæst. 109. art. 6. uerte nos Domine & cōuertemur: Perplexa iam satis & magnis labyrinthis obnoxia nascitur difficultas, Anne cuilibet liberum sit, oblatam recipere gratiam vel respuere, per ipsam vim liberi arbitrij. Respondendum videtur, quod iste nodus bipharriam
Gratia quomodo impeditur? dissolui queat. Priori modo, vt respiciamus exteriorem vocationem, quæ fieri assolet prædicatione declamatorij sermonis, quæ nequaquam ad fidem adipiscendam sufficit, & gratiæ oblatæ bonum vsum, contra Vitalem Pelagianum, qui volebat
Epistola 107. ad eundem. quod ex se, proprioque arbitrio, homo Euangelio fidem adhiberet, aut illud cōtemtui haberet. Cùm Christus expressè dicat:
Ioan. 15. Si non venissem & loquutus eis fuissem, peccatum non habe-
Prædicatio an cor cōuertere queat? rent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Et si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: Nunc autem, & viderunt, & oderunt, & me, & patrem meum. Ex quo liquet. quod liberum arbitrium ex se sit inualidum, ad apprehendendum sanctum Iesu Christi Euangelium, & firma fide suscipiendum, cum ipsa externa Iesu Christi in æternum benedicti prædicatio, verbaque eius melliflua, cordaque inflammantia duræ ceruicis homines non emollierint. Pro-
2. Cap. 7. ptcrea bene sensit Concilium Arausicanum, quando dixit, falli-
Lib. 1. de peccat. mer. & remiss. cap. 25. tur hæretico spiritu, qui putat se Euangelio absque spiritu illuminante credere. Et Aug. Nihil prodest Euangelium foris prædicare, nisi Deus intus operetur. Si quis tamen prædicationem susciperet tanquam suasibilem, & probabilem exhortationem, inquirēdo super eius veritate, nec non authore, quemadmodum
Actor. 17. leguntur fecisse Thessalonicenses, piè creditur talibus auxilium Dei non defore. Alia est interna vocatio (horum fusiorem licet videre tractatum articulo de Vocatione in libro nostro Præceptorum decalogi constituto) in qua proculdubio liberum arbitrium

trium habet suas partes operari, vti docetur in libero apud Augustinum, vbi declarantur officia gratiæ & liberi arbitrij vnicuique propria, & communia. Initium, inquit, salutis nostræ, Deo miserante habemus, quia saltem ordine naturæ præuenit inspiratio Dei, quæ appellari potest excitatio, seu motio, qua Deus ad ostium indurati cordis pulsare legitur, estque gratia gratis data. Non solum gratiæ gratis datæ sunt, quas recenset Apostolus, sed etiam gratia gratis data appellitatur, quicquid illud sit, quod naturalibus superadditum est, adiuuans aliquo modo, & preparans voluntatem ad gratiam gratum facientem, siue illa sic grata, sit habitus, sicut timor seruilis, siue pietas aliquorum visceribus inserta, siue etiam sit aliquis actus, siue vocatio, qua Deus excitat animam hominis, vt se requirat. Secundò, sequitur vt salutiferæ inspirationi acquiescamus, quod est nostræ potestatis, & liberi arbitrij, quod nefas ducit, tam iustè, tamque plausibili inspirationi non obsecundare, nequaquam tamen gloriari potest, quasi proprio Marte consenserit, & acquieuerit, cum gratia & præueniat ipsum, & sequatur oporteat. Posset tamen, vti docet Concilium Tridentinum, non acquiescere & dissentire. Tertiò, sequitur vt adipiscamur, quod acquiescendo admonitioni cupimus: istud est iterum Diuini muneris, nisi enim Deus, sicut nos præuenire debet, etiam subsequeretur præstando libero arbitrio, & voluntati iam non reluctanti vires efficaces, vanus esset conatus eius, & consensus, secundum Augustinum: Primam, inquit, misericordiam vocatione credimus prærogari, quæ sola ad recte viuendum non sufficit, si deserat qui vocauit. Ideoque istud tertium in nobis debet operari, dicente scriptura: Misericordiam præstabo, scilicet adiuuando, & voluntatem ad actum dirigendo, cui misericors, supple per vocationem, fuero. Quartò, vt non labamur in adepto salutis munere, est solicitudinis nostræ pariter, & cælestis auxilij. Istud perpulcrè declarat beatissimus pater, ab aureo eloquendi profluuio Chrysostomus appellatus, super illa verba: Quæ possunt te instruere, &c. Si quis diligenter inspiciat, itaque insinuatur admodum luculenter, quantum possit liberum arbitrium respectu gratiæ, nam cùm sint in salutis opere quatuor, inquit Bonauentura, super prædictis verbis, ex Ecclesiasticis dogmatibus desumtis, videlicet, Inuitare, acquiescere, adiuuare, permanere, primum est inspirationis Diuinæ, secundum liberi arbitrij, 3. muneris diuini, 4. solicitudinis nostræ pariter, ac Diuini adiutorij. Vnde beatus Gregorius re, & nomine magnus: Superna, inquit, pietas prius in

De ecclesi. dog. cap. 21.

Apocal. 3.

1. Corin. 12.

Gratia gratis data generaliter accepta quæ?

Sess. 6. ca. 4.

De prædest. & grat a, cap. 10.

Exod. 33.

Ioannes vnde Chrysostomus appellatus.

Homil. 8. super 2. Epistolam ad Tim.

Quatuor in opere quolibet necessaria.

Lib. 16. moral. cap. 10.

Pulcra Greg. sententia. nobis aliquid agit sine nobis, vt subsequente quoque nostro arbitrio, bonum quod iam appetimus agat nobiscum, quod tamẽ per impensam gratiam in extremo iudicio, ita remunerat in nobis, ac si solis processisset ex nobis. Quia enim Diuina nos bonitas, vt innocentes faciat, præuenit. Paulus ait: Gratia autem Dei sum, id quod sum. Et quia eandem gratiam, nostrum liberum arbitrium sequitur, adiungit: Et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui. Qui dum se nihil de se esse conspiceret, ait, Non autem ego. Et tamen, quia esse aliquid se cum gratia inuenit, adiunxit: Sed gratia Dei mecum: non enim diceret mecum, si cum præueniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet. Vt ergo se sine gratia nihil esse ostenderet, ait, Non ego. Vt verò se cum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adiunxit, sed gratia Dei mecum. Et alibi, Bonum quippe quod agimus, & Dei est, & nostrum, Dei per præuenientem gratiam, nostrum, per obsequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non est, vnde ei gratias in æternum agimus? Rursum si nostrum non est, vnde nobis retribui præmia speramus? Quia ergo non immeritò gratias agimus, scimus quod eius munere præuenimur, & rursus, quia non immeritò retributionem quærimus, scimus quod obsequente libero arbitrio bona eligimus, quæ ageremus. Ex his cuique contestatissimum esse potest, liberum arbitrium, non se merè passiuè habere, tanquam recipiens solum formam ab alio impressam, quemadmodum Lutherani obgãniunt, sed etiam motibus cooperari prædictis. Rursum liquidò constat liberum arbitrium, sua potestate, id est, naturali, quæ sibi indita est à naturæ conditore possibilitate, non posse bene velle, nec iustè viuere contra Pelagium, nisi quodam gratiæ diuinæ adminiculo liberetur, præueniatur, excitetur, trahatur, & adiuuetur. Nã si Deum benè operãdo præuenimus, vbi est quod Propheta ait, Misericordia eius præueniet me? Si quid nos bonæ operationis dedimus, vt eius gratiam mereremur, vbi est quod Apostolus dicit: Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus? Si nostra dilectio Deum præuenit, vbi est quod Ioannes Apostolus dicit: Non quia nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos? Vbi est quod Dominus per Osee dicit, diligam eos spontaneè? Si sine eius munere nostrapte virtute, Deum sequimur, vbi est quod per Euangelium veritas protestatur, dicens: Sine me nihil potestis facere? Vbi est quod ait, Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum? Si saltem dona bonorum operum virtutẽ

Marginal notes: 1.Corin.15. — *Lib. 33. moral. cap. 20.* — *Gratia præueniens, & subsequens.* — Psalm.58. — Ephes.2. — 1.Ioan.4. — Cap.14. — Ioan.15. — Ioan.6.

virtute noſtra bene cogitãdo prę uenim', vbi eſt, quod per Paulum tã ſalubriter dicitur, vt omnis de ſe humanæ mẽtis fiducia ab ipſa cordis radice ſuccidatur, cùm dicit: Non quia ſufficiẽtes ſumus, aliquid cogitare à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt? Nemo ergo meritis Deum præuenit, vt eum tenere, quaſi debitorem poſſit, ſed miro modo æquus omnibus conditor, & quoſdam prælegit, & quoſdã in ſuis prauis moribus iuſtè derelinquit, nec tamen electis ſuis, pietatem ſine iuſtitia exhibet, quia hic eos diris afflictionibus premit, nec rurſum reprobis iuſtitiã ſine miſericordia exercet, quia hic æquanimiter tolerat, quos quandoq; in perpetuum damnat: Ergo electi præuenientem ſe gratiam ſequũtur, & reprobi iuxta quod merentur accipiunt, & de miſericordia inueniunt electi, quod laudent, & de iuſtitia non habẽt reprobi quod accuſent. Lutherani quoque quaſdam ſolent opponere ſcripturas, quæ nullam videntur in libero arbitrio cognoſcere actiuitatem, ſic namq; habet Propheta: Quaſi lutũ figuli, inquiũt, in manu ipſius, ſic homo in manu Dei, ergo, &c. Reſpondendũ eſt quod ſimilis farinę loca, haud rarò in ſacris reperiantur eloquijs. Eſa. 29. Ezech. 11. 18. & 36. vbi Deus dicitur creare cor nouũ, creare autẽ ſoli Deo competit, ergo, &c. ſic ad Rom. 9. & ad Phil. 2. Ad harũ ſolutionem obiectionum, conſiderandum eſt ſcripturas tripharià loqui de motibus liberi arbitrij. Nam quædam illos motus Deo aſſcribunt, quales ſunt prælibatæ, & ſimiles: Aliæ ſunt quæ eoſdem libero arbitrio attribuunt, ſic dicitur apud Ezechielem: Conuertimini, & facite pœnitentiam, facite vobis cor nouum, & huius generis alia loca ab Auguſtino lib. de gratia, & libero arbitrio, ca. 2. & tribus ſequẽtibus allegata. Aliæ ſunt quæ manifeſtè eoſdẽ motus, & Deo, & libero arbitrio ſimul attribuũt, ſic habetur apud Hieremiam: Conuerte me Domine, & cõuertar, & apud Ezechiẽlem, faciam vt faciatis. Quibus patet motum voluntatis, quo homo ad Deum conuertitur, ſimul eſſe gratię, & liberi arbitrij, licet alteri tantum eorum interdum attribuatur. Da Domine Ieſu quod iubes, & iube quod vis. Amẽ.

[Margin: 2. Corin. 3. — Ezech. 33. — *Argumenta ſoluũtur Lutheranorum nil lib. arbit. tribuentium.* — Cap. 18. — *Scripturæ tripliciter loquuntur de lib. arbitrio.* — Cap. 31. — Cap. 36.]

Vtrum gratia, vel liberum arbitrium ſit agens principalius. CAP. XXXII.

PRælibatis manifeſtũ reliquimus, non gratiã ſolã peragere noſtrę ſalutis negotia, vt Lutherani voluerũt, cõtra Cõcil. Tridẽt. Nec rurſum liberũ arbitrium ſecluſa gratia curare vniuerſa, vt Pelagiani, ſed vtrumq; ad actũ cõcurrere debet, non

[Margin: *Lutheranorum error.* *Seſſ. 6. cap. 4. & 6.* *Pelagianorum error.*]

tamen pariformiter, quia possumus in actu considerare hoc, quod est materiale & substratum, (vt scholæ loqui consueuerunt) hoc est actum, inquantum est actus: & secundò, licet considerare, inquantum est formale, id est, actus meritorius. Si obtutus mentis dirigamus ad substratum, sic voluntas est agẽs principalior & gratia minus principalis. Nec obstat in operibus bonis, nos Dei existere instrumenta, talia siquidem sumus instrumenta, quibus agendi & operandi insunt principia. Operatio autem tribuitur instrumentis agendi principium habentibus, quod veritatem nequaquam habet de inanimatis instrumentis, nec enim sectio, serræ, nec diuisio panis, cultello, aut scriptura calamo potissimum attribui consueuit. Et licet prima causa magis influat, quàm secunda, & Deus principalius operetur, in conuersione peccatoris, quàm nos, effectus tamen magis attribuitur causæ proximæ. Sic Christo, qui fuit instrumentum Diuinitatis, secundum humanitatem, attribuitur redẽptio: & sacerdotibus, quia peccata absoluunt, iustificatio, haud secus est in proposito. Quod attinet autem ad formalem, sciendum est, tam liberum arbitrium, quam ipsam gratiam in opere meritorio concurrere debere, atque vtrũque partes suas agere, non tamen pariformiter. Non enim liberũ arbitrium agit præfatum opus, vt aqua calida calefacit, tota siquidem operandi ratio, est tantum calor, contra naturam aquæ immissus & impressus. Nec etiam cõcurrunt liberũ arbitriũ, & gratia ad opus meritorium, quemadmodũ duo homines ad nauis motum, vbi vterque suis viribus fortiter agens trahit, tametsi nauis motus non fieret, nisi vterque traheret, tamen nec vnus ab altero vim trahendi accipit, nec impetum agendi suscipit. Quocirca Deus eiusque gratia, magis concurrit cum homine, eiusq; libero arbitrio, quemadmodum sol cooperatur aëri ceram emollienti, per acceptum ab ipso sole calorem, tam suauiter namq; mouet liberũ arbitriũ, & dirigit, vt in eius potestate relinquat, etiam ea quæ fecit, posse non facere, & multa quæ non fecit, posse facere. Huic consentaneum est exemplum, quod liber tertius Hypognosticωn apud Augustinum in mediũ producit, de iumẽto quod dirigitur à cessore, sic liberum arbitrium à gratia. Et beatus Ioãnes Chrysostomus: Quid igitur, inquit, in Deo nihil est? Et respondet sibi: Omnia quidem in Deo, sed non ita, vt liberum in nobis arbitrium violetur. Sed, si omnia in Deo, quid nos accusat? Respondet. Cuius est amplius, totum dicere consueuimus. Et subnectit similitudinem, domum ædificatam, inquit, bene videmus, & dicimus totum esse artificis & architecti,

Gratia principalius operatur in conuersione peccatoris.

Gratia quomodo agat lib. arbitriũ.

Similitudine ostendit, quod docet.

Hom. 42. ad Antiochenos.

Similitudine probat.

tecti, licet non tantum ipsius sit, verum & operariorum, & domini, qui materiam suppeditauit: plus ergo Deo assignemus, nec totum tamen suum esse voluit, ne sine causa nos coronare videretur, neque rursum nostrum, in arrogantiam ne dilaberemur. Concurrunt igitur in opere meritorio gratia & liberum arbitrium: in bonis tamen promerendis, causæ principalitas gratiæ attribuatur oportet, quia principalis causa bonorum meritorum, est ipsa gratia, qua excitatur liberum arbitrium, & sanatur, atque adiuuatur, vt sit bona hominis voluntas: in qua nos perseuerare faciat, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Gratia qualia incrementa sumere queat?

CAPVT XXXIII.

GRatia mirabiles in homine producit effectus, quosdam siquidem eripit massæ perditionis, quos Deus iustissimè relinquere potuisset, Plutonicis regnis mancipandos, teste Augustino. Deinde adducit remissionem peccatorum, efficiendo filium iræ, hæredem Dei, & cohæredem Christi, secundum Concilium Tridentinum. Nec solum iustificat, sed & benè & meritoriè operari perficit, quemadmodum Concilium Africanum docet, canone 28. Placuit, inquit, vt quicunque dixerit gratiam Dei qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum nos adiuuare, ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, & valeamus: anathema sit. Eadem quasi verba continentur in consilio Mileuitano, atque idem comprobat Concilium Arausicanum. Cùm verò vir iustus, diuina adiuuante gratia, bonis sanctisq; operibus diligenter inuigilat, atq;, vt cum Propheta regio loquar, de virtute in virtutem it: fit, vt in eo, gratia ipsa maiora indies incremēta sumat: & ad plenam illam perfectionem quæ in cælo est, veluti per gradus quosdā tendat. Vnde beatus Augustinus, tractatu quinto in epistolam Ioannis, Sed nunquid mox vt nascitur (inquit) iam prorsus perfecta est? Vt perficiatur, nascitur: cum fuerit nata, nutritur: cum fuerit nutrita, roboratur: cum fuerit roborata, perficitur: cum ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Neque cuiquam mirum videri debet, si hominē iustum, gratiæ

De nat. & gratia, cap. 5. de bono perf. cap. 8. de correp. & gratia, 10. de predest. & gratia. 9. & Epistola 105. ad Sixtum.
Sess. 6. ca. 11.
Cap. 3. & 4. 2. cano. 10.

vel charitatis incrementum, bonis operibus mereri dicamus: cum ipsam etiam beatitudinem, ad quam per gratiæ & charitatis incrementa tendimus: bonis operibus sancti mereantur. Qua de re, Tridentina synodus canonem manifestum edidit; Sessione 6. canone 32. Si quis (inquit) dixerit, Hominis iustificati bona opera, ita esse dona Dei, vt noõnt etiã bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo, per Dei gratiam & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consequutionem, atque etiam gloriæ augmentum: anathema sit. Nequaquam tamen credendum est, singulis actibus gratiam augeri, quia fere actus nostri habent torporem cum imperfectione quadam coniunctum, vnde in singulis actibus non augetur, sed potius singulis actibus ad augmentum disponitur secundum Aquinatem, qui dicit, quod quolibet actu meritorio, mereatur homo gratiæ augmentum, sicut & gratiæ consummationem, id est, vitam æternam, sed sicut vita æterna non protinus, sed suo tempore redditur, ita gratia suo tempore augetur, cum videlicet quis sufficienter ad eius incrementa fuerit dispositus. Quomodo autem maiora charismatum dona, ac gratiarum munera augeamus, non est magna vis facienda, sed pro certo habentes, ipsas in nobis augeri posse, secundum Concilium Tridentinum, & Bonauenturam: laboremus, vt per opera bona, maiora in nobis gratia sumat incrementa: quo namque maior fuerit, eo maior ei proportionabitur gloria, quia gratia viæ, non est alia numero quàm gratia patriæ, secundum Thomam, quia gloria nihil aliud est quàm gratia consummata. Idem namque hic præstolamur firma spe, in hoc corporis ergastulo constituti, quod iam re sancti obtinuerunt, vt non incongruo potest demonstrari exemplo, quod habet Thomas, Semen arboris, inquit, multo minus est, quàm arbor ipsa, si quantitatem spectemus: Si virtutem minus non est, quandoquidem in virtute seminis tota arbor continetur: haud dissimili modo, gratia, quam habemus, quamuis actu, vel quantitate non sit æqualis gloriæ, est tamen æqualis virtute, quia sicut in semine tota est arbor virtute, ita in nobis per gratiam, vita æterna: tanquam per causam efficientem, quia est fons salientis in vitam ęternã. Quam misero mihi peccatori, & omnibus, post huius vitæ naufragiũ, impertiri dignetur pientissimus Deus, & Dominus noster Iesus Christus, qui cũ Patre & Spiritu sancto regnat, benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Gratia singulis actibus nõ augetur.

1. 2. quæstione 114. art. 8.

Sess. 6. cap. 24. super 1. dist. 17. & in 2. dist. 27. 1. 2. quæst. 111. art. 3.

Gloria est gratia consummata.

1. 2. quæst. 114. art. 8.

Similitudine congrua docet gratiæ virtutem.

Ioan. 4.

DISTIN-

DISTINCTIO TRIGESIMA,

usque ad distinct. 34.

Peccatum originale an sit credendum?

CAPVT I.

CVm superioribus distinctionibus dictũ sit, qualiter primus homo deliquerit, quamque pœnam subierit, impræsentiarum dicẽdum venit, quomodo primus homo peccatũ, ac pœnam in posteros transmiserit. Quod vt dilucidiori methodo faciamus, hunc de originali peccato tractatum, quem Magister quatuor distinctionibus absoluit, maioris ergò claritudinis, in certa quædã capita partiri decreui, primò inuestigãdo, an sit, licet enim cũ primis in quæstione intelligi incumbat, secũdum Philosophũ, An res sit, tũ quid sit: prius varijs modis potest nobis esse contestatissimũ, quoniã diuino edocti elogio, non ambigimus, peccatum originale omnes (quod omnes imbribus lachrymarum deplangimus inuadere ac commaculare, nedũ existere. Per vnũ, inquit Paulus Apostolus, hominẽ, peccatũ intrauit, & per peccatum mors. Et alibi, Eramus natura filij iræ. Ac in Psalmis: Ecce in iniquitatibus cõceptus sum, quia in peccatis cõcepit me mater mea. Nec aliquis mũdus reperitur à sorde, nec infans, cuius est vnius diei vita super terrã. Nec nõ Moyses: Sensus & cogitatio hominis, ad malum prona sunt ab adolescentia sua. i. ab ipsa natiuitate. Vniuersa præterea quæ de baptismo in scripturis doctrina traditur, euincit efficacissimè peccatũ originale esse: sed & ea testimonia plurimũ huc cõferunt, quibus explicatur iustitia Dei erga homines tãta, vt nisi qui peccator sit, pœna neminẽ afficiat. His accedit Conciliũ Cathaginẽ. & Mileuitanũ, quod definit paruulos recens natos, à peccato quod natiuitate contraxerunt, esse mundandos. Cui suffragatur Arausicanum, quod expresse determinat, sicut mortem, ita & peccatum transijsse, ex Adam in posteros. Et beatus Augustinus sic habet: hæc in Epistola beatissimi antistitis Zozimi leguntur, fidelis Deus in verbis suis, eiusque baptismus re ac verbis, id est, opere, confessione & remissione vera peccatorum, in sexu, ætate, conditione generis humani eandem pleni-

Rom. 5. Ephes. 2. Psal. 50. Genes. 8. *Canone* 2. 2. *ca*.1.& 2. *Epistola* 157. *ad Optatum.*

plenitudinem tenet. Nullus enim nisi qui peccati seruus est liber efficitur, nec redemtus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit ante captiuus, sicut scriptum est: Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis. Postremò, Tridentina Synodus hac nostra tempestate celebrata, definit peccatum originale cuique nascentium esse proprium, & intrinsecum, contra Ambrosium Catharinum, Pighium, Hieronymum Sauenorolam, & similis farinę homines. Da Domine Iesu nunquam nos à Romana fide desciscere. Amen.

Error Catharini & Pighij, &c.

Quid peccatum originale?

CAPVT II.

OLim variæ super hoc doctrinæ capite fuerunt sententiæ. Vna est quod illa vetiti fructus comestio, quæ fuit ipsius Adę actuale peccatum, intelligenda est, & dicenda peccatum nostrum originale. Siue omnes dici peccatores, ab ipsa actuali transgressione primorum parentum, quam aiunt in nobis aliquo modo habere rationem culpæ, quia omnes aliquo modo in primo parente Adam eramus, vnde, inquiunt, comedente illo de fructu vetito inuenti sumus, & nos de illo comedisse, & teste Apostolo, omnes in eo peccauerunt. Verum huic sententiæ qua parte, ait ipsam actualem Adæ transgressionem esse in nobis peccatum originale, videtur obuiare, quod hac ratione non diceremur peccatores, ab inexistente aliqua prauitate, nec verè dici posset aliquid in nos transmitti propagatione, quod haberet rationem peccati, nam actus ille transgressionis, qui statim transijt, & etiam desijt, transmitti non potuit. Patres autem Concilio Mileuitano, & posteriori Arausicano, docent peccatum in ratione culpę traijci in posteros, & anathematizant eos, qui pœnam tantum non culpam traducere student, Si quis, inquit, soli Adæ præuaricationem suam, & non eius propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum quod mors est animæ, per vnum hominem in omne genus humanum transijsse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo, dicenti: Per vnum hominem, peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Huic assentitur Concilium Tridentinum, vbi dicitur peccatum propagatione diffusum, in nobis residere, quod de illa actuali transgressione dici nequit, neque enim illa in nobis residet, quæ iam transijt, neque transmitti in posteros potuit. Quare aliud est peccatum originale,

Prima opinio peccati originalis.

Cap. 2.
Cap. 2.

Sess. 5. cap. 2. & 3.

Altera opinio de peccato originali.

originale, aliud actualis Adæ transgressio. Vnde alij definiunt originale peccatū esse carentiā iustitiæ originalis debitæ inesse. Cuius opinionis est sanctus Ancelmus, quem posteriores fere sequuntur. Verū nec ista sententia subsistere posse videtur, nam carentia illa à Deo est subtrahente iustitiam, non ergo habet nisi rationem pœnæ, cum Deus peccati author esse nequeat. Est tertia sentētia, docens, Concupiscentiam esse originale peccatum, quā tradit beatus Augustinus plusculis locis: Concupiscentia, inquit, tanquā lex peccati manens in membris corporis mortis huius, cū paruulis nascitur, in paruulis baptizatis à reatu soluitur, ad agonem relinquitur, ante agonē mortuos nulla dānatione persequitur Paruulos nō baptizatos reos innectit, & tanquam iræ filios etiamsi paruuli moriantur, ad condemnationem trahit. Ne autem hic paralogizemur, dicendum imprimis, quid nomine Concupiscentiæ hic intelligat: Est autem Concupiscentia generali significatione desiderium rei delectabilis, & tam in bonam quàm malam sumitur partem, delectamur enim & bonis & malis, honestis & inhonestis, pro suo cuiusque ingenio & affectu. De honesta concupiscentia scriptum est: Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas. Et Apostolus, vt carni, ita & spiritui concupiscentiam tribuit, dicens: Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Sed huius bone concupiscentiæ nulla fit hic mentio, sed eius duntaxat, quæ libidinem sequitur, hoc est, amorem priuatum, & vitiosè ad se conuersum, secundum quam significationem nihil aliud est quàm immoderatus rei delectabilis appetitus, quem parit priuatus amor, qui sic creaturæ inhæret, vt creatoris obliuionem inducat, aut certè, vt affectum à creatore remoretur. Porrò appetitus hoc loci sumitur, non in significatione actus, seu motus transitorij, quo certum est carere infantes, sed pro habitu aut affectione perseueranter manente, seu naturæ proprietate, ac languore, quemadmodum ipsemet Augustinus demonstrat, ad Iulianum scribens: Ego, inquit, tanquam valetudinem malam ex origine vitiata ingenitam esse homini dico vitium, quo caro concupiscit aduersus spiritum. Complectitur autem generaliter hæc concupiscentia omnem corruptionem hominis, maximè verò mentis, & virium quæ sunt rationis participes: Hanc ergo docet ille dici & esse peccatum originale. Quam Augustini sententiam quidam reijciunt, dicentes, concupiscentiam qualis esse potest in paruulis, veram peccati rationem habere non posse, tum quod omne peccatum in baptismo remittatur, ac delea-

Lib. de par. virgi. ca. 27.

Tertia de peccato originali sententia.

Lib. 1. ca. 29. de pec. meros & re. & lib. 2. cap. 4.

Concupiscentia quid.

Psal. 118.

Concupiscentia bona & mala.

Gal. 5.

Lib. 6. cap. 7.

Augustini de concupiscentia sententia.

deleatur, concupiscentia autem maneat etiam in renatis, tum quod fieri prorsus non possit, vt vna eademque manente, æquitatis & iustitiæ regula, seu lege diuina, vnum idemque nunc propriè, primò, vereque peccatum sit, nunc non sit. Verum isti non satis videntur assequuti mentem Augustini, non enim vult quamlibet concupiscẽtiam, sed quæ hominem à suo creatore separabat, quod ex præfato capite colligere promtum est;

39. Cap. dum ait, in baptizatis quidem rèmanere cõcupiscẽtiam, sed destructa interclusione, quæ hominem à suo creatore separabat.

Lib. 2. ca. 28. de pec. mer. & remis. & Enchir. 64. Et manifestius hoc declarat alibi: Quibus locis peccati originis remissionem, quæ fit in baptismo, refert ad innouationem mentis, & concupiscentiam quidem in regenerato relinqui docet, ad agonem & exercitium, plenam interim perfectamque factam esse peccatorum remissionem, propter mentis innouationem, indicans non alia ratione concupiscentiam esse peccatum, quàm quia qua mentis vetustati coniuncta est, in qua consistit propria & formalis peccati ratio, Ergo ex sententia beati Augustini, Peccatum originis non est motus vel actus transiens, sed perpetuus quidam naturæ languor, vel distorti cordis prauitas. Causam verò corruptionis huius, quæ adnascitur

Lib. 3. cap. 9. de pecc. mer. & remiss. & lib. 5. cõt. Iulianum, ca. 3. paruulo, explicans Augustinus, ait hanc corruptionem deriuari in filios, propagatione corrupti seminis, Parentes, inquit, fideles, infidelitatem in posteros traijciunt, quod non est iam illorum, per spiritum regeneratorum, sed quo in carne generati sunt, mortalis seminis vitium. Vt ergo & anima & caro, pariter vtrumque puniatur, profecto, aut vtrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquam in vitiato vase corrumpitur. Alibi causam huius assignat ipsam parentum concupiscentiam, quæ propagationi semper coniuncta

Peccatum originis, quomodo contrahitur?

Li. 1. de nup. & concup. cap. 18. est, vti edocet alibi: Propter hanc, inquit, concupiscentiam fit, vt etiam de iustis & legitimis nuptijs filiorum Dei, non filij Dei, sed filij sæculi generentur, quia & hi generant, si iam regenerati sunt, non ex hoc generant, quod filij Dei sunt, sed ex

Cap. 23. hoc quod adhuc filij sæculi. Et rursum, hæc, inquit, concupiscentia peccati vinculum generatione traijcit, Verum cum semen non sit propriè peccati susceptiuum, & proximorum peccata filijs inde natis non imputentur, fieri iam possit, & quandoque contingit, vt ipsa sexuum commixtio nullum habeat peccatum, sicut in illis contingit, qui non libidinis causa, sed desiderio prolis ad pietatem instituendæ congrediuntur. Simplicius erit proinde, ac sacræ scripturæ magis consentaneum, si totius corruptionis causam referamus ad primam originem,

In qua

in qua peccamus omnes, & ratione criminis in Adã commissi à nobis, nascimur impij. Vt enim in homicidio duo quædam reperiuntur, nimirum actus ipse statim transiens, & impietas, quæ mentem post factum ream tenet. Ita & in peccato originali, est opus peccati in transitoria præuaricatione primi parentis constitutum. Est & impietas quæ primum parentem morti tenebat obnoxium, posita in separatione mentis à Deo, etiam postquam peccati opus transierat. Inter hæc verò, quod priori loco positum est, videlicet opus peccati propriè, vt præfati sumus, non traducitur in posteros. Impietas verò quam diximus, quia in primo parente ad naturæ dispositionem pertinebat, licet ab actione originem sumsisset, vna cum natura ad posteros traducitur, eosq; omnes damnationi reddit obnoxios, ac constituit iræ filios. Quia enim omnes, teste Apostolo, in Adam peccauimus, meritò sustinemus impietatem sceleris, in ipso primo parente nostro à nobis perpetrati, vti edocet Augustinus, dicens peccatum originale primi hominis voluntate seminatum esse, vt in ipso esset, & in totam posteritatem transiret. His adstipulatur Concilium Tridentinum, Si quis, inquit, soli Adæ præuaricationem suam, non alijs etiam, & eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem & iustitiam, quam perdidit, non nobis, sed sibi soli perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantum, in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, cui pro pœna debebatur vtraque mors, corporis videlicet & animæ, anathema sit, cum contradicat Apostolo dicenti: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.

Duo in homicidio consideranda.

Duo in peccato originali.

Ad proles quid traducatur?

Lib. 2. de nup. & conc. cap. 28.

Sess. 5. cap. 2.

Rom. 5.

Peccatum istud quare dicatur originale?

CAPVT III.

HIc ventilanda occurrit quæstio, quàm ob causam hoc peccatum, originale appelletur, an quod insit cuique à sua origine seu natiuitate, an quia insit ab origine omnium communi, id est, à primo parente, à quo vna cum natura traducatur, an verò ob id duntaxat (sicut quidam hodie inculcare nituntur) quia nos peccauimus in primo parente, sitque originale peccatum ipsum Adæ actuale. De voce est omnis disputatio, de cuius ethymologia, quid nobis probabile

videatur,

Lib. 1. de sacra. part. 7. cap. 28. Tract. 3. cap. 12. Dist. 30.

videatur, elucidabimus. Hugo de sancto Victore, Si, inquit, quęritur, quid sit originale peccatum, est corruptio seu vitium, quod à parentibus trahitur. Et in summa Sententiarum: Videndum est, ait, quare originale vocetur, quia scilicet ab origine trahitur. Censet originale dici peccatum, quod cuique insitá prima eius origine, id est, natiuitate: Hunc sequitur Magister §. H. Quomodo & Gregorius (à Magistro. §. E. citatus) originalis peccati nomenclaturam intellexisse videtur, cum ait: Omnes in peccatis nati sumus, & culpam originalem nascendo contraximus. Sic isti & rectè veteres sequuti, velut D. Ambrosium, quem prolixissimè citat diuus Augustinus. Quin & ipse Augustinus nonnullos veteres allegat, Reticium quendam & Olympium, qui hanc etymologiam comprobant. huc pertinet etiam quod Cęlestius & Pelagius cum negare vellent originale peccatum, dixerunt peccatū nō nasci cum homine, & ante voluntatis vsum, id solum in homine esse, quod Deus condidit. Quæ verba August. ipsissimam de peccato originali hæresim continere, deputat, quemadmodum legere est lib. de peccato originali. Insuper ipse Augustinus, notāda sententia significat, à qua origine peccatum originale appelletur. Nemo, inquit, de hac re fallatur, sicut ab origine, id est, natiuitate mortem trahimus, ita & peccatum ab origine natiuitatis trahi credendum est. Hæc igitur priscorum patrum & neotericorum est doctrina, peccatum dici originale, quod à sui cuique insit origine. Atque hæc ipsa nominis etymologia, scripturis sacris apprimè quadrat. Ecce, inquit Psalmographus, in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, quod non Dauidi proprium, sed omnibus nobis est commune. Et Paulus, Eramus natura, id est, à natiuitate filij iræ, sicut illum passum tractat beatus Augustinus. Et Iob iuxta 70. interpretes: Quis enim mundus est à sorde, nec infans, cuius vnius diei vita super terram. Et sanctus Moyses, Sensus & cogitatiō hominis ad malum prona sunt ab adolescentia sua: ab adolescentia cum dixit, etiam ab ipsa natiuitate intellexit, plus nimirum intelligens quam verbis exprimens. Et alibi: Chananæorum malitiam dixit naturalem, atque ipsos seruari maledicto ab initio. & nationem nequam appellat, quod de omnibus intelligendum est priusquam sint per Christum redemti, teste Augustino. Hisce effectum est peccatum originale, vt ab ortu cuiusque dicatur, & sacris eloquijs & veterum sententijs consentaneum esse.

Lib. de peccato ori. cap. 40. Lib. 1. cont. Iul. cap. 4. Ca. 6. & 13. De peccato me. & remiss. cap. 12. & 22. Peccatum vnde dicatur originale. Psal. 50. Ephes. 2. De nat. & gratia ca. 67. Iob. 14. Genes. 8. Sapien. 12. Lib. 2. de nupt. & con. cap. 8.

Obiectio-

Obiectiones contra prædicta militantes.

CAPVT IIII.

ORiginale peccatum etiam fuit in Adam, nam & ipſe vitio & morbo concupiſcentiæ laborauit, poſteaquam de ligno vetito ſumſit, quod teſtata eſt eius erubeſcentia, vt affirmat Auguſtinus (apud Magiſtrum §. L.) Seminatum eſt, ait, originale peccatum, vt in illo eſſet, & in omnes tranſiret. Ea quoque multorum eſt ſententia ſcholaſticorum, velut Bonauenturę ſcribentis in hanc diſtinctionem 30. & Thomę. In quorum ſententiam quaſi pedibus iuit Caietanus, ſuper præfatam quæſtionem: qui planè ſenſerunt morbum concupiſcentiæ in Adam, poſt eſum ligni vetiti, ſicut in nobis verè fuiſſe peccatū. atqui ab origine illi hoc peccatum non inhæſit, non ergo inde poteſt originale appellari. Reſpōdeo, in peccato Adæ originali fateor non habere locum hanc nominis Etymologiam, dicitur tamen & illud originale peccatum, quia res ſimilis, nempe concupiſcentiæ vitium & naturæ peruerſitas, quæ in nobis eſt peccatum originale, in illo etiā fuit, tametſi non ab origine. Quod ſi in illo continuiſſet, nec in poſteros fluxiſſet, originale vitium non appellaretur. Rurſum quærat quiſpiam: An non poſſet originale peccatū vocari, quia ſit à prima origine peccatorū exortum, nempe ex primo Adæ peccato actuali. Non aberrabit à ſemita veritatis, ſi ſic nomē interpretetur quiſpiam, modò tamen res ſemper firmiſſima conſtet, vitiū cūctis innaſci, & peccatores eſſe omnes ab origine propria. Nec illi, me habituri ſunt auerſum, qui ſic interpretabuntur, vt originale dicatur, ab origine propria. i. à primo parente generis noſtri principe. Quibus ſcripturæ ipſæ non refragantur: Per vnum hominem, peccatum intrauit in mundum. In Adam omnes moriuntur: Et in Adā omnes peccauerunt. Hāc nominis rationem, Tridentina Synodus, ad hæc loca obtutus dirigens poſuiſſe apparet. Quo loco dicit, duorum hominum peccata originalia eſſe, vnum origine ſcilicet, quia exorta ſunt ab vno, qui omnium exiſtit origo. Obuia tamen, & receptiſſima eſt illa, vt peccatum dicatur originale, quod à propria cuique origine, ſiue natiuitate inſit, cui rationi, ſi priores adiungas, vnam pleniſſimam reddideris Ethymologicam, nominis huius rationem. Verum in ea illud potiſſimum eſt ſpectādum à nobis, quod vitium ipſa natiuitate contrahamus, & in iniquitate concipiamur. Ne autē corruptionem naturæ noſtrę quam patimur, vel Deo, vel cuipiam rei, quę eius

Quæſt. 2. Art. 4. 22. quæſt. 83.

Reſponſio.

Rom. 5.
1. Corin. 15.
Seſſ. 5. cap. 3.

causa non sit, asscribamus, & causam huius mali cognitam esse, necesse est. Hugo de sancto Victore bipharium accipit hoc nomen, originale. Vno modo actiuè, vt id significet peccatum, quod est causa, & origo cæterorum, hocque modo peccatum actuale Adæ, primum peccatum est originale. Altero modo passiuè, vt significet, id quod originem ex alio ducit, ac in ea significatione vocabulum vsurpamus, cùm de peccato originali disserimus. Vnde hunc authorem sequutus Albertus, duplex peccatum constituit originale, nam vnum est, inquit, originale, originans, alterum originatum. Eandem distributionem verbis suis crassius explicans. Neque enim admodum refert, teste Augustino, quibus modis voces accipiantur, modò res ipsas teneamus. Atq; hęc de vocis ratione, & vsurpatione dicta suffecerint.

Lib. 1. de Sacramentis, cap. 26. part. 7.

Originale bipharium accipitur.

Peccatū originās, & originatū quod?

Epistola 28. ad D. Hiero. & Epistola 174. ad Pascentium.

De varijs peccati originalis nomenclaturis.

CAPVT V.

Dist. 30. li. 2.

DIssertis profectò verbis, verissimam explicat Magister §. G. de originali peccati ratione sententiam, ac primum dicit esse fomitem, quam vocem apud Augustinum me legisse non recolo. Propriè autem ea voce significatur id, quo fouetur ignis, velut ligna: Inde autem traducta est, ad significandum omne id, quod incitat & impellit, sic peccati fomes est incitamentum ad peccatum, siue id quod in homine constitutum, eum ad peccatum inuitat, & impellit. Quod autem incitat ad peccatum, concupiscentia est, de hac enim Apostolus Iacobus scribit, ipso etiam nomine expresso: Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Eandem appellat beatus Paulus, membrorum legem, quod eius tanquam imperio membra subijciantur, atque moueantur, vt oculi ad impudicos aspectus, manus ad furta, & alia facinora, pedes ad currendum in effusionem sanguinis, lingua ad maledicendum. Attamen Apostolus cum legem membrorum expressit, potissimum ad genitalia membra respexit, non quod ista lex in ijs tantum sit, sed quod in illis manifestissimè appareat, velut per quæ peccatum hoc propagetur, & in omnes transfundatur. Interdum etiam dicitur languor, quemadmodum enim qui ex ægritudine languet, ineptus est officijs perficiendis, vt ea præstare nequeat, si conetur, aut malè & imperfectè ea exequatur: ita nos, quia peccati languore tenemur, ad omne opus bonum sumus reprobi, vel omnino non præstamus, quod debemus,

Iacobi 1.

Rom. 6.

Gal. 4.

bemus, vel si demus operam, atque vnius Dei cognitione iustitiam sectemur, perperam id agimus. Atque hic languor non tam simili, quàm communi peccatis omnibus nomine, ab Apostolo infirmitas nuncupatur. Tyrannus est eadem concupiscentia, cuius iniustam vim, Paulus Apostolus significat cùm ait, ipsam captiuare se, id est, capere conari in legem peccati. Et cùm ait se, ab eadem seductum, & occisum fuisse, aliaque in Epistola ad Rom. similia de concupiscentia, seu tyrannica quapiam persona loquitur, quæ partim fraude, partim vi, & iniusto imperio, sibi hominem subijciat, ab eaque impellatur, & rapiatur, ad ea, quæ illicita esse non ignoret, quod illius vòce expressum est, qui dixit: Video meliora, proboque, sed deteriora sequor. Lex carnis, nempe morbidi, & vitiosi illius affectus, quem nomine, carnis, signat scriptura, Paulus peccati legem, & mortis appellat. Tabes bonos humores exhaurit, vitiosos, & malos relinquit in corpore, vnde fit, vt sensim grauetur, & in semetipso contabescat, quod malum est, & in animo locum habet, dum virtutum, & gratiæ humore destitutus velut arescit. Hac igitur tabe cùm primus homo se affecisset, eā in posteros transmisit: Neque enim iam tabidus & vitiatus, alios potuit, quàm vitiatos & tabidos de se gignere, & procreare. Rom. 5.

Vnicum, an sit peccatum originale?

Rom. 5.

CAPVT VI.

Iustitia originalis, & peccatum originale differūt habitudine magna.

CVilibet paruulorum nascentium, vnicum est peccatum originale, quod Magister insinuat, cùm dicit §. E. pro vno peccato, paruulos esse damnandos. Confirmatur, quando Apostolus ex vno delicto iudicium esse pronunciat in condemnationem, gratiam verò regenerationis ex multis delictis in iustificationem vitæ, quod à contrario probatur: Siquidem iustitia originalis in primis hominibus vna fuit, ergo & peccatum quod illi oppositum est, vnum videtur esse debere. Argumentum est satis probabile, fuit iustitia originalis præcipuè in amore Dei, vsque ad sui contemtum posita, teste Augustino, & Ambrosio. Peccatū verò originale potissimum in amore sui vsque ad contemtum Dei, constitutum fuit: quoniā autem ad hoc amat se quisque, maximè vt excellat, rectè dicitur peccatum originale præcipuè esse superbia, quæ est amor propriç excellentiæ immoderatus. Quod Thomæ Theologiæ consonat, qui dicit amorem sui, seu superbiam initium esse omnis peccati,

Lib. 14. Ciuit. cap. 28. Epistola 80. ad Esichium. Libr. 1. de Caim. & Abel, cap. 4. Superbia quid? 1. 2. quæst. 77. & 84. art. 2. & 4.

duoque ista æquiualere: Omne peccatum ex amore sui nasci, & ex superbia. Quum igitur originale peccatum, omnium peccatorum fons & initium sit, in superbia & amore sui tanquam omnium vitiorum fonte consistere credendum est. Neque verò sententiæ huic aduersatur, quod in Psalmo scriptum est: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, quia in peccatis concepit me mater mea: nam pluralis numerus, pro singulari positus est. Similem ad modum est accipiendum, quod baptismus esse dicitur in remissionem peccatorum, baptismi namque gratia fons ipse & origo vitiorum omnium originale peccatum dimittitur, & vires ad declinanda peccata conferuntur, quemadmodum persuasissimum cuique facere possunt Concil. Carthaginense, & Mileuitanum, præmissum Dauidis locum ita elucidando. Pari modo soluenda sunt Ambrosij verba, quæ expressit in Apologia Dauidis, & ab Augustino citantur. Concipimur, inquit, in peccatis, & in delictis nascimur, nec vnum tantum habet natura contagium, &c. Nempe non ob aliud id ita dictum est, quàm quia vnum naturæ contagium nostræ, multis æquiualet, & virtute multa est, fonsque variorum existit scelerum. Deinde potest originale quod vnicum est, dici multa virtute, quia plures animæ facultates turbat, ac inficit, neque enim solum intellectum obscurat ignorantia rerum agendarum, sed & voluntatem superbia peruertit, nec solum voluntatem, sed & irascibilem & concupiscibilem vitiat appetitum, naturamq; totã in deterius commutat: Vnicum nihilominus rectè appellatur peccatum, quia peccati & culpæ ratio in sola posita est voluntate. Atqui dixeris: Istud facilè intelligi posse in originali peccato paruulorum, at originale Adæ peccatum, quonam modo potest admitti vnum esse, in quo plura etiam actualia (sicut Magister ex Augustino docet) fuisse videantur? Haud est ambigendum, quin plura peccata actualia in vno illo primi hominis peccato admissa sint: vnum tamen & illud peccatum vocatur, ab vno fine, peccandique proposito. Huc enim omnia referebat: Vt esset sicut Deus, vt enim id assequeretur, serpenti credidit, Deum contemsit, rebellis extitit, & animo rebellandi superbè nimis mandatum ab illo datum transgressus est. Ab hoc igitur vno fine peccatum nuncupatur vnum, nempe superbia, sicuti qui furatur, vt fornicetur, tametsi peccata re vera plura perpetrauit, eius tamen peccatum dicitur vnum, scilicet fornicatio, quia furtum ad fornicationem, tanquam finem retulit.

Enallage numeri.

Baptisma quomodo dimittat peccata, hoc est, peccatum.

Cap. 2.

Cap. 11.

Libr. 1. contra Iul. cap. 3.

Adam multa peccata vno commisit.

Peccata

Peccata originalia, an in omnibus æqualia?

CAPVT VII.

SCholasticorum est sententia doctorum, paruulos absq; baptismi lauacro ex hoc ergastulo commigrantes parem manere pœnã, quo concludi posse videtur, æqualia etiam esse peccata, quia nihil peccârunt infantes, nisi quod secundum Adã carnaliter nascendo, contagium mortis antiquæ contraxerint: atqui in Adã omnes æqualiter fuerunt, & ad illum omnes æquè pertinent, ergo peccatum originale æquale est omnibus: quam etiam rationem ipse Ancelmus, præ oculis habuit. Verum contra hãc sententiam multa obijciuntur in specie repugnãtia, quæ tamen in veritate rei non aduersantur. Quantò (inquiunt quidam) quippiam nobilius est & natura præstantius, tantò corruptio eius grauior & peior existit, atqui vir muliere sua natura præstantior, dignior, & nobilior est, ergo nascentis masculi grauior sit, oportet corruptio, quàm fœminæ, ideoque & peccatum maius. Præterea præmisimus è primis parentibus virum grauius peccasse, quàm mulierem, ac deinceps virorum superbiam esse grauiorem, quàm sit mulierum. Cernimus quoq; nõnullos ad vitia grauiora procliuiores esse, quàm alij sint, velut superbiam, inuidiam, &c. Non sunt igitur omnibus peccata originalia, æqualia. Cùm horum argumentorum balistæ ex vna pharetra, eademque prosilire credantur, vna repercussa, reliquæ nihil momenti habere videbuntur. Radicalem peruersitatem, & ad mala pronitatem, seu concupiscentiam radicitus inherentem, in omnibus esse æqualem, nulli est ambiguum, sed in vno quam in alio procliuitas ad malum maior esse dicitur, quia pluribus adiumentis, seu adminiculis, armis & instrumentis abundat ad exequutionem, & exercitium pronitatis radicalis, in vno, quàm in alio, atque in diuersis diuersa, & in nonnullis ad grauiora vitia, quàm in alijs. Vnde prouenit, vt in adulta ætate, vnus magis peccet, circa materiem vnius vitij, quàm alius: quod ipsum varijs potest similitudinibus demonstrari. Constitue verbi gratia, duos pari odio proximi sanguinem sitientes, sed quorum vni præsidia amicorum, locorum, & armorum sint ad odium proximi nece explendum: alter his omnibus sit destitutus. Num illum grauius peccare censebimus, quàm hunc, cum pari odio vterque laboret? minimè id quidem dici potest. Atqui tamen prior ille armatus ad iniquitatem conceptam, opere explendam facilior & procliuior futurus est, ad

Libr. de concept. virg. cap. 23.

Quidam ad peccata proniores, vnde quàm alij?

Similitudinibus cõprobat, quæ docet.

est,ad proximi necem, quàm posterior: Ad similem modum virorum, & mulierum radicalis quidem illa,& prima naturę peruersitas æqualis est, sed cum adultam ætatem vterque sexus attigit, grauior se profert in viris superbia, quàm in mulieribus, non quia minor insit mulieri peruersitas radicalis, quàm viro, sed quia ingenium viri natura præstantius, plura ad iniquitatem perpetrandam arma subministret, quorum occasione magis se superbiæ vitium exerat. Sic qui sanguinei sunt, ad Venerem procliuiores cæteris esse dicuntur, non quia par non insit cæteris, radicalis illa corruptio, sed quia illis corpus aptius est ad vitium libidinis exercendum. Sic clementes nonnulli esse sibi videntur, quia exercendæ seueritatis & crudelitatis nulla datur occasio, quod desint arma potentiæ & opulentiæ, sed crudelitatis vitium, non minus, quàm in ijs fuerit, qui crudelitatem exercuerunt, ac in animo latuisse tum elucet, cùm diuitiæ & potestas obtigerint. Rursus tres cyphi constituantur, pleni trium diuersorum generum vinis, quorum vnum patrium, aliud Hispanicum, tertium Cyprum potentissimum. In hos cyphos eandem veneni quantitatem si infuderis, rectè dixeris: vina æquè esse infecta, toxicoque permista, & tamen non æquale inferent nocumentũ, sed eo magis vnumquodque, quo præstantius fuerit & generosius, propterea quod virus suam vehementius vim exerat, cùm vim maiorem vini perceperit: Similiter peccato nascuntur omnes æquè venenati, sed venenum peccati, non eandem in omnibus dispositionem inuenit, neque incidit in homines eodem per omnia modo constitutos.

Augustinus, quomodo rei difficultate legatur victus?

CAPVT VIII.

HAud æquo ferendum est animo (quod aiunt nonnulli) diuum Augustinum pertractãtem materiam peccati originalis, victum pœnè subticuisse, tum ob rerum difficultatem, & magnitudinem, tum importunitàtem, & eius tempestatis hæreticorum improbitatem. Quis enim æquo patiatur animo, tam illustrẽ toti orbi Christiano doctorẽ, in ipso Christianę religionis fundamento, victum dici propemodum fuisse? hoc qui affirmant, aut se illius opera non legisse, aut si legerint, non intellexisse testantur: cum omnibus locis, quibus hac de re habetur ab eo disputatio, inuictissimis, & testimonijs, & rationibus

nibus peccatum originale tueatur, & aduersariorum argumēta dissoluat. At ne id temere de tanto viro dicere incusentur, in medium eius testimonium adducunt ex libro 3. de peccatorum meritis & remissione: Ego, inquit, etsi eorum argumenta refellere non valeam, &c. En confitetur ingenuè hæreticorum cauilla refellere non valere se: Quæ sanè verba, non sic accipienda sunt, quasi se victum esse significauerit, vtpote qui se in ea fide præbuerit semper constantissimum. Et cùm in hanc fidem, qua peccatum originale esse creditur, Catholici omnes doctores conuenisse dicuntur, à nonnullis solus Augustinus, huic numero eximetur? solus de re tanta dubitasse censebitur? At fidem, inquis, integram non dubium est Augustinum nunquam non conseruasse, sed rationes hæreticorum à se dissolui posse recusat. Hoc igitur, num ita se habeat, intenta mentis consideratione intueamur. Quæro ergo, quibus potissimum rationibus, Pelagius peccatum originale subuertere nitebatur? nempe his: Si peccatum Adæ non peccantibus nocuit, ergo Christi iustitia non credentibus prodest: Deinde si anima nata non est, sed creata, sola ergo caro pœnam peccati meretur. Iam vide, num his rationibus Augustinus succubuerit: Certè capite quarto eiusdem libri de peccatorum merit. & remissione, eruditissimè illas dissoluit, atque refellit: Et capite 21. de peccato originali. Omnia, inquit, in libro de baptismo paruulorum refutata, ac dissoluta sunt. Quid igitur sibi vult, quod ait: Etsi ea dissoluere non valeam? Nihil aliud est, quàm si paulò aliter dixisset: Etsi ea dissoluere non valerem: tanquam diceret. Esto quod ea non valerem dissoluere, non propterea tamen à fundatissima fide recedendum est, sed scripturis certissimis, & euidentissimis inhærendum. Ad quem modum de omnibus omnino fidei mysterijs Catholicus disputator, sermonem miscere debet: Hæc eò commemorantur, ne leues illos, & temerarios Augustini censores leuiter etiam audiamus. Aduerte prætera, quod & ab Augustino, memorabili sentētia traditum est: Inter omnia, inquit, quæ in hac vita possidentur, corpus homini grauissimum vinculum est, propter antiquum peccatum, quo nihil est ad credendum certiùs, ad prædicandū notius, nihil ad intelligēdum secretius. Quæ verba non sic accipiēda sunt, quasi ipsum Trinitatis arcanum, minus secretum, atque intellectu facilius posse arbitretur, multò enim hoc secretius est, & intellectu difficilius: Sed Augustino familiare est sic loqui, cum rei difficultatem, & sublimitatem exaggerare intendit. Quo sermone hac quidem in re, non aliud significat, quàm istam de originali

Pelagius quibus peccatum originale subuertere nitebatur?

Lib. 1. de moribus eccles. cap. 22.

peccato doctrinam in promtu esse, vt prædicetur, cùm sit in ecclesia peruulgatissima, sed ad intelligendum admodum esse secretam & abditam. Et nota quod ait, Ad intelligendum, non ad credendum, sicut namque ad prædicandum est notissima, ita & ad credendum. Hæc cur annotem causa est, quod nonnulli rei huius prætexentes obscuritatem, quicquid libeat de ea sentire, id sibi liberum esse arbitrentur, modò hoc nomen originalis peccati admittant, & omnes nasci iræ filios, à qua nemo, nisi per Christum liberetur, confiteantur: qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Exponitur sententia, In Adam omnes peccauerunt.

CAPVT IX.

Lib. 4. contra 2. epistolas Pelag. cap. 4.

HAc sentētia Paulina significatur, Adamum primum parentem, veluti materiam, & massam fuisse, teste Augustino, ex qua omnes desumi deberent, itaque cum eam massam, id est, seipsum peccando vitiauit, necesse fuit, vt quisquis in posterum ex illa sumeretur, vitiatus & infectus existeret, quemadmodum vini vase corrupto, quicquid inde promitur corruptum sit, oportet. Et auri massa alijs vilioribus metallis permixta, & corrupta, quæcunque ex ea conficiantur, impura & vitiata esse, necesse est. Toxico, si arboris radicem infeceris, inde flores prodeuntes vitium reportabunt, atque odore suo referent: Contra verò si gariofilum, nucemque myristicam radici admoueris, inde flores fragrantiam aromaticam redolebunt. Et signanter attende, quod Augustinus prælibato capite, tametsi verum esse fateatur, omnes in illo peccato peccauisse, tamen eum sensum ab Apostoli verbis reijcit, eo quòd peccatum Græcè sit fœminini generis ἁμαρθη, cui non congruit relatiuum (in quo) quod est masculini generis: vt autem ad mortem referatur, sensus non patitur. Neque enim in morte peccauimus, cum peccatum mortis, non mors peccati causa sit, quomodo dicitur aculeus mortis peccatum, quia mortem attulerit, sicut poculum mortis, quod mortem inferat: Necesse est igitur, vt relatiuum (quo) hominem referat, vt in vno homine peccasse omnes dicamur. Illud præterea notādum est, verba hæc, quæ Hilario tribuit Augustinus, inueniri in commentario B. Ambrosio asscripto, quem tamen, nec Ambrosij, nec Hilarij esse concesserim. Aliquis fortè ex Hilario transtulit in eum commentarium, aut Hilarius ipse ex eo id desumsit commentario, est enim vetustissimi authoris, quisquis ille fuerit. Deinde discer-

Posteri Adæ quomodo corrumpantur, similitudinibus probatur.

In cap. 5. ad Rom.

discerniculo rationis attendendum est, quod Magister interpretationem horum verborum, In quo omnes peccauerunt, bis hanc, dederit, In quo omnes peccatores sunt constituti: quam interpretationem tanquam extortam, minimeque congruam, quispiam fortasse miratur: cum peccare actum significet, peccatores verò peccandi habitum, vnde peccator esse quispiam dicitur, etiam cum dormit. At si quis consideret verba præteriti temporis apud Hebræos (quorum more Paulus loquutus est) valere idem, quod verba præsentis temporis, videbit hanc veram & Apostolicam interpretationem esse, velut cum dicitur in cantico Mariæ virginis: Exultauit anima mea in Deo salutari meo: Quo verbo tametsi præteriti sit temporis, non tamen hoc tantum significatur, quod semel factum sit, sed gaudium permanens, & consuetudinem iam in habitum versam designat, tanquam diceret: Magnificat anima mea Dominum, & mirabiliter præ gaudio, quo assiduè animus afficitur, exultat in Deo, &c. Rursum quod in Euangelio scriptum est: Receperunt mercedem suam, id est, quotidie & semper recipiunt mercedem suam. Sic & in libro Sapientiæ: Omnes qui me oderunt, &c. quibus verbis non hoc tantum intelligendum est; quod qui in præteritum oderunt, mortem sibi accersierint, sed omnes qui communiter odio persequuntur sapientiam, mortem sibi conscire. Rursum non crediderunt, nec sperauerunt in Deo salutari suo: Quæ verba hunc sensum habent, Nunquam ad Dominum confugiunt, & ab ea consuetudine prorsus sunt alieni, haud dissimili modo accipiendum est, quod ait Apostolus, Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. An hic ab Apostolo id solum dictum existimabimus? Omnes olim aliquando peccasse? Nam quo pacto tum congrueret, quod sequitur: Et egent gloria Dei: quod verbum præteriti temporis si præteritum tantum significat, profectò non aptè respondet. Sed vult omnes esse peccatores, ac venisse in peccandi consuetudinem, & peccati habitum fixè omnibus inhærere, ideoque egent gratia Dei iustificati gratis: non sicut quidam legendum arbitrantur, iustificandi, sed sicuti præcedens verbum præsens significat, cum consuetudine nempe quoties iustificantur solere iustificari gratis: Itaque in his Apostoli verbis, quibus affirmat omnes in Adam peccauisse, nihil Platonicum imaginandum est, tanquam omnes fecisse dicat, quod in parentibus fecerint: licet beatus Augustinus simili sensu hæc accipiat: sed sensus verus est: Omnes ex Adam cõtraxisse habitum peccandi, atque omnes innata peruersitate, & prauitate, constitutos esse

[Margin: Rom. 3.]

[Margin: *Lib.* 17. *Ciuitat. Dei.*]

peccatores. Ac tum præpositio (in) pro (per) accipiatur, hoc sensu: Per quem omnes constituti sunt peccatores, per, inquam, tanquam efficientem causam, seu verius deficientem: Hæc vna est expositio, inter eas quas OEcumenius refert mihi præ cæteris probanda. Siquidem ex vno homine primo totius humanæ generationis eiusmodi defectus exortus est, vt quisquis per concubitum viri & mulieris nascitur, vitiosæ & prauæ concupiscentiæ subditus sit. Huic sanè expositioni fauet quod in eodem Apostoli contextu sequitur: Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, quod non aliud est, quàm in quo omnes peccauerunt, quod rursum, non aliud est, quàm omnes
1. Cor. 5. peccatores existunt: Sic & de morte agens: In Adam omnes moriuntur, quod idem valet, atque illud quod supra dixerat: Per vnum hominem mors. Et quod adiungit: In Christo omnes viuificabuntur, perinde valet, atque illud, per vnum resurrectio mortuorum. Simili quoque loquendi formula dictum est Abrahæ: In semine tuo, id est, per semen tuum Christum, & quod ait Apostolus, Per vnius obeditionē iusti constituentur multi. Rursum illud, vt efficiamur iustitiā Dei in Christo, hoc ipsum est, quod alibi dicit, per Christi obedientiam, nos effici iustos, vera vtiq; & quæ à Deo profecta sit iustitia. Itaque ad similem modum omnino placet accipere, quod scriptum est, In quo omnes peccauerunt, vt sit quod alibi dictum est, A muliere factum est initium peccati, & per illam omnes morimur. Illam tamen expositionem qua dicimur in Adā tanquam in massā peccasse, non repudio: habet OEcumenius & aliam expositionem, secundum quam (in quo) idem valet, quod (quia) siue (eo quòd) vt dicat Apostolus transijsse peccatum, in vniuersum genus humanum, & ratione peccati mortem, atque id merito, ob hoc ipsum, quod omnes sint peccatores. Similis
Lib. 6. contra Iul. cap. 12. erat Iuliani expositio apud Augustinum, In quo, id est, propter quod, quæ omnino reijcienda non est, sed parum Iuliani causam iuuabat, qui Apostolum cum Pelagio de imitatione nitebatur exponere. Domine Iesu omnes hæreticos qui hodie in sua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia velociter conterere digneris. Amen.

Peccatum cum pœna quomodo transierit in posteros?

CAPVT X.

PRæsenti doctrinæ capite demonstrandum est, non modo pœnam, sed & peccatum transijsse, in vniuersum genus humanum. Et de morte quidem nulla potest esse dubitatio, cuius

cuius quotidiana experientia, præ malis omnibus mortales terret, quam etiam pœnam esse, & apud omnes bona mente præditos receptum est, & Mileuitanum concilium definiuit: Verum de peccati transfusione difficilis inter doctores disputatio nunquam non fuit, tum quia sub sensum sicuti mors, peccatum non cadit, tum præcipuè ex hoc ipso vitio homines superbi & tumidi corruptionem, morbum, inopiam suam agnoscere nolunt, vsque adeò, vt ne ante oculos quidem morte proposita, fastuosa ceruix flecti queat. Hinc illi quorundam insulsi clamores: Vbi est peccatum in paruulis? Quid est in eis quod Deus non creauit? quasi vero digitis demonstrari ac palpari possit, aut idcirco non ita esse existimandum sit, quia res obscurissima explicari haud facilè possit: Qui si saperent, ex pœna tam terribili toti generi inflicta, peccatum agnoscerent, & vna transijsse ab Adam in posteros confiterentur, quemadmodum disertis verbis Apostolus gentiū doctor, confessus est inquiens, Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, id est, genus humanum: At quod intelligit peccatum in omnes transijsse? An fortè quod nonnullis non displicet actuale peccatū Adæ, vt peccatū non secundū se, sed secundū effectus trāsijsse dicatur. Si ita se res habet, magnū nobis argumentū ereptum est: Verum vt omittam concilij Mileuitani ac Tridentini, veterumque orthodoxorum patrum interpretationem, ex ipsis Pauli verbis haud difficulter est docere, ab Apostoli sensu prorsus hoc commentum esse alienum. In primis ait peccatū ipsum intrasse in mundū, præter effectū eius, mortem: non autem transijt illa primorum hominum propriæ actionis trāsgressio, nec vlla alia quæ propria voluntate commisit mala, nec enim nos damnabimur, quia de ligno vetito comedimus, sed neque lex vlla nos constringit, ne de ligno vetitō sumamus. Si nos lex illa olim lata non concernit, nec igitur ob illius transgressionē quæ in nos manauerit, æterna possimus dānatione puniri. Ipse peccauit qui legem accepit, & peccatum semel admissum transijt, ac esse desijt, non ergo potuit ad posteros omnes penetrare. Deinde comparat Apostolus duos homines inter se, Adamum & Christum, peccati transfusionem cum transfusione iustitiæ: Quæro igitur, num Christi obedientia qua patri fuit obediens, vsque ad mortem crucis, velit Apostolus in natos ex Christo transijsse? Quis hoc non videt absurditatis esse plenissimum? Sed per obedientiam illam Deo gratissimam, meruit nobis, quod in animos nostros ex ipso manaret: Pari modo non Adæ inobedientia in posteros transfusa est, sed sua

Peccatum quod transijt in posteros?

ſed ſua inobedietia naturam vitio contaminauit, quod ex ipſo manauit in omnes. Nec quicquam adiuuat, quod aiunt effe-ctum tranſijſſe, nam Apoſtolus ipſum pecccatum tranſiſſe af-firmat, tam propriè quàm mortem: hæc enim coniungit, & ſicut mors tranſijt, ita & peccatum ad poſteros docet eſſe tranſ-miſſum. Quomodo autem mors ex Adam tranſijt? An illa ipſa mors, qua mortuus eſt primus parens, ſic tranſijt in omnes, vt cum quiſque moritur, Adæ morte mori credendus ſit? Hoc ſi nemo niſi mente captus conceſſerit, fateatur oportet, idcirco tranſijſſe mortem, quia ille tranſgrediendo datum imperium, author fuit, cur & ipſe mortis neceſſitati ſubiaceret, & ſimiliter poſteri propriam ſibi morem pati cogerentur. Sic igitur & peccatum ex ipſo fluxit in omnes, non quia illius vnum pec-catum omnium originale eſt, ſed quia peccando cauſa fuit, cur & ipſe, & quotquot ex ipſo naſcerentur, ſinguli eſſent proprio peccato cōtaminati & vitiati. Præterea dicit hoc peccatum in-greſſum, quod per legem cœpit cognoſci: nam ante legem, in-quit, peccatum mortuum erat, id eſt, latebat, non cognoſceba-tur, nec reputabatur eſſe peccatum, legem, inquam, illam Moy-ſi, quæ homicidia, furta, adulteria, fornicationes, &c. prohibet, non quæ vetat edere de vllius arboris fructu: docere igitur vult Apoſtolus in nobis ex Adamo ineſſe peccatum, quod ſit repu-gnans legi poſtea datæ. Rurſum ait Apoſtolus: Hoc peccatum quod intrauit in mundum auctum eſſe per legem, & addit hoc ipſum peccatum regnaſſe in mundo, ſimulque præcipit, vt operam demus, ne regnet, ait prius idem latuiſſe tanquam mortuum, poſtea lege Moyſi data reuixiſſe, & demonſtratam fuiſſe eius in homines, qui ſub lege erant concupiſcentiæ ope-rationem, hocque peccato ſe mortuum fuiſſe. Quæ vniuerſa manifeſtum eſt non competere in actuale peccatum Adæ, ſed in id quod nobis inhæret, quod in non renatis ſemper domi-natur, quo renatorum molimine glorioſa certamina exer-centur. Idipſum poteſt declarari ex illo loco, Aculeus mortis, quo ſcilicet mors infertur, peccatum eſt, Virtus autem pec-cati, id eſt, quo peccatum augetur, & robur accipit, eſt lex. Ex his itaque elucet, Apoſtolum agere de peccato cuilibet homini intrinſeco.

Peccatum originale eſt paruulo intrinſecum.

1. Cor. 15.

Naſcitur homo iniuſtus & Deo exoſus, quod ſcripturis probatur.

CAPVT XI.

Quô

QVô meridiana luce clarius, hanc cognoſcamus quæſtionem, in cuius diſſolutione nobis aditus paratur, ad intelligendum de originali peccato veritatem, primum proferam ſacræ paginæ teſtimonia, quibus poterit omnibus eſſe in confeſſo, infantes naſci iræ filios. Primum eſt, quia nulli iuſto à Deo pœna, niſi ob peccati meritũ infligitur, ſic enim habemus in ſacris eloquijs: Cum ergo ſis iuſtus iuſtè omnia diſponis, ipſum quoque qui non debet puniri condemnas, & exterum æſtimas à tua virtute. Sapien. 12. Sæculi huius tyranni potentes ſe eſſe reputant, quia quos velint occidere & opprimere poſſunt, ſiue id iuſtè ſiue iniuſtè faciant: ſed potentia Dei, tametſi omnipotens ſit, eo ſe nunquam extendit, vt puniat & affligat innocentem: Etenim virtus Dei ſemper cum iuſtitia coniuncta eſt. Vnde ſubnectit: Virtus enim tua iuſtitiæ initium eſt. Idem probatur ex Ezechiele, per quem Dominus illos redarguit, tanquam falſum loquentes, qui dicebant paſſim, Patres noſtri Cap. 18. comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt: quo prouerbio ſignificabant parentes quidem peccaſſe, ſe vero cum innocentes ſint, pro parentum ſceleribus ſupplicia ſuſtinere, tanquam dicerent, maiores quidem noſtri ſceleribus ſuis iram Dei promeruere, ſed in nos qui non deliquimus pœna iniuſtè deuoluitur. Quibus reſpondet Dominus aliquãdo fore, vt hoc non dicant homines, nec accuſent iniuſtitiæ Deum, ſed peccata ſua confiteantur, & quicquid calamitatis obueniat iuſtiſſimè ſe hoc pro ſuis peccatis pati. Hoc noui teſtamenti tempore impletum eſt, cum fideles non obmurmurant affligenti Deo tanquàm iniquo, ſed confitentur eum in iudicio cuncta facere, nec pro parentum ſceleribus, quamlibet multa ſint, inſontes filios plecti, animamque illam quæ peccauerit ipſam non aliam mori. Quod autem idem ſpeciatim affirmant in hac materia, ſub iuſto iudice Deo pœnam mortis & ærumnarum vitæ huius ſine peccati merito, quod pœnas illas ferentibus innaſcatur, tranſire non poſſe in genus humanum, in Apoſtoli doctrina fundamentum habet, dicentis, In omnes mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt, id eſt, quia omnes in Adam peccauerunt, idcirco etiam mors pertranſijt tanquam peccati iuſtum ſupplicium. Et per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum, id eſt, merito peccati mors quoque ingreſſa eſt. Paulus quoque pronunciat omnes in vno peccaſſe, & per vnius inobedientiam multos peccatores eſſe conſtitutos: non ait mortales, & miſeros, ſed peccatores. Rurſum eo loci: Peccatum, inquit, intrauit in mundum, id eſt, genus Rom. 5. humanum,

humanum, ſicque per peccatum mors ingreſſa eſt, vt intelligas peccatum à pœna illum voluiſſe ſecernere, nec mortem duntaxat pronunciat ingreſſam eſſe in genus humanum, ſed & peccatum ipſum, peccatique merito mortis ſupplicium. Qui autem peccatum eſſe proprij nominis in paruulis inficiantur, & quod in Concilio Arauſicano peccato adiunctum eſt mors animæ, alienantem à propria ſignificatione particulam eſſe, aliquot rationibus confutandi ſunt. Fateri coguntur in primis paruulos recens natos in Chriſto Domino pares eſſe, quod peccati ſint expertes, nec minus eis tribuendum, ſine peccato naſci, quàm Chriſto Domino tribui debere certiſſimum eſt. Quod ſanè abſurditatem continet intolerabilem, & ſcripturarum ſanctarum doctrinam euertit, in qua de nobis quidem naſcen-
Pſal. 50. tibus dicitur, Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in pecca-
Luc. 1. tis concepit me mater mea. De Chriſto verò, Quod naſcetur ex te ſanctum. de nobis dicitur: Nemo mundus à ſorde, nec infans
Rom. 8. cuius vnius diei vita ſuper terrã. De Chriſto, Venit in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum. Quod autem Chriſto proprium eſſe Catholica tradit doctrina, hoc il-
Cap. 3. li infantibus omnibus commune ſecerunt. Hac ratione vſus eſt
Lib. 4. cont. Ancelmus in libro quem inſcripſit de conceptu virginis, &
2. Epiſ. Pe- peccato originali, quo loco etiam affirmat apertè peccatum
lag. cap. 14. originale, cum cæteris peccatis vniuocè cenſeri peccatum. Et
De incarnatione & gratia Chriſti. ante eum Auguſtinus, nec non Fulgentius. Secundò peccatum originale cum cæteris vniuocè puniendum eſſe dicitur damnatione ſempiterna, ergo proprij nominis non ambigitur pecca-
Ab effectu docet peccatũ originale veri nominis culpam eſſe. tum: ſicut actuale, quia eius pœna proprij nominis pœna eſt ab effectu ad cauſam. Damnari autem hominem propter originale peccatum Apoſtolus docet ad Romanos, & ad Epheſios, vbi filij iræ damnationiſque æternæ commemorantur. Cæteris locis huc pertinentibus breuitatis ergô, ſuperſedemus.
Rom. 5.
Cap. 2.

Idem adſtruitur priſcorum patrum monumentis.

CAPVT XII.

Prima ratio. PAruulos damnationi naſci obnoxios, veterum patrum ſententijs poteſt cuique eſſe conteſtatiſſimum, ptopter pœnas à peccato inflictas. Primò, aperti ſunt oculi, ſuper quibus conſuluiſſe profuerit diuum Auguſtinum lib. 5. contra Iulianum

lianum capite primo,& lib. sexto contra eundem, capite 4. de nuptijs & concupis. lib. 1. cap. 5. lib. 1. cont. 2. Epistolas Pelag. cap. 16. lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 22. & lib. 4. contra articulos sibi falsò impositos, cap. 2. Secunda ratio est ex erubescentia sumenda, quæ ex pudendo genitalium motu nascitur, secundum Augustinum, lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 34. & lib. 4. contra Iulianum, cap. 16. & lib. 3. capite 10. Generalis demum illa ratio est, ex diuina iustitia sumta, innumeris prope locis apud Augustinum comprobata, lib. 6. contra Iulianum, cap. 6. & 7. & expressissimè lib. 3. cap. 3. & 6. Quandoquidem scitu vtilissimum sit, quod neminem puniat Deus innocentem, paucula quædam alia luce meridiana clariora ex eodem Augustino loca subnectenda sunt, Epistola 106. vbi dicit, quemcunque immeritum nulliqúe peccato obnoxium si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non ambigitur: Sic in Epistola quam ad D. Hieronymum conscripsit, quo loco illius palinodiam canit, quod lib. tertio de libero arbitrio dixerat, de pœnis & cruciatibus. At præ illis omnibus memorabile est, quod habet lib. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum, capite 4. Quo loco affirmat ad hæresim Pelagianam pertinere, asseuerare mortem ex Adam in posteros sine peccato transire. Augustinum reliqui veteres, qui de peccato originali Catholicam sanamque doctrinam, contra Pelagianorum insultus propugnarunt, studiose sunt sequuti, Fulgentius siquidem libro de Incarnatione & gratia Christi: deinde Maxentius sancto Fulgentio contemporaneus, libello fidei suæ cap. 39. Vbi dicit primum hominem per peccatum, rationem, vigorem carnali delectatione obligasse, quod non aliud est, quàm spiritum ordine peruerso carni subiecisse. Et hanc peruersitatem in omnes, ex illo primo fluxisse, vt iam quotquot nascantur, impietati & carni sint subditi. Addit & illud, mortis pœnam infligi iusto iudicio non posse, nisi peccatum præcesserit. Sic & Concilium Arausicanum secundum, manifestissimè definiuit, primum quid in Adam mali fuerit: Deinde quid in posteros ille propagatione transmiserit, vt nemini dubium hac de re possit remanere: Si quis, inquit, per offensam præuaricationis Adæ, non totum, id est, secundum animam & corpus, in deterius dicit hominem commutatum, sed animi libertate illæsa durante, corpus tantummodò corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus, aduersatur scripturæ dicenti, Anima quę peccauerit ipsa morietur, definit primos

Secũda ratio.

Epistola 28.

Cap. 14. & 15.

Canone 1. & 2.

homine

homines ex peccato non corporis modò, verumetiam animi grauissimum damnum reportasse. Deinde quid ex eo mali genus humanum contraxerit, apertissimè sic definit, Si quis soli Adæ præuaricationem suam, & non eius propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ per vnum hominem in omne genus humanum transijsse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti, Per vnum hominem. Vsque adeò non solum mortem & peccati pœnam, sed etiam peccatum transijsse vult in genus humanum, vt eos qui alterum sine altero, id est, pœnam sine peccato transijsse affirmant, iniustitiam Deo daturos pronunciet: quam definitionem Tridentina Synodus verbis ipsis pœnè seruatis repetijt. Verum ista veterum & Conciliorum decreta, cum his obijciuntur, qui Catharini & Pighij opinionibus imbuti, hunc ipsum quem iam confutauimus, tuentur errorem. Respondent satis arroganter necesse non esse, vt ea recipiant, quæ ab Augustino & veteribus contra Pelagianam hæresim constituta sunt, fateor necesse non esse singula recipere, quæ ab Augustino dicuntur, sed si vnius parum mouet authoritas, & eruditio, moueat multorum saltem patrum iudicium, qui conuenienter excussis Pelagiani erroris dogmatibus, ista damnarũt. Sed Apostolica, inquiunt, sedes definiuit, profundiores & difficiliores partes incurrentium quæstionum adstruere, necesse non esse. Ergo etiamsi Augustinus, & Concilium Arausicanum, hæreticis resistentes definierint iniustum esse, vt sine culpa proprij nominis pœna transeat, non est tamen hoc necessariò adstruendum, sed propter quæstionis eius profunditatem & difficultatem, liberum cuique sentire quod libeat. Sed his modis inuictissima argumenta, ex veterum plurimorum authoritate desumta nitũtur illudere. Legere debuissent quod immediatè subnectitur, nempe in ea Epistola, non de originali peccato vlla existit controuersia, sed de gratia tãtum & libero arbitrio: Cum enim tria essent ad hæresim Pelagianam pertinentia dogmata, primum de originali peccato quod nullum sit, neque in eius remissionẽ paruuli baptisentur. Secundũ, de liberi arbitrij viribus & sanitate, quod sine gratia ad rectè viuendum satis possit. Tertium de perfectione iustorum, quæ tanta in vita mortali sit, vt ne venialibus quidem peccatis aliqui maculentur, ideoque non pro semetipsis dicere debeant, dimitte nobis, &c. sed pro alijs: Prætermissis postremis, de medio duntaxat in illa disseritur epistola. Secũdò, respondendendum est, definitionem Arausi-

Canone 2.

Ambrosij Catharini & Pighij absurditas.

Sub finem Epistolæ Celestini.

Ad hæresim Pelagianam tria pertinẽt.

Arauſicani Concilij, non minus Apoſtolicam eſſe, quàm illam Cæleſtini: Vt enim ea definirent, quæ contra Pelagium determinârunt, & monuerat, & præſcripſerat Leo eius nominis primus, tum pontifex, quod ex ipſa Concilij præfatione perſpici poteſt, in qua patres his vtuntur verbis: Vnde & nobis, ſecũdum authoritatem, & admonitionem ſedis Apoſtolicæ, iuſtum & rationabile viſum eſt, vt pauca capitula ab Apoſtolica ſede nobis tranſmiſſa, ab omnibus obſeruanda, proferre & manibus noſtris ſubſcribere deberemus. Cùm autem illius authoritate Concilij, ſe premi viderent, definitionem receptam, & admiſſam iſtiuſmodi commẽtario (ſi dijs placet) ornârunt, & non abs re Concilium adiunxiſſe, cùm & peccatum tranſijſſe dixiſſet, quod peccatũ mors animæ eſt. Significare enim hoc verbo voluiſſe, non eſſe proprij nominis verumq; peccatũ, quod tranſitũ in genus humanum, ex primo parente dicerent: nam particula, mors, animæ eſſe diſtrahentem & alienãtem peccati nomenclaturam, à propria ſignificatione, quemadmodum peccatum cùm additur homini. Itaq; fatendum eſſe tranſijſſe peccatũ, ſed quod eſt mors animæ. i. peccatum impropriè dictum, & per tropum ſic appellatum. Verum huic figmẽto textus ipſe reclamat, ex eo quòd rectiſſimè conuincitur alienantem particulam non eſſe, quam alienãtem eſſe volunt: Etenim definit illum iniuſtitiam Deo daturum, qui peccatum, quod mors animæ eſt, trãſijſſe negauerit, conceſſo mortis corporalis trãſitu. Quare ergo iniuſtitiam dabit Deo? niſi quia eo conſtituto, conſequatur Deum punire innocentem, & immeritum, de peccato igitur illo Concilium intelligendum eſt, quod pœnam iuſtè mereatur, atque hoc indubiè proprij nominis eſt peccatum. Atqui mors animæ, inquiunt, non aliud eſt, quàm priuatio gratiæ, & donorum, neque imaginabilis eſt alia mors animæ: Non igitur peccatum quod animæ mortem Conciliũ eſſe dicit, proprij nominis peccatum, & pœna dignum eſt, ſed oblato libello, in quo huiuſmodi continebantur commenta, Concilium Tridentinũ minimè mouerunt. Et ſane in vſurpatione vocis huius (mors animæ) grauiter hallucinantur. Quo autem manifeſtius euadat quid ſit (mors animæ) conſiderandum, in quo eiuſdem vita conſiſtat. Vitam animæ Moyſes ait eſſe Deum, quod non formaliter, ſed effectiuè accipiẽdum eſt. Sicut enim ſpiritus immortalis ſua preſentia corpori vitam præſtat, ac ob id dicitur eſſe vita corporis, Ita Deus efficit, vt rationalis anima viuat, atque idcirco vita eius appellatur. Spiritus quidem præſtat corpori vitam, dum illi coniunctus efficit, vt progredi, creſcere, aliaſque vitę functiones

Authoritas Cõcil. Arauſicani.

Exotica Ambroſij expoſitio.

Vita animæ quę?

exercere poſſit. Deus autem viuere facit animam, cum operatione gratiæ ſuæ efficit, vt iuſtè, & ſecundum ipſius voluntatem operetur. Ipſum autem Deo ſeruire, & adhærere, id eſt, vnde anima formaliter viuit, quemadmodum & operatio corporis, vitaliſque eius functio illa eſt vita, à qua dicitur corpus formaliter viuere. Vnde Apoſtolus, poſteaquam quandam animæ mortem his verbis commemoraſſet. Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, vt intelligeretur, qua morte dixiſſet, omnes eſſe mortuos, oppoſitam illi vitam continuo ſubiecit, dicens: Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt, non iam ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Quid autem eſt viuere Chriſto, niſi benè, iuſteque viuere? Deoque ſeruire, & obedire? Quid ſibi viuere, niſi peccare, & cupiditatibus ſuis obſecundare, atque hoc ipſum eſt eſſe mortuum: Igitur ſecundum Apoſtolum, hoc in loco ſicut animæ vita bona, & iuſta vita eſt, qua Dei voluntas impletur, ita mors animæ, vita mala eſt, qua cupiditatibus malis indulgetur. Alibi mortuos nos fuiſſe dicit, in delictis, id eſt, peccatis actualibus, & præputio carnis noſtræ, id eſt, originali peccato, quod per præputium deſignatur, &c. viuificatos verò per Chriſtum iuſtificatione, & omnium peccatorum remiſſione. Dicuntur autem vita, & mors metaphoricωs à vita & morte corporis, propter quandam tranſlatis ad animam vocibus ſimilitudinem. Corpus enim mortuum eſt abſente ſpiritu, quia vim operandi nullam habet, & iam putreſcit, ac fœtet. Sic anima, quoniam à Deo diſcedens, fit peruerſa, deſtituta recta vtriuſque partis operatione, id eſt, intellectus & voluntatis, mortua eſſe dicitur. Illorum vtrumque Moyſes his in Cantico ſuo notauit verbis: Peccauerunt ei, & nón filij eius in ſordibus, generatio praua, atque peruerſa, hoc ad effectum pertinet, cùm ea quis amat, quæ amanda non ſunt, atque improbat & odit, quæ amanda. Hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens? Hoc pertinet ad intellectum, cum peccatis & vitio ab affectionibus obtenebratus eſt: atque his duobus tanquam partibus mors rationalis animæ conſtat. Primum igitur Adæ peccatum mors animæ illius fuit, & quod abeunte peccato actuali ſequutum eſt, ac remanſit, nempe ignorantia rerum agendarum, & concupiſcentia noxiarum, continuatio fuit mortis eiuſdem. Hoc peccatum eſt, quod Concilium tranſijſſe definit in poſteros, & animæ mortem eſſe dicit: Similì metaphora in ſcripturis peccatum ſomnus appellatur, bona operatio vigilia,

Margin notes: 2. Corin. 5. — *Viuere Chriſto, & ſibi quid?* — *Mors animæ quæ?* — *Peccatū mors animæ.* — Coloſ. 2. — Deut. 32. — *Peccatū ſomnus appellatur in ſcripturis.*

gilia, veluti vbi dicitur: Surge qui dormis, & exurge à mortuis. Et beatus ille seruus, quem Dominus inuenerit vigilantem. Vnde etiam existit in scripturis quædam resurrectio prima, à morte scilicet peccati, ad vitam iustitiæ. Etenim resurrectio ab aliqua morte est ad vitam illi oppositam: Cùm igitur illi resurrectione prima, resurgere censeantur, qui rectè, iusteque viuere incipiunt, efficitur iuxta scripturas, in peccato quidem mortem, in iustitia vitam consistere. Non absimili quoque metaphora vocatur morbus & infirmitas: Non est opus sanis medico, sed malè habentibus. & ad Romanos: Cùm adhuc infirmi essemus. Si quæ ex diuo Augustino hac de re loca quis desideret, consulat caput 1. libr. 6. contra Iulianum. & Enchirid. 55. Viuos, inquit, iudicaturus est, id est, iustos, & mortuos, id est, iniustos. & libro 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 2. & 9. vbi spiritus propter infidelitatem legitur extinctus. Rursum lib. 13. de Ciuitate Dei, cap. 2. & lib. 20. cap. 6. nec non libro quarto, de Trinitat. capite tertio. Nos certè, inquit, quod nemo Christianus ambigit, & anima, & corpore mortui sumus, anima propter peccatum, corpore propter pœnam peccati. Et infra: Mors autem animæ impietas est, & mors corporis corruptibilitas. Sicut enim anima Deo deserente, sic corpus anima deserente moritur, vnde illa fit insipiens, hoc exanime, multaque alia in eodem capite huc pertinentia scribit. Pari modo diuus Fulgentius, de animæ morte sensit, lib. de incarnatione, & gratia Domini nostri Iesu Christi, cap. 12. nec non sub initium libri primi, de prædestinatione ad Monimum. O vita animæ meæ, æternæ morti non tradas me. Amen.

Ephes. 5. Lucæ 12.

Peccatũ morbus dicitur et infirmitas. Marc. 2. Lucæ 5. Rom. 5.

Idem adhuc comprobatur Scholasticorum elucubrationibus.

CAPVT XIII.

Bonauentura doctor Seraphicus, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, (quo nemo scholasticorum solidius, & veteribus, scripturisq; hac de re conformius disseruisse credendus est) vt peccatores infantes statuat, hanc propositionem præfert: Natura humana, inquit, in omnibus ex Adam seminaliter descendentibus, non solum pœnaliter, sed culpabiliter est corrupta. Quam tribus rationibus stabilire cognoscitur. Prima sumitur ex iustitia Dei, quæ nō patitur, vt quisquam nullum ob meritum suum, puniatur, multo minus verò, vt ab

Encomium Bonauẽturæ.

Triplici ratione irrefragabiliter probat, infantes nasci peccato obnoxios.
Prima ratio.
Secunda ratio.

eo bono, ad quod est conditus in æternum excludatur. Atqui visio Dei naturalis est hominis finis, ad quem est conditus, ergo sine culpa propria non debet dare pœnas, illoque priuari. Contestatissimum est autem paruulos omnes, ab eo excludi, nisi fuerint Christo per baptismi lauacrum initiati, ergo in singulis propria hæret culpa, cuius merito tantam pœnam patiantur. Secunda ratiò est ab erubescentia sumenda, quæ cum esse in opere Dei, nisi vitiosè non possit: efficitur in homine, præter opus Dei aliquid esse, propter quod meritò erubescat. Quod si ad opus Dei laudandum non pertinet, cui dubium est, quin ad opus peccati vituperandum, erubescentia pertineat? Itaque quum naturaliter omnis qui ratione vtitur, de rebelli genitalium motu erubescat, consequens est eum motum in vnoquoque ex peccati radice, non opere Dei procedere:, indeque esse peccatum originale. Atque hæ duæ rationes, ab effectu colligunt causam, sicuti ex fumo ignem, & ex floribus arboris, radicem esse concludimus. Tertia ratio sumitur à definitione, & peccati originalis natura, quæ proinde efficacissima & clarissima est: Concupiscentia prædominans, inquit, euidentissimè manifestat naturæ nostræ corruptionem, cum culpa esse coniunctam. Hoc enim postulat ordo naturæ rationalis, vt ratio & spiritus Deo pareat, inferiores verò facultates rationi sint subiectæ. Tunc igitur naturalis ordo perturbatus est, cùm & auulsa est à Deo ratio, & inferioribus partibus paret. Hæc autem peruersitas naturæ & facultatum obliquitas, culpa est: quemadmodum è contrario, rectitudo mentis ita compositæ, vt Deo ratio & rationi cætera, quæ infra ipsam constituta sunt, pareant. Iustitia est etiam in infante & adulto dormiente. Quamobrem cùm in omni homine priusquam eum gratia Christi sanauerit, concupiscentia dominetur, & imperet, ipsiusque ad nutum à ratione propè cuncta gerantur: dubitandum non est, ab ipsa origine istam cuique peruersitatem, quam culpam, & peccatum esse diximus, inhærere, quod sanè est originale peccatum. Hæc tam aperta sunt, vt nemo inficias iturus, qui & dominatum concupiscentiæ ante gratiam, & quem esse sub Deo partium animæ rationalis ordinem, inter ipsas deceat, non ignorauerit. Penetrasse siquidem iste sanctus doctor videtur, hisce verbis, peccati originalis materiam. Proinde qui ad illum, ceu Lydium lapidem, suam dogmaticarum opinionum sententiam applicuerunt, velut Ioannes Prouensalis, & Altisiodorensis, facili Methodo latebrosas huius negotij quæstiones expediunt. Sed vt in

Tertia ratio.

vt in ore duorum vel trium testium omne constet verbum, ac ne res esset noua, & ex paucorum cerebro videatur exorta: duo alij sancto Bonauenturæ sunt adiungendi, vt reliquis causa prolixitatis vitandę supersedeamus: quorum vnus est sanctus Thomas, cuius de originali peccato doctrinæ non omni ex parte calculum approbationis licet concedam, tamen ad stabiliendum præsens negotium, vel maximè est oportunum quod habet in Scripto secundi dist. 30. Alius, inquit, error nempe Pelagij, qui tangitur in litera, est eorum, qui peccatum originale nomine concedentes, secundum rem recusabant, dicentes in natis paruulis culpam nullam esse, sed obligationem duntaxat ad pœnam, sed hoc, inquit, manifestè repugnat iustitiæ Dei, vt aliquis ad pœnam obligetur, qui culpam non habet, cum pœna iustè non nisi culpæ debeatur. Qua vnica ratione duas Bonauenturæ priores complexus est. Deinde Albertus Magnus, eiusdem Thomæ præceptor, plusculis rationibus eandem comprobat veritatem: Timor, inquit, serpentis est pœna, atqui hunc timorem hábet omnis homo: aliquod igitur peccatum oportet, existat, propter quod ea timoris pœna inferatur: si secus res se haberet, Deus esset iniustus. Idem quoque sequitur, ex dolore partus mulierum, ac subiungit: idem olim probauisse sanctos. Primum ex malis, quæ paruuli patiuntur, quos norunt omnes aut febribus grauiter diuexari, aut in ignem, vel aquam labi, aut à lupis déuorari, interdum etiam à dæmonibus exagitari, & cruciari, quæ profectò tanta mala, sub iusto iudice Deo paruuli, nisi peccatores & iniusti minimè paterentur. Rursum, primi parentes pudendo percepto motu in semetipsis, perizomata sibi confecerunt, ad velanda ea membra, quæ non naturá, sed peccatum pudenda reddiderat: Atque hoc ipsum quod illi primum fecerunt, omnes naturæ instinctu & impulsu faciunt, ergo vitium in singulis sit oportet, ad quod illud consequatur. Non est autem in posteris actuale, ergo originale peccatum. Trium Scholasticorum doctorum, qui facilè principes sunt apertam posuimus doctrinam, quibus vice Colophonis lubet adiungere Ancelmum, qui disertis verbis pronunciat non puniri paruulum, nisi pro suo quemque peccato. Ac proinde opinionem illam quorundam, à paruulis recens natis culpam amouētium, erroneam esse: communis omnium doctorum sententiā tenet, iustitiam Dei pati non posse, vt sola sine culpa in posteros pœna dimanet.

Quæst. 2.

Parte 2. Sũmæ in 2. Senten. Tracta. 17. quæst. 107. membro primo.

De concept. virg. cap. 22. & 23.

Peccatum originale non est actuale.

CAPVT XIIII.

Rom. 9. PEccatum actuale nuncupat diuus Augustinus, actiuum & propriæ vitæ, atque actionis. de quo scriptum est: Cùm nihil adhuc boni, aut mali egissent, cùm tamen illi, de quibus hoc dicitur, peccato originali non carerent. Et §. G. distin-

Controuersia prima, quæ est de peccato orig.

Tum alibi, tū in libello Synodo Tridentinæ oblato.

Amb. Catharinus & Pyghius, Pelagianismum amplectuntur.

peccatum est duplex, actuale, & originale.

Enchirid. cap. 64.

Lib. 1. de peccat. mer. & remiss. cap. 3.

Rom. 5.

Diuisio peccati præfata ab Apostolo est desumta.

Rom. 9.

Genes. 25.

Malach. 1.

ctionis 30. Magister contradicit Alberto Pyghio, & Ambrosio Catharino, quorum sentētia est, peccatum originale nihil aliud esse, quàm actuale peccatum Adæ, nihilque paruulo intrinsecum esse, quod propriam peccati habeat rationem: ideoque docent pœnam tantum, non culpam in posteros transijsse, atque in ea incidunt incommoda, quæ supra commemorauimus, ijsdemque rationibus confutandi sunt, quibus priores à Magistro, & à nobis sunt confutati: Idem enim vtrique, si rem spectes, tradunt, & reuera peccatum originale vtrique tollunt, tametsi modo explicandi differant. Ab his igitur confutandis supersedebimus, sed nonnulla eorum argumenta promenda sunt, & diluenda. Primam autem balistam, quam iaculantur, sumserunt ex pharetra Pelagij, qua probare conatus est, nihil esse in paruulis aliud, quàm id quod creauerit Deus. Contra hoc illud est, quod peccatum à Scholasticis rectè distributum sit, in actuale, & originale: quam distinctionem ex diuo Augustino hauserunt: is etenim istam peccati distributionem, haud obscurè insinuans dicit, per baptismum, non originalia modò, verum etiam actualia remitti peccata. Et quod actiuum peccatum appellauerat, propriæ vitæ peccatum vocat, quod ait, sine propria non admitti voluntate: Neque verò eam distributionē commentus effinxit Augustinus, sed ex Apostolica doctrina desumsit, siquidem Apostolus ait, omnes nasci peccatores, atq; in omnes ex vno dicit intrasse peccatū, quod de actuali & propriȩ vitȩ peccato non posse dici, certissimum est. Alio vero loco peccatum actuale nobis indicauit, cùm dixit: Iacob & Esau, quando essent in vtero, nihil egisse boni vel mali, non inficiatur in ijs, tum nullum fuisse peccatū, quod alibi generali sententia, vniuersos comprehendens affirmârat, sed actuale ab ipsis remouet. Rectè igitur determinat Magister, peccatum originale non esse actum, licet ex diametro pugnent duo præmemorati, definientes peccatum originale esse actuale, nimirum actualem primi parentis transgressionem, originale peccatum esse censentes. Atque id quidem huc vsque tolerabile foret. Potest namque originalis transgressio dici peccatum originale, quemad-

quemadmodum Albertus loquitur originãs. Verum adijciunt, non sine graui errore in paruulis intrinsecum nihil esse, quod peccatum propriè dici queat: profectò tum cogentur fateri in paruulis recens natis, aut nullam esse pœnam (quod communis sensus penitus abhorret) aut pœnam, sine culpa. Atque isto modo incidunt in absurda supra proscripta, nempe iniustum constituentes Deum, qui innocentes, & nullo suo peccato pœnam promeritos, cum reis velit esse damnatos. Cæterum hoc isti nouitatis suo in dogmate habent, quod Adæ peccatum actuale nostrum fieri reputatione quadam affirment: Duobus autem argumentis commentum illud suum stabilire nituntur. Vnum præmisimus, alterum est: Omne peccatum propriè est cogitatum, dictum, vel factum contra æternam Dei legem: Atqui pusioni, nullum horum est, ergo, &c. Hoc illorum nõ Achillicum, sed Pelagianum est argumentum, quo Pelagius & Cælestius vsi sunt, secundum B. August. Profectò, si nomenclaturam peccati ad eam significationem vsurpari velis, vt actum duntaxat significet voluntarium, Diuinæ legi contrarium, fatebor hoc sensu paruulo nullum inesse peccatũ. Verum nõ in hac tantum significatione ab Apostolo vsurpatur, neque id solum peccatum esse indicauit, quod ex eius verbis liquet, quibus ait: Per vnius inobedientiam multos peccatores esse constitutos, & peccatum per vnum hominem in mundum intrasse, in quo omnes peccauerunt. Inuenimus quoque apud eundem, non propter vitiosam tantum actionem, hominem æternas dare pœnas, verumetiam pro vitioso habitu. Ex vno peccato, inquit, omnes in condemnationem, quemadmodum videlicet non actionibus tantum, sed etiam habitibus virtutum præmia reposita sunt: Quæ res clarissimè euadet ex consideratione baptizatorum, & paruulorum confirmatorum, è quibus illi quidem, propter infusam diuinitus iustitiam, & virtutum habitus, regni æterni præmium consequuntur. Hi verò etiam gloria maiore donantur, non ob aliud sanè, quàm quia cælestis gratiæ munera Sacramenti confirmationis accessione cumulatius perceperunt. Sed & D. August. testimonijs audent pro se vti, quem non ignorant sententiæ suæ aduersari. Vnde Catharinus ait, Augustinum citans: Si alibi aliud dicit, quid ad me? Proferunt autem eius verba, ex libro de Ciuitate Dei, vbi tractat illud: Masculus, cuius preputij caro circũcisa non fuerit. Quomodo, inquit, dissipauit pactũ Dei? Et respõdet: In Adam dissipasse, esseq; non proprio, sed originali peccato peccatores. En, inquiũt, Augustinus Adæ peccatũ dicit esse paruuli, & ab eo paruulos dissipatores, &

Absurditas sententiæ prædictorum doctorum.

Libr. de peccato orig. cap. 6. & 13.

Rom. 5.

Lib. 16. cap. 27.

peccatores censeri, extrinseca videlicet denominatione. Proferunt & Basilium, & allegatur ab Augustino, vbi dicit Basilius, nos è paradiso exclusos, quia non ieiunauimus. Quomodo quia non ieiunauimus? An illic fuimus, vt ieiunare possemus, sed quia Adam non ieiunauit, nos quoque censemur non ieiunasse, illius enim peccatum, nostrum quodammodo est factum, ab illo Diuini praecepti in Paradiso dati, transgressores, sed extrinsecè nuncupamur. Rursum ex Augustino dicunt aliud esse peccatum, in quo omnes peccauerūt, aliud quod cuique proprium sit. Ex libro quoque Retractationum multa adducunt. Paruuli, inquiunt, rei tenentur peccato Adæ, quod ille sua commisit voluntate. Deinde, paruuli tenentur rei origine, non propria voluntate. Rursum, inobedientia Adæ ipsa peccatum est, quod dicit in nos transijsse, illud autem peccatum Adæ actuale fuit, ergo peccatum originis nobis est extrinsecum, nec aliud quàm Adæ peccatum. His omnibus vnica solutione obuiandum est, in omnibus locis productis, rectè id probari actuale peccatum Adæ, non absurdè originale dici posse, nempe sicut Albertus loquitur originans, & quodammodo nostrum, quia videlicet nos peccatores effecit, & nos omnes, suamque stirpem radicaliter in se vitiauit, sicut Augustinus loquitur: Hoc dicitur peccatum, ait, quod nostram corruptionem effecit, atque origo est vitiorum omnium, quæ in nos ex illo manârunt. Nec aliter ab illo peccato, peccatores aut rei teneri dicimur, quàm in scripturis dicimur, Christi liuore sanati, eius redemtione & obedientia iustificati, non aliter illud peccatum nostrum esse dicit, quàm Christus dicitur factus nobis sapientia, & iustitia, peccasse in eo non aliter, quàm cum Christo in cælestibus consedere, cum illo resurrexisse dicimur: quibus locis cum externa nobis sint illa omnia, quæ de Christo commemoraui, non aliud significatum est, quàm Christum iustitiæ, liberationis, sanitatis, sapientiæ, regni, resurrectionis, & bonorum omnium esse nobis authorem, sua passione, & obedientia, vsque ad mortem crucis. Sic nos in Adam præuaricati sumus, quia videlicet peccatum Adæ causa fuit efficiens nostræ omnium corruptionis, quia peccatum illud origo fuit, vnde in nos omnes peccatum deriuauit. Cæterum Pyghius vt error errorem trahit, & abyssus abyssum inuocat, quia dixerat peccatum Adæ nostrum reputari, cum externum esset, ab eoque natos homines externè dici peccatores, eadem authoritate & facilitate inficiatus est, in nobis vllam esse iustitiam sed Christi iustitiā, nostram reputari, ab eaque nos iustos esse, & dici. Quemadmodum autem ille ex altero

Homil. de ieiunio, libr. 1. cont. Iulian. cap. 5.

Lib. 1. de pecc. mer. & Remiss. cap. 10. lib. 1. cap. 15.

Ench. cap. 18.

Esaiæ 63.

Ephes. 2.

Pyghij absurditas.

alrero errore in alterum pertractus est, ita nos ediuerso veritatem vnius, ex alterius veritate colligemus, & ex ea quòd veram iustitiam nobis Christus tribuerit, à qua formaliter, & intrinsecè nominemur & simus, statuemus firmissime de originali peccato ita esse sentiẽdum, vt ex vno in omnes posteros transfusum esse verum proprijque nominis peccatum, à quo vnusquisque nascentium intrinsecè possit peccator denominari, credamus. Prorsus enim id exigit contextus Pauli, vt vno concesso, alterum negari non possit. Sicuti, inquit, per vnius inobedientiam, peccatores constituti sunt multi, sic per vnius obeditionem, iusti constituentur multi: ergo quemadmodum per obedientiam Christi, iusti efficimur, ita per inobedientiam hominis primi, peccatores sumus effecti: Atqui per obedientiam Christi sic iusti sumus constituti, vt veram ex illius morte in animos nostros deriuatam haberemus iustitiam, ergo simili modo per inobedientiam præuaricatoris Adæ, ita peccatores sumus constituti, vt verum peccatum ex illo, tanquam fonte, in nos deriuato, in nobis singuli haberemus. Sic in illorum caput conuersum argumentum retorquetur, nobisque gladium, quo ipsi iugulentur, suppeditant. Iustitiam autem intrinsecam esse infinita scripturarum testimonia dilucidè proclamãt, quas apud Reuerendissimum Hosium requisijsse nõ fuerit indignum. Tridentinum quoque concilium decernit, vnicuique ex Adam nato, proprium & intrinsecum inesse peccatum originale, quod Adæ peccatum nominat, quòd sit ex Adam contractum. Sessione verò sequenti, internam nobis definit esse iustitiam. Cui consonat diuus Augustinus qui planissime proponit, & suam aperit sententiam, vt quid hac de re senserit, nulli possit dubitatio remanere. Atque eo modo quo nos ex intrinseca valemus iustitia, colligit singulis internum esse originis peccatum. In eo verò grauissimè hallucinantur, Ambrosius, & Pighius, quod in paruulo nihil esse arbitrentur, quod nõn Deus naturæ conditor effecerit, nec in eo quicquam esse constituant, quod naturá legi aduersetur, sed quicquid inest, ex lege æterna esse, quod profecto citra blasphemiam grauem, dici nequaquã mihi posse videtur: cum id scripturarum testimonijs apertissimè falsum esse conuincatur. Ioannes Apostolus Epistola sua prima, concupiscentiam ex patre negat esse: in paruulo autem concupiscentia inest, quod nec illi diffitentur. Rursum Paulus: Caro cõcupiscit aduersus spiritum & spiritus aduersus carnem, quod de spiritu humano duntaxat intelligendum non esse, sed etiam de spiritu Dei sancto, ostendit Augustinus: Spiritus Dei, inquit,

[Margin: Rom. 5. — *Sess. 5. cap. 3.* — *Canone* 11. — *Lib. 1. de pec. me. & remis. cap. 9. & 10.* — Galat. 5. — *Ser 43. de verbis Domini.*]

est, qui pugnat in te aduersus carnem, sicuti scilicet in nobis loquitur, quia nos loqui faciat. Quod autē aduersus Spiritum sanctum cōcupiscat, & cōtra quod Spiritus sanctus nos concupiscere sancto amore faciat, potéstne authore Deo Spiritui sancto attribui? Iterū alio loco scribit Apostolus, Inuenio aliā legē in membris meis, repugnantem legi mētis meæ: Lex mentis, lex naturalis est diuinitus nobis insculpta, singulorumque pectoribus infusa, cui quod aduersetur malum & vitiosum sit oportet: Quod autē eiusmodi est, Deum authorem habere, nullo modo potest. Accedat his Iacobus Apostolus, cuius illustrissimo testimonio euidentissimi sacrilegum nouitij erroris figmentū prosternitur, ait enim: Deus neminem tentat, vnusquisque autem tentatur à propria concupiscentia abstractus, & illectus. An autem quisquam est qui non videat, hominum tentatorem esse Deum, si concupiscentiæ qua tentamur, & ad mala impellimur, author existit? Quicquid enim creatæ res naturaliter non liberè faciunt, hoc omne naturæ authori adscribendum esse, apud omnes bono iudicio præditos, indubitatum & confessum est, iuxta tritam & promulgatam sententiam, Quicquid est causa causæ, est causati causa. Igitur si concupiscentiam naturæ nostræ inseruit Deus, nec illa quicquam aliud quàm ad malum impellit, allicitque, sequitur nos à Deo tentari, quoties concupiscentia mentes nostras ad illicita sollicitat. Præterea ob hanc concupiscentiam merito omnes rubore suffusi erubescimus, opus autem Dei non est erubescendum, quia neque vituperandum, quin potius commendandum est, atque laudibus extollendum. Aduersatur etiam doctrinæ Augustini, pronunciantis disertè & expressè Pelagium ob hoc maximè fuisse hæreticum, in eoque hæresim eius, qua peccatum negauit originale, maximè eluxisse, quod negaret in paruulis esse quicquam, quod non fecisset Deus. His assentitur Gregorius Magnus, super illud: Si lotus fuero aquis niuis, dicit ibi concupiscentiam reddere hominem abominabilem, vt propter eam etiam iustus quatenus concupiscentiæ subiectus est, tametsi inuitus, sit abominabilis. Sed nec diuus Thomas hac in re à nobis dissentit, quoniam dicit concupiscentiā, inquantum incitat ad peccatum, non esse à Deo, quod ideo diligentius considerandum est, quia Ambrosius Catharinus eius verbis ita vtitur, quasi eum à sua parte stare, & eiusdem cum ipso sententiæ esse, extra controuersiam sit. Sanctus Bonauentura in sententiam nostram iurasse videtur, Concupiscentia, inquit, non est à Deo, secundum id quod est, id est, secundum propriam rationem & naturam,

[Margin notes: Rom. 7. — Cap. 1. — *Maxima Aristotelica, siue paradoxum* — *Lib.3.contra 2. Epistolas Pelag. ca. 15.* — *Lib. de peccato original. cap. 13.* — *Lib.4.contra Iul. ca.13.& 14. tract. 8. in Psal. 118.* — *Lib. 10. Ciuit. Dei cap. 28.* — *Lib.9.moral. cap. 28.* — *2. 2. quæst. 93. art. 3.* — *Lib. 2. dist. 32. art. 2. quæst. 2.*]

naturam, sed bene secundum adiuncta aliqua, nempe quatenus pœna est: à qua eiusque causa liberet nos, qui est benedictus in sæcula. Amen.

Peccatum an in carne, vel anima, & quomodo?

CAPVT XV.

QVum anima nõ sit sicut caro propagata à patre & matre, vtpote existens supernaturalis forma à Deo infusa, nec sit de corpore vel potentia materiæ educta, quemadmodum aliæ formæ, cum sit separabilis, & per se subsistens: perplexa oritur controuersia, quomodo anima originale contrahat peccatum? Respondendum videtur, quod licet anima non sit à parentibus propagata, nec ex carne causaliter educta, est tamen occasionaliter, quia Deus statuit, vt generatione parentum facta in carne organisatione debita, creando protinus infunderet rationalem animam, quæ quia corpori vnitur, ab Adam corrupto, tali vnione contrahit peccatum originale, per consensum naturalem, sicut clericus quantumcunque est ex se regularis, efficitur irregularis, si cum corrupta matrimonium contrahat, vti habetur, Extra de bigamis. Omnes autem homines fuerunt in Adam, quando peccauit, fuerunt quidem in illo, sed tamen nondum erant ipsi, teste August. Nec idcirco vanum aut falsum est, quod dicitur, Omnes fuisse in Adam antequam essent ipsi, quia fuerunt in illo secundum causam seminalem, & propagandi virtutem. Transmisit namque Adam post peccati commissionem, & naturæ corruptionem, aliquid in primum filium, quod fuit toti corpori filij commistum, nec aliquam erat signare partem ipsius filij, in qua non esset aliquid illius corruptionis, quod à patre traxit. Sic filius ille primus, quando generando aliquid discindebat, de suo corruptionis inquinamento, necessarium fuit, vt aliquid transmitteret de eo quòd à patre Adam sumserat. Sic omnes dicuntur consequenter fuisse in Adam: Quemadmodum si quis haberet fermentum quod commistione perfecta toti massæ commisceret, nihil fieret de totali illa massa fermentata, quin diceretur fieri de illo fermento. Et si illa massa maiori commisceretur, rursus quasi innumerabiles fermentare posset panes, &c. Constat autem naturam humanam in Adam primitus fuisse vitiatam, vnaque cum semine propagari in posteros, nec non originale peccatum vna cum semine & natura humana, traduci in omnes filios ex Adam propagatos.

Cap. Nuper.

Lib. 13. de Ciuit. Dei, cap. 14.

Similitudine probat, quomodo peccatum Adæ in omnes descenderit?

Ne au-

Neq autē paralogiſemur huiuſmodi ſermonibus, & arbitremur in ſemine deciſo humanam eſſe naturam, aut culpam, itaque conſequenter cum eodem ſemine traduci rationalem hominis animam: operæpretium eſt conſiderare, quod dicentes, naturam humanam aut latere in ſemine, aut cum eo traduci, non intelligamus, quod virtus formatiua naturæ humanæ, aut rationalis animæ lateat in ſemine hominis, perinde atque virtus formatiua animæ irrationalis in ſemine latet bruti animalis, Rationalem enim animam ad ſolius Dei imaginem & ſimilitudinem conditam, non ab Adam, ſed à Deo ſolo accepimus. Sed intelligamus, quod ibi lateat virtus naturæ diſpoſitiua, & humani corporis formatiua, ad recipiendam deſuper rationalem animam, quam Deus ſolus creando infundit, & vnit carni per cauſas naturales in differentijs partium atque membrorum præparatæ & diſpoſitæ. Et ad iſtum ſenſum intelligendæ ſunt illæ loquendi formulæ, quibus aſſerimus naturam humanam in Adam vitiatam, in poſteros propagari, eamque non actu, ſed virtute latere in ſemine, quemadmodum arbor latet in ſemine, ſed virtute non actu, ſic in ſemine non eſt actus videndi, ſed eſt ibi vis generatiua viſum habentis hominis, tali modo in ſemine, neque eſt rationalis creatura, neque natura humana, neque originalis culpa, quia omne peccatum eſt quid ſpirituale, vnde non ſubiectatur in corporali materia, ſicut nec oppoſita iuſtitia. Nec obſtat ſententia Iob: Quis poteſt facere mundum, de immundo conceptum ſemine? quia appellat ſemen immundum, non quod in eo velut in ſubiecto ſit culpabilis immundicies, ſed quod in eo ceu cauſa inſtrumentali ab Adam deſciſa ſit originalis immunditia. Quod autem eſt in aliquo, vt in cauſa inſtrumentali, non eſt in eo vt in ſubiecto, ſed ab illo fit, ac in illo producitur, perinde atque omnes vires animales & ſenſus ſunt in ſemine, latentque in eo, quod tamen nequaquam eſt ſubiectum harum virium ac ſenſuum. Solent hic variæ proferri ſimilitudines, ſicut de pomo mundo, manu immunda concluſo, & de vino optimo vaſi acetoſo infuſo, quod ſuum ingenitum perdendo ſaporem, contrahit alienum, haud ſecus anima quando carni incipit eſſe vnita, ſuum etiam naturalem amittit vigorem. Caro tamen in ſe abſque anima, teſte Bonauentura, eruditiſſimè hæc edocente, quantumlibet praua vitietur diſpoſitione, aut ſcindatur, aut lædatur, neque dolet, neque memoratur, aut obliuiſcitur, nec aliquibus ſubiacet paſſionibus, ſecundum Auguſtinum, ſed anima carni mortali iuncta, ſecundum varias carnis

Peccatum originale an in ſemine?

Cap. 14.

Similitudines aliquot.

Matth. 9.
Marci 2.
Diſt. 31. lib. 2. articul. 1. quæſt. 2. & art. 2. quæſt. 1.
Lib. 10. de Geneſ. ad lit. cap. 12.

carnis dispositiones, dolore afficitur, obliuiscitur, &c. Istud Solis radijs clarius vno ostendatur exemplo: Caro de se non dolet, nec est in ea passio doloris ante animæ aduentum, quamuis incisio queat inesse. Ponamus ergo animam vniri carni incisæ, & læsæ statim cum ei vnitur, sentit dolorem, dicimusque dolorem nasci in anima, non in incisione. Si carnis incisio queat, animam facere dolentem, quare non similiter carnis quædam fœdatio facit animam lasciuam? Non tamen credendum est, quod ipsius concupiscentiæ carnalis causa sit in sola anima, aut etiam in sola carne: de vtraque etenim fit, ex anima videlicet quod sine illa nulla delectatio sentiatur: ex carne autem quod sine illa carnalis delectatio non cognoscatur. Ex iam dictis vtcumque constare potest, quomodo per carnis contubernium anima contrahat peccatum, ac etiam malum in carne habitans (modo quodam ei contrario, secundum quem incipit esse in nobis) sumat originem: Nam in Adam peccatum illud, ex Adam descendit in carnem, & membra ac vires quibus ipsa Adæ voluntas vsa est, actualiter delinquendo, itaque ratio partem corrupit sensualem, & voluntas carnem. In nobis autem originalis culpa corruptioque animæ & virium eius, redundat ex consortio carnis, atque ita est in nobis, & in primo Adamo contrarius huius rei processus. Atqui his obijciet aliquis, Architectus prudens, & artifex non reponit thesaurum in corrupto vase, vbi rubiginem contrahere posset, præsertim cum mundum in promtu habere queat, non ergo rationabiliter anima innoxia coniungitur carni vitianda. Respondendũ est, statutã esse à Deo primitus legẽ, qua anima ipsi infunderetur corpori. Cum autẽ Adã iustitiã originalem pro se, & sua posteritate recepisset, per præuaricationem iusto Dei iudicio illa destituimur, & obnoxij efficimur, non primordiali institutione, sed peruersa Adæ voluntate. Potuisset quidem Deus post peccatũ Adæ impedire generationem, & alios creare de tellure homines, qui nascerentur insontes: at hominis malitia non debuit æterno præiudicare diuinæ ordinationis decreto. Deinde concedatur quod paruuli contrahant peccatum originale, ab ijs qui contraxerunt, Sed nemo dare potest quod non habet, aut inquinare qui est mundus, ergo baptizati vtpote mundi, non generant filios peccato aut damnationi obnoxios. Istud fuit cauillum Iuliani, teste Augustino, hoc modo opponentis: Non peccat qui nascitur, non peccat qui genuit, nec ille qui condidit, per quas igitur rimas originale irrumpit peccatum? Cui quibusdam similitudinibus respondet

In carne sola non est passio.

Opposito modo quàm in Adam, nobis inest peccatũ originale.

Obiectio.

Diluit obiectum.

Obiectio qua triumphabat Iulianus.

Li. 2. de nup. & con. cap. 28.

Lib.3.de pec. me.& remiss. cap.8.& lib. 6. contra Iulia. cap. 3. & 9. Epistola 105. ad Sixtum.

respondet beatus Augustinus. Sicut palea, inquit, quæ à tritico separatur humana industria, nascendo exurgit in agro tritici, quod mundissimum fuit satum, ita peccatum originale trahitur à iustis & baptizatis parentibus. Simili ferme comparatione idem alibi demonstrat: Sicut, inquit, agricolas non impedit, quo minus ab eis inferendi cura, in oleas conuertantur oleastri, siue de oleastris, siue oleis oriantur: ita in agro Christi non impedit operarios, quominus ab eis in remissionem peccatorum baptizentur infantes. Nam etsi hoc rustico proponatur, vt respondeat, quæ sit causa, vt cum sit aliud olea, aliud oleaster, non tamen nisi oleaster de semine vtroque nascatur: Non omittit inferendi curationem, etiam si nequeat hanc soluere quæstionem. Idem habet alibi: Sicut, inquit, gignitur ex oleastri semine oleaster, & ex oleæ semine, non nisi oleaster, cum inter oleastrum & oleam plurimum distet, ita gignitur & de carne peccatoris, & carne iusti vtrinque peccator, quamuis inter peccatorem & iustum discriminis sit plurimum. Proles siquidem iusti vel iustorum, non per spiritualem genesim, sed per carnalem seminatur concupiscentiam: Et quod parentes sint iusti & timorati, hoc non est secundum carnem, quæ nondum per nouitatem perfectam, reliquias totius vetustatis commutauit. Sed iusti sunt secundum animam & spiritum, quo filium non gignunt. Vnde consequitur, vt quisquis ex parte vetusta, & infirma nascitur, necessum sit etiam infirmetur, secundum Augustinum, & Concilium Tridentinum: Si quis paruulos, inquit, recentes ab vteris matrũ baptizandos neget, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti, anathema sit. Potest & alia similitudo ad idem adstruendum proferri: Ciuitas namque vel progenies potest esse Regis seruitio propter aliquam infidelitatem obstricta, iam si Rex legem ferat, qua quemcunq; Regiæ maiestati sacramentis militaribus adscripserit, liberum in propria efficiat persona, profecto filij vteri eius, manebunt nihilominus duro seruitutis capistro mancipati, sic se res habet in proposito. Potest item & alia probari ratione, quia infantes etiam à iustis generati, mox vt sunt in lucem effusi, habet ignorantiam & cæteras quæ sunt peccati pœnæ, infirmitates: Quia immediatè simulatque corpori sunt vniti, cõtrahunt pœnam, sequitur quod naturali ordine intelliguntur habere culpam. quia alioquin pœnę, quod esset iniustum, præcederent culpam. Denique quemadmodum habet Augustinus, Christus pro omnibus mortuus est, infantes non habent actualem impietatem, quomodo pro omnibus impijs esset mortuus, si à baptizatis parenti-

Lib. 1. de nupt.& concup ca.19.& lib. 2.ca.34.

Lib. 2. de pecc. me.& remiss.cap.9. & 27.

Sess.5.cap.5.

Li. 1 de nup. & concup. ca. 2?. & lib.1. de peccato.& remis.cap.18.

parentibus non contraherent culpam originalem? Quanquam humanus intellectus assequi non sufficiat, qualiter ista contrahatur impietas, ab illis qui illam non habent, scripturæ tamen magis creditur, quàm clarè intelligatur. Miris quidem modis fit, sed tamen fit, & quia haud facile ratione indagatur, nec sermone explicatur, ideo ab infidelibus non creditur, secundum Augustinum, qui nec in hoc argumento sibi satisfacere potuit. Nequaquam tamen ambigit, quin fides Catholica sacris scripturis confirmata teneat verissimè, omnes contrahere peccatum: Ecce, inquit, in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et alibi: Omnes nascimur filij iræ, Per hominem vnum peccatum intrauit, &c. ita vt omnes in Adam moriantur. Et ad amputandum omne ambiguitatis malum, Augustinus Epistola prælibata non incongruum de illo, qui lapsus est in puteum, adducit paradigma, quem alius accedens, & eo viso admirans ait, quomodo huc cecidisti? At ille: Obsecro, inquit, cogita quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ceciderim quæras. Sic quia fatemur & fide Catholica imbuti firmissimè tenemus, quod de reatu peccati, tanquam de puteo paruuli infantis naturam baptismatis lauacro liberemus, satis sit nobis, quod quomodo salua fiat cognoscamus, etiamsi nunquam quomodo in malum illud deuenerit, nouerimus.

Lib. 6. contra Iuli. cap. 2. lib. 1. de nup. & concup. cap. 20. Lib. 3. de baptis. paruul. cap. 4. Et Epistola 29. ad Hier. Psal. 50. Ephes. 2. Rom. 5. 1. Cor. 15. Congrua admodum similitudo lapsi in puteum, & peccatum originale.

Peccatum originale an dici queat voluntarium?

CAPVT XVI.

Ex omnibus quibus hoc argumentum ab Augustino explicatur locis, Magister conuenientissimum elegit. Ac in primis ne quis fallatur, non dixit Augustinus originale peccatum esse voluntarium, nisi voluntate parentis, vt ob id duntaxat voluntarium sit, quia primi hominis voluntate contractum est, sed quia ex primi hominis mala voluntate contractum, factum est quodammodo omnibus hæreditarium. (Malum autem hæreditarium vocatur, quod similis eiusdemque sit speciei) atque ex parentibus contrahitur, velut si ex parente podagrico podagricus, ex hernioso herniosus, & calculosus nascatur. Voluntariū itaque est, quia sic ex illa primi parentis voluntate contractum est, vt similis voluntatis peruersitas, tanquam hæreditarium quoddam malum in posteros transmitteretur, & sicut ille voluntatem haberet iam prauam

Dist. 32. §. F. lib. 1. Retract. 5.

& vitiatam, ita nascentes in parente haberemus habitualiter. Rectè autem ab Augustino dictum est (quodammodo) quia tametsi malum, quod ex primo parente trahimus, simile sit illius primæ voluntatis malo, aliqua tamen ex parte est dissimile. Siquidem in paruulis mala voluntas habitualis in Adam actualis fuit. Hanc similitudinem respiciens, Veterem, inquit, vitam de Adam trahimus, vt quod in illo fuit voluntarium, in nobis fiat naturale. Vtramque autem & similitudinem & dissimilitudinem, idem Augustinus annotat, ex Epistola ad Romanos, cum in Epistola ad Hilarium tractat illud, Regnauit mors ab Adam, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ. In eo, inquit, quod ait, Qui non peccauerunt: dissimilitudo est, nam propter actuale peccatum, quo paruuli carent, hoc additur: in eo verò quod additur in similitudinem, similitudo designata est peccati, nascentium cum peccato primi parentis: quod enim ab Apostolo dictum est, in similitudinem, sic eo loci exponit Augustinus, vt præpositio (in) idē valeat quod (propter) hoc sensu: Regnauit mors ab Adam, etiam in paruulos peccati actualis expertes, quia inest eorum membris similitudo præuaricationis Adæ, id est, quia prauum & vitiosum, sibique dominantem habitum natiuitate contrahunt, & in se latentem habent, qui primæ præuaricationi in eo similis est, quod displiceat, quod legi aduersetur, quod punitione sit dignissimum: Atque hanc esse Augustini mentem, ex eodem Retractationum libro cuiliber potest esse contestatissimum: Sicut Adam duo transmisit, reatum, & voluntatem malam, sic per Christum reatum solui, & in grandibus bonam dicit præparari voluntatem. Cur autem bona voluntas præparatur, nisi quia ante bona non fuerat, sed mala? In Epistola ad Vitalem, docet liberum arbitrium paruulorum liberari à potestate tenebrarum. Et apertius libro de Natura & gratia, dicit omnes peccatis subditos nasci, impiaque voluntate, licet ergo non vtantur adhuc libero voluntatis arbitrio, non absurdè tamen vocatur voluntarium, quia ex prima hominis mala voluntate contractum, factum est quodammodo hæreditarium.

Lib. contra Adimantum Manich. cap. 21.

Cap. 5. Quæ est numero 89.

Adæ peccatum in nobis voluntarium.

Lib. 1. cap. 13. Adam duo transmisit.

Cap. 67. & lib. 1. cont. aduersa leg. & pro cap. 22. Vide in sequentibus articulum quomodo concupiscentia in non renatis sit peccatum.

Infantibus peccatū est nō imitatione, sed propagatione.

CAPVT XVII.

TRiplices super hoc doctrinæ capite reperiuntur errores, quorum duo secum pugnant, tertius quasi ab vtroque exorbitando vagus aberrat. Sicut namque in Tractatu, de

gratia

gratia,& libero arbitrio,Pelagius,& Lutherus, ſibi mutuo ſunt cōtrarij,dum Pelagius legis impletionem viribus liberi arbitrij attribueret, Lutherus autē nihil libero arbitrio,ſed totum gratiæ Dei adſcribit. Sic Lutherus hic dogmatizat,paruulos etiam iam baptiſmo percepto eſſe peccato originali obnoxios. Pelagius verò ipſos, nec quidem ante baptiſmum cenſet eſſe obnoxios,quia aſſeuerat ſolis Adæ & Euæ,originale nocuiſſe peccatum,& paruulos ab omni labe peccati naſci immunes,teſte Auguſtino. Huius errori propemodum conformis eſt ſententia Manichæi, dicentis: Infantes quidem non trahere peccatum à prothoplaſte Adam,ſed à carne authore malo creata,in hoc Pelagio conſentiens, quod non à parentibus trahant, quanquam non abſolutè confiteatur eos innoxios, vt Pelagius, ſecundum Auguſtinum. Nequaquam tamen Pelagius, eos baptiſmo fraudare voluit,non propter peccatum abluendum,ſed vt aditus regni cæleſtis illis pateret, fuiſſent namque ſine baptiſmate (vtpote ſecundum illum nulli peccato obnoxij) in æterna vita,ſed regnum cælorum non obtinuiſſent. Atque hunc errorem quodāmodo habet cum Hierarchitis communem,quaſi vita æterna alia ſit,quàm regnum cælorum,& quaſi vita æterna ſit extra regnum cælorum. Sed quiſquis,inquit Auguſtinus,ad regnum cælorum non pertinet, ille pertinet haud dubiè ad damnationem, quia nullus locus eſt medius,vbi ponere queas infantes,Dominus enim venturus, faciet duas partes, dextram, & ſiniſtram, & qui non eſt in dextra,id eſt, æterna vita, & regno cælorum, erit in ſiniſtra. &c. Cum autem ſcripturarum teſtimonia ipſum erroris clariſſimè conuincerent, haƈtenus ceſſit reprehenſioni, vt infantes peccatum contrahere adſeueraret, non quidem propagatione, ſed imitatione. Cui tum opponitur: Si morum imitatione peccatum ſit paruulis, quem imitatus eſt diabolus? vt præuaricaretur,qui primus inuenitur malorum inuentor? Quia ſi de Adam interrogaretur,forſan diceretur, quod ſit diabolum imitatus, quod tamen in ſacris non offenditur eloquijs: Atqui Caim primogenitus eius filius, quem eſt imitatus? quando fratrem crudeli auſu peremit? Si morum ex altero in alterum tranſire conſtat imitatione peccatum, quomodo per vnum hominem, peccatum intrauit in mundum,& per peccatum mors, atque ita in omnes homines pertranſiuit, in quo omnes peccauerunt, Caim ſiquidem primus peccatum in vtero matris contraxit,& tertius homo natus eſt peccator,& mente paterno peccato captiuata, à diabolo inductus eſt, ad liuorem, ac inuidiam, quare non morum imitatione fratricidium,ſed voluntate præcipitatus.

Error Pelagij & Lutheri diuerſus.

Manichæorū, hæreſis qualis?

Hæreſ. 88.
Epiſtola 91. & 92. ad Innocent. & 106. ad Paul.
Lib. 4. contra 2. Epiſtolas Pelag. cap. 4.
Lib. 2. de anima Chriſti, 2. & 3.
Et lib. 2. de anima, et eius orig. cap. 12.
Hæreſ. 47.
Serm. 14. de verbis Apoſtoli.

Vita æterna & regnum cælorum non differunt.

Rom. 5.

cipitatus commisit. De tertio errore hic nihil duximus dicendum, quod priora capitula eum non infœliciter eliserint.

Infantes solum primum, primi hominis contrahunt peccatum.

CAPVT XVIII.

QVum quæritur, vtrum peccata commissa post primam Adæ transgressionem generatione in posteros transeant, perinde est, atq; inquiratur: Vtrū sola prima præuaricatio, naturā hominis in deterius mutārit. Profectò apud Augustinum, & Concilium Arausicanū, disertis docetur verbis, quod prima duntaxat Adæ transgressio transierit in posteros, quia illo primo peccato vniuersa natura, tam secūdum animam, quàm secundum corpus est corrupta, ex qua fuerat propagatio ducenda, propterea non sequitur: Peccauimus in Adam, quando primò peccauit, ergo peccauimus in eodem, quando secundò, aut tertiò peccauit. Quia paruulus, cùm nascitur, habet originale peccatum, non quia homo, non quia persona, non quia fuit in lumbis Adæ, nec etiam, quia fuit in Adamo peccante, sed quia fuit in Adam primò peccante, & naturam humanam in posteros propagandam vitiante. Infans siquidem habet naturam per voluntarium Adæ peccatum corruptam, originalique iustitia destitutam. Destitutam, inquam, per primum Adæ peccatum, non per secūdum, aut tertium. Atq; ita non oportet, si peccauerimus in Adam peccante, quod idcirco peccauerimus, in parentibus nostris, in quorum lumbis, quādo peccauerunt, extitimus. Nam primum Adę peccatum corrupit naturam humanam corruptione, cum natura propaganda in posteros transeunte. Peccata verò aliorum hominum, non corrumpunt naturā vlla corruptione transeunte in posteros, propagandam, licet ipsi delinquenti corruptionis fomitem administrent, teste beato Ioanne Chrysostomo, & Augustino, necnon D. Thoma, qui existimat impossibile, alia proximorum parentum peccata, vel etiam primi parentis, pręter primum peccatum origine traduci, quia homo, inquit, generat sibi idem in specie, non in indiuidui ratione. Quocirca, quæ ad indiuiduum pertinent, non traducuntur, non enim Grammaticus in filio generat scientiam Grammaticæ, quam summo sudore comparauit, sed ea quæ pertinent ad naturam speciei à parentibus in filios traducuntur: Sic oculatus generat oculatum, bipes bipedem, nisi defectus sit in natura,

Lib. 3. contra Iulia. cap. 26.
2. Canone 1.
Homil. 41. in Acta Apostolorum.
Lib. 14. de Ciuit. ca. 12.
1.2. quest. 81.

qualis potuit esse (quanquam & aliæ à Philosopho proferantur causæ,) in parentibus illius monstrosæ puellæ infantis, anno Dominicæ incarnationis 1566. Mensis Ianuarij, die 27. circa horam vndecimam, in pago Hannoniæ diœcesis Cameracensis, Semeri nuncupato, in lucem editæ, quæ in superioribus corporis partibus, geminata erat fœmella, in inferioribus autem simplex, habebat siquidem (instar illius, de quo beatus Augustinus, libr. 16. Ciuitatis Dei, capite octauo. Historia vitæ diui Gregorij, nec non Ioannes Scotus, libr. 4. distinct. 6. quæstione 2.) duo capita optimè disposita, atque inter vtrasque scapulas brachium extensum duabus manibus portentosum, præter alias duas dependentes, reliqua verò exteriora simplicia, ita tamen, vt simplicitas illa vtrique capiti corpulentia, & crassitudine esset proportionata. Interiora erant duplicata, nam vtrumque corculum intestinis geminatis, nec non pulmonibus, atque renibus, vno vtrique iecore existente, mirabili Dei optimi maximi in æternum benedicti opificio (nihil enim fit, quod non de interiori aula illius Imperatoris egrediatur, secundum suam ineffabilem iustitiam) proportionabatur, & obstetricis industria aquis perennibus abluta, fœliciter infœlix migrauit ad astra. Atqui his aduersari videtur Psalmographus, inquiens, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, quia in peccatis concepit me mater mea, ergo paruuli contrahunt etiam aliorum peccata parentum, quàm Adam, quia alioquin dixisse suffecisset: Ecce in iniquitate, &c. in singulari. Respondendum est, quod istud argumentum dilui queat per Enallagen numeri, scripturis diuinis admodum familiarem, vti luculenter edocet sanctus Augustinus. Sic singularis numerus ponitur pro plurali, quando dicitur: Ora ergo Deum, vt auferat à nobis serpentem, non ait serpentes, quos patiebatur populus, & contra pluralis exprimitur pro singulari: Mortui sunt qui quærebant animam pueri, non mortuus est, cùm loqueretur de Herode. Item fecerunt sibi deos aureos, cum vnum erexissent vitulum. Potest & alio solui modo, dicendo nostram translationem, quæ habet: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis, (id est, quia in peccatis Etiologicωs, id est, causatiuè, sicut ibi, benedicta tu in mulieribus, & benedictus, id est, quia benedictus fructus, sic Pater vester circumuenit me, & mutauit, id est, quia mutauit) similiter & Græcam, mutasse numerum, cùm in Hebræo habeatur in singulari: Ecce in iniquitate conceptus sum, & eodem numero sequitur, in peccato concepit me mater mea.

Lib. 2. Physicorum, cap. 81. & 82.

Monstra humani corporis.

Obiectio.

Psalm. 50.

Prior solutio.

Enallage numeri.

Enchiri. cap. 44.

Numeri 2.

Matth. 2.

Exod. 32.

Posterior solutio.

Lucæ 2.

Genes. 31.

Habitualis concupiſcentia parentum, cauſa an originalis peccati in prole?

CAPVT XIX.

PRofectò mihi hic dicendum videtur, libidinem, ſeu concupiſcentiam actualem, non eſſe cauſam originalis peccati, quamlibet magna & incitata ſit, qualis eſt in adulterino concubitu, ſed corruptionem naturæ tantum, quam parentes proximi traxerunt ex Adam, vt idcirco tantum corrupti vitiatiq; naſcuntur, quia ex corruptis, & vitiatis hominibus ducant originem. Non igitur actualis cõcupiſcentia, ſed habitualis cauſa eſt originis. Quę res aliquot rationibus elucefcet. Si feruor libidinis in proximorum parentum coitu, cauſa eſſet originalis in prole peccati, tum potius proximi parẽtes, quàm Adam cenſendi eſſent originale tranſmittere peccatum, magisq; vitio proximorum parẽtum, quàm primi præuaricatoris Adæ, peccatores conſtitueremur. Deinde maius eſſe debere videretur peccatũ eorum, qui concepti eſſent, maiore, & ardentiore parentum libidine, quàm ij, qui minore, maiusq; illorum qui ex adulterio, quàm eorum, qui ex honeſto, ſanctoq; coniugio ſuſcepti eſſent, peccatum originale foret. Denique, ſi quiſquam ſine libidine generaretur, quod fortè poteſt fieri à muliere dormiendo concipiente, is peccato originali careret. His ita conſtitutis Bonauenturæ, & Thomæ, præ cæteris aſſentior, vt arbitrer, non actualem concupiſcentiam, ſed habitualem corruptionem naturæ, ſolam originalis vitij cauſam eſſe. Actualis ergo libido parentum proximorum, non eſt cauſa contracti in filio peccati, ſed ſignum euidentiſſimum, quia parẽtes, non ſine libidine prolẽ genuerunt, & proinde Chriſtus ab omni peccati labe creditur immunis, quia non libidine generatus, ſed Spiritu S. cõceptus. Declarat etiam ſancta Synodus Tridentina, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam (annota verba, ſigna myſteria) virginem Mariam, Dei genitricem, ſed obſeruandas eſſe conſtitutiones (non ponit conſtitutionem) fœlicis recordationis Sixti papæ, ſub pœnis in eis contentis. Signum ad modum cauſæ, ſubinde exprimitur, vnde dicimus, non fuit ignis, quia nullus apparuit fumus, & ignis adeſt, quia fumus cõſpicitur, cùm tamẽ non cauſa ignis fumus, ſed ſignum tantum ſit. Neque ſignum tantum eſt eius corruptionis, quam proles ex parente contrahit, ſed etiam ſignum eſt, indicans habitualem naturæ gignentis prauitatem, ſicut

Diſt. 31. art. 2. quæſt. 3.

Seſſ. 5. Maria virgo ab omni labe peccati immunis.

ſicut effectus cauſam, mediãteque illa corruptione indicat prolem, originale contrahere peccatum. Conformis eſt huic expoſitioni diuus Auguſtinus. Sine libidine, inquit, & vlla carnis pudenda concupiſcentia, quæ accidit ex peccato, fieri non poterat, vt hinc doceret, omnem quæ de concubitu naſcitur, carnem eſſe peccati. Aduerte quod non dicat actualem libidinem eſſe cauſam peccati originalis, ſed certum eſſe documentum, illum habere peccatum, qui concipiatur cum libidine, eumq; non habere, qui citra libidinem conceptus ſit. Atque hoc modo vniuerſa, quæ à Magiſtro diſtinctione 31. §. H. dicuntur intelligenda ſunt: ad gloriam & laudem eius, qui regnat in æternum, benedictus, & ſuperexaltatus. Amen.

Filius quomodo portet iniquitatem patris?

CAPVT XX.

EX prelibatis naſcitur alia quęſtio, an videlicet actualia parentum peccata, ſaltem pœnam in poſteros tranſmittant, ſi non culpam, ita quod ex actualibus parentum peccatis, filij ſint alicui pœnæ obnoxij? Et quod ſic, apertè docet ſcriptura, quando inſinuat, Deum dixiſſe filijs Iſrahel. Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes (de quo pulcerrimè Origenes hoc loci, & Auguſtinus contrá Adimantum Manichæi diſcipulum capite 11.) viſitãs iniquitatem patrum in filios, in tertiã & quartam generationem eorum, qui oderunt me. Pro clariori huius ſententiæ intellectu videndum eſt, qui ſint hi filij, qualiq; pœna plectendi, ac quouſque protrahatur punitio, filij hic accipiuntur non quilibet, ſed illi duntaxat, qui malignos ſectantur parentes, quia nõ debet alicui mirum videri, inquit ſanctus Hieronymus, ſi quod in parente præceſſit, etiam in filijs condemnetur, ita vt non ſolum peccato parentũ, ſed ſuo proprio puniantur ſcelere. Deus autem iratus bipharià conſueuit peccata viſitare parentũ, ac in filijs punire. Priori modo peccatis tanquam pœnis, & hoc rurſum dupliciter. Priori modo, quia nõ eruit eos de maſſa peccatorum, ſed eos in fecibus criminum relinquit, queadmodum indurare dicitur, quos non emollit, teſte Auguſt. Altero modo dicitur peccatis parẽtum, peccata caſtigare, quia proponit filijs praua parẽtum exempla, vt domeſtico prouocati malo peruerſe agant. Suntq; iſtæ grauiſſimæ pœnæ, quibus Deus homines affligere conſueuit, ſecũdum Auguſtinum, vbi edocet quædam ſic exiſtere peccata, vt etiam non ambigantur pœnæ peccatorum. Verum hæc doctrina duplici ſcrupulo eſt expoſita: Quia vno

Exod. 20. Filij qui hic dicantur. In 2. cap. Hiere. & 6. cap. Oſeæ. Peccata patrum in filios viſitat Deus bipharìam. Epiſtola 105. ad Sixtum de prædeſt. & gratia, cap. 4. & Serm. 88. de tempo. Lib. 7. contra Iul. cap. 3. de natura & gratia, cap. 22 & lib. 13. contra Fauſtum, cap. 11.

modo Deus, videbitur iam author mali culpæ, si peccata peccatis vindicet. Alter est, quod cùm omnis pœna sit voluntati contraria, non videtur fieri posse, vt peccatũ quod est voluntarium, teste Augustino, habeat rationem culpæ. Respondendum est, secundum eundem, quod Deo non tribuatur peccatum, sed iudicium, hoc est, iusta vindicta. Deinde peccatum, secundum Thomam, habet rationem pœnæ, non secundum suam formam & naturam, (sic enim consideratum proficiscitur ex voluntate) sed secundũ suam causam, ex qua oritur, puta subtractionem diuini beneficij, quo seruabatur homo, ne in peccatum corrueret. Hoc occulto, & seuerissimo iudicio vindicat Deus peccatum, quando prioribus parentum peccatis iustè offensus, subtrahit gratiam, quo fit, vt partim dæmonum instinctu, partim propria infirmitate labatur in peccatum. Secũdò modo punit Deus parentum peccata in filijs, flagellis quibusdam, sic filij Israhel de Ægypto egressi aduerterunt exigentibus peccatis parentes suos grauissimis pœnis afflictos, nec tamen modestiores effecti maiores pœnas dare debuerunt, quã si parentum flagella non vidissent, teste D. Ioanne Chrysostomo. Hi filij, certè hic incipiunt sentire flagella, vt nunquam in sæcula sæculorũ puniri desinant, quia non condemnãtur, nec flagellantur propter parentũ peccata solum, sed etiã propter propria, quæ addere non formidant. Vnde subdit scriptura: (Eorum qui oderunt me) quasi dicat: quandoquidem eadem audetis, quæ parentes obdurati, iustum est, vt illis similes detis pœnas. Sic enim eum enucleat passum, sanctus Hieronymus, & Gregorius Magnus. Quisquis, inquit, praui parẽtis iniquitatem imitatur, etiam ex eius delicto cõstringitur, & iniquus filius, iniqui patris, non solum sua, quæ addidit, sed etiam patris peccata, persoluit, nã peccatis patris, quibus iratum Dominum non ignorat, etiam suam malitiam adiungere non expauescit. Si autem peccatum eius, & iniquitatem non imitetur, nequaquam delicto eius grauatur, sicuti docet beatus Augustinus, vbi insinuãt Prophetæ, filium iniquitatem patris non portaturum, qui intelligunt de filijs, qui cõuertuntur ad Deum, nec imitantur peccata parentum. Peccata siquidem parentum non obsunt illis, inquit Augustinus, præfato loco, qui iustitiam sectando illis sunt dissimiles. Hinc dilucidè docet Hieronymus, & Augustinus, & Thomas, quod vnus pro altero nunquam pœnas dabit æternas. Nec credendum, inquit, pœnis, quæ post mortem irrogantur, alium pro alio posse damnari. Et Augustinus: Semel regeneratus non potest vinculo alienæ iniquitatis obstringi, cui nulla sua voluntate consentit. Anima namque, quæ pec-

Libr. 1. Retract. cap. 13. & lib. de vera Religione, cap. 14.
De prædest. sanctorum, cap. 10.
1. 2. quæst. 87. art. 2.
Homil. 55. super Ioan.
In cap. 8. Ezech. lib. 15. moral. cap. 31.
Priori expos. super Psalm. 108. ex scrip. Ezech. 18. & Hierem. 31.
Epistola ad Auitum, lib. quæst. in cap. 7. Iosue.
1. 2. quæst. 87.
Epistola 23. ad Bonifacium.
Ezech. 18.

quæ peccauerit ipsa morietur, nihil tamen prohibet, quin temporalibus pœnis, etiam iusti exigentibus parentum peccatis puniantur. Cuius triplicem diuus Thomas adsignat rationem: Vna est, quia pœna æterna non infligitur alicui ad profectum patientis, sed ad vindictam culpæ, sed pœna temporalis interdum infertur ad profectum patientis. Vnde sicut quandoq; aliquis sine culpa, punitur temporali pœna, ita etiam interdum aliquis punitur pro peccato alterius ad profectum sui vel aliorum, vt videlicet cognoscatur, quam cordi debeat esse nobis, ne corruat in peccatum, alterius salus: Ob cuius vnum, tota vel ciuitas, vel regio exterminio subiacet, teste sacro eloquio. Secūda ratio est, quia quantum ad temporalia, vnus homo est alterius ditioni subiectus, & quodammodo res alterius affligitur, sic filius est res, & aliquid patris, secundum B. Thomam, quare non rarò temporalia paternæ iræ flagella sustinere cogitur filius, vti liquidò constat in paruulo ratione peccatorum Dauidicorum è viuis sublato. Tertia ratio est, quia interdum aliquis est alterius particeps culpæ. Sic culpa subditorum aliquando prælati corruere præcipites in peccatum permittuntur, itaque magna non debet nos inuadere admiratio, si propter delicta prælatorū, subditi aliquando luere cogātur. Huius autem tēporalis punitionis triplex offenditur modus. Primò, iactura bonorum tēporalium, quam Roboā regnū Israël perdēdo peccato patris sui Salomonis, perpessus est. Secūdò, punitio non fit dūtaxat in rebus tēporalibus, verū etiam afflictione mortis corporalis, nec non aliorū huius generis malorum immissione. Sic plurimi fuēre propter furtum Achā interfecti. Et nautæ peccato Ionæ periclitabātur. Tertiò, Deus malorū peccatis exasperatus, punit innoxios, dum eorū preces propter malos exaudire recusat. Tu noli orare pro populo hoc, quia nō exaudiā te. Et si steterint Moyses & Samuel corā me, nō est anima mea ad populū istū, vti declarat D. Ioānes Chrysost. Deinde subditur in scriptura, in tertiā & quartam generationem, idcirco, inquit August. in tertiam & quartam progeniem, se reddere promisit, vt si post patrem malum, filius non sequatur perfidiam paternæ iniquitatis: Nepos autem aui imitator existēs in malis sciat se non immunem futurum, à seueritate sententiæ: aut si nepos fortè non aui, sed patris sequutus vestigia testamentum Dei diligat, non ignoret pronepos, ad se vsque peruenire sententiam, si æmulatus sit proaui perfidiam. Vel secūdum Gregorium, & post eum Hugonem de S. Victore, in Annotationibus super Exodum. Ideo dictum est in tertiā & quartā generationem, quia vsq; illuc possent parentes viuere, & cum mœ-

In scripto 4. dis. 46. quæs. 2. ad sol. 3. argumenti.

Iusti temporalē nō æternam parentū pœnam, quare sustineant?

Iosue 7. & 2. Reg. 24.

1. 2. *quæs.* 87.

2. Reg. 12.

2. Reg. vlt.

Pœna temporalis, tribus modus fit.

3. Reg. 11. & 12.

2. Paral. 20.

Iosuæ 7.

Ionæ 1.

Hierem. 7. & 15.

Homil. 79. ad Antiochenos.

Exod. 20.

Quæst. vet. & noui test. 14.

Lib. 15. Moral. cap. 31.

cum mœrore videre, quanta in prolibus cogantur exigentibus culpis, sustinere flagella.

Diluuntur aliquot obiectiones, contra peccatum originale militantes.

CAPVT XXI.

OStendamus iam paucis oportet, quibus moti sint rationibus, vel argumentis aduersarij, vt sibi persuaderent peccatum originale non esse agnoscendum, quod sola propagatione, & non imitatione in omnes Adæ posteros trãsmittatur. Ea recẽset ipsemet Pelagius in expositione quinti capitis, Epistolæ ad Romanos, ad illa verba, Sicut per vnũ hominem peccatum intrauit, non tamen ex propria sententia, teste August. quod & ipsa Pelagij verba sonare videtur. Ita siquidem scribit Pelagius, secundum August. Hi autem, inquit, qui contra traducem peccati sunt, ita illam impugnare nituntur. Si autem, inquit, peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo & Christi iustitia, etiam non credentibus prodest, quia similiter, imò & magis dicit per vnum saluari, quàm per vnum ante perierunt. Ita Pelagius: Quod cauillum apertius erit, si hæc, aut similia adieceris, sed Christi iustitia prodesse, nisi credentibus non potest: ergo nec paruulis non peccãtibus primi hominis peccatum potuit nocere. Atqui haud difficulter istud argumentum refellitur, sicut & reliqua, si obtutus mentis ad Apostoli verba prælibata dirigamus: Quibus testatur omnes in Adam peccasse, id enim, si verum est, quod affirmante Apostolo, nemo inficiari potest, consequens est peccatum prorsus non esse alienum, vt vult argumentum, sed aliquo modo quoque nostrum. Si autem nostrum, quid miri si impietatem sceleris, in primo parente à nobis perpetrati sustineamus: Vt enim qui adulterium commisit semel, licet deinceps tale nihil faciat, tamen est peccator, ilique obnoxius manet, donec indulgentia deleatur, secundum Augustinum, ita omnes posteri Adæ ratione peccati, quod in eo commiserunt, rectè dicuntur esse in peccato, donec per Christi gratiam deleatur. Vtrumque enim nobis tribuit scriptura, & quod peccauimus, & quod peccatores simus, nam hoc posterius, alterum præsupponit. Peccauimus autem in Adam, inquit Augustinus, quando omnes eramus ille homo. Secundum argumentum Pelagianorum fuit: Si baptismus mundat antiquum illud delictum, qui de duobus baptizatis nati fuerint,

Lib. 3. de peccat. mer. & remiss. cap. 3. Eiusdem lib. cap. 12.

Primum Pelagij argumẽtum.

Lib. 1. de nup. & conc. cap. 26.

Lib. 1. de peccat. mer. & remiss. cap. 10.

2. Cauillum.

fuerint, debent hoc carere peccato. Non enim potuerunt ad posteros transmittere, quod ipsi minime habuerunt. Simili argumentandi calumnia vsus est Iulianus, teste August. vt præmisimus. Non peccat, inquit Iulianus, ille qui nascitur, non peccat ille, qui genuit, non peccat ille, qui condidit, per quas rimas inter tot innocétiæ præsidia peccatum fingis ingressum? Cui ibidem respondet beatus Augustinus, Quid quærit latentem rimam, cum habeat ianuam apertissimam. Per vnum hominem, ait Apostolus, per vnius delictum, per vnius hominis inobedientiam, ait Apostolus. Quid quærit amplius? Quid quærit apertius? Hæc tamen quia enucleatius sunt priori quodam articulo dilucidata, non est quod lectori vtcunque pasto siue pacato prius, iterata vice præmansum cibum ingeramus. Tertium argumentum est, contra originale peccatum: Illud quoque accidit, inquit Pelagius, quia si anima non est ex traduce, sed sola caro, ipsa tantum habet traducem peccati, & ipsa duntaxat pœnam meretur, iniustum ergo est, vt anima nó ex massa Adæ, tam antiquum peccatum portet alienum. Verum hic rursum ad Apostoli sententiam, ceu asylum quoddam siue lydium lapidem nobis confugiendum est. Quanquam enim modum propagationis peccati, plenè intelligere nequeamus, cuius applicationem tantum videtur quærere argumentum, tamen de ipsa propagatione minimè dubitandum est, quando pro ipsa habemus irrefragabile Apostoli testimonium, aliaque scripturarum loca, quæ docent nos omnes in Adam peccasse, & quotquot consueta carnis lege nascuntur, peccato nasci obnoxios, teste Augustino. Quartum argumentum est: nulla ratione concedi debet, vt Deus, qui propria remittit peccata, imputet aliena. Sed iam satis superque ostensum est, non esse prorsus aliena, nec immeritò imputari nobis, quod ipsi in primo homine peccantes commisimus, & certè nulli contingit peccatorum remissio, nisi qui particeps fuerit effectus gratiæ Christi. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Igitur reiectis hæreticorum erroribus, firmiter credamus, & fideliter cum Apostolo confiteamur, omnes esse natura filios iræ. Natura, inquam, non quidem à Deo instituta, sed in Adam vitiata. Omnes enim vt dictum est, in vno illo peccauimus, & per ipsum peccatum intrauit in mundum, hoc est, in omnes omnino, qui carnali propagatione (demtis prius exceptis) ab ipso trahunt originem.

Li. 2. de nup. conc. cap. 28.

3. Obiectio.

Lib. 6. contra Iul. cap. 4.

4. Enthymema.

Act. 4.

Rom. 5.

Concupiſcentia circa quæ verſetur.

CAPVT XXII.

Ariminenſis hallucinatur. NOnnulli (quorum de numero eſt Gregorius Ariminenſis)arbitrantur concupiſcentiam circa venerea duntaxat verſari, vt nomenclatura concupiſcentiæ libidinem ſolum importet. Rei veritas autem concupiſcentiam circa eas verſari voluptates ita exiſtimat, vt circa omnes omnino res, quæ contra legem diuinam & rationis rectæ dictamen militant, locum habeat. Siquidem diuus Paulus Apoſtolus hoc do- *Cap. 5.* cet ad Galathas, quando ſcribit carnem concupiſcere aduerſum ſpiritum,& ſpiritum aduerſus carnem. Attendite ſancti,inquit *Ser. 43. de verbis Domini.* Diuus Auguſtinus, quicunque pugnatis, præliantibus loquor. Intelligunt qui pugnant, non me intelligit, qui non pugnat, nam qui pugnat, non ideo intelligit me,ſed præuenit me: quia vult homo caſtus, vt nulla omnino ſurgat in membris eius concupiſcentia caſtitati aduerſaria, pacem vult, ſed nondum habet. Quando enim ad illud ventum fuerit, vt nulla omnino exurgat concupiſcentia aduerſanda, nullus erit hoſtis cum quo luctemur, nec expectatur ibi victoria, quia iam de *1. Cor. 15.* hoſte triumphatur. Audi ipſam victoriam Apoſtolo dicente, Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt, Abſorpta eſt mors in victoria: Audi voces triumphantium: Vbi eſt mors contentio tua? Vbi eſt mors aculeus tuus? Percuſſiſti, vulneraſti, deieciſti, ſed vulneratus eſt propter me, qui fecit me. O mors. O mors, vulneratus eſt pro me, qui fecit me, & de morte ſua vicit te. Et nunc triumphantes dicturi ſunt, Vbi eſt mors contentio tua? Vbi eſt mors aculeus tuus? Modò autem quando caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, contentio mortis eſt. Non quod volumus facimus. Quare? quia volumus vt nullæ ſint concupiſcentiæ, ſed non poſſumus. Velimus, nolimus habemus illas, velimus, nolimus titillant, blandiuntur, ſtimulant, infeſtant, ſurgere volunt, premuntur, nondum extinguuntur, quamdiu caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Nunquid hoc etiam cum mortuus fuerit homo? Abſit. Deponis carnem quomodo tecum trahis concupiſcentias carnis?

Sed ſi

Sed si bene pugnasti, recipieris ad quietem coronandus. Sicut viuimus & senuimus, ita hostes nostri minores quidem sunt, fatigati sunt, per ætatem, sed tamen etiam fatigati non cessant, qualibuscunque motibus infestare senectutis quietem. Nunquam erit vt nullæ sint in vobis concupiscentiæ carnis, sed facite quod potestis, ita vt nō regnet peccatum in vestro mortali corpore. ad obediendum eius desiderijs. Ecce desideria insurgunt, arma te, sume instrumenta bellorum, quæ sunt præcepta Dei. Non regnet ergo peccatum in vestro mortali corpore, id est, non obedias desiderijs peccati, hoc est, non exhibeas membra vestra arma iniquitatis peccato. Surgit libido, tu tene membra, noli armare aduersarium tuum contra te. Tene pedes ne ad illicita exorbitent, Tene manus ab omni scelere. Contine oculos ne videant vanitatem. Tene aures ne libidinosis verborum illecebris hauriant iniquitatem. Tene totum corpus, tene latera, tene summa, tene ima. Redeamus ergo, Non dixit Apostolus: Spiritu ambulate, & concupiscentias ne habueritis, quia necesse est illas habeamus, sed non perfeceritis, decreuisti facere, perfecisti. Si decernas adulterium esse faciendum, & ideo non facis, quia locus non est inuentus, quia opportunitas non datur, quia forte illa casta est, de qua videris esse commotus. Ecce iam illa casta est, tu adulter, quia perfecisti concupiscentias, hoc est, in animo tuo faciendum adulterium decreuisti, mortua est iam filia, sed intus iacet. Si vsque ad membrorum perpetrationem perueneris, elatus est foras. Sed est & tertius mortuus, qui designat pondere prauæ consuetudinis, tanquam humo oppressos, nec hos quidem Christi pietas deserit, quin potius ex putidis tumuli peccatorum penetralibus, rediuiuos educit. Licet ergo vt oratio recurrat vnde exordium sumsit, Concupiscentia carnis illecebras comprehendat, teste Apostol. Epistola ad Galatas, reliqua tamen vitia non excludit. Magnam siquidem vitiorum congeriem producens, nempe infidelitatem, odium, desperationem, iniustitiam, superbiam, &c. quæ sanè non tantum concupiscentiam venereorum concernunt, verumetiam cuiuscunque peccati. Hinc docens varijs scripturarum ambagibus omnes esse sub peccato, non vnum peccatorum genus, sed plura commemorat, peccatum, inquit, operatum est in me omnem concupiscentiam. Non igitur tantum voluptatem & carnis desideria. Huic est diuus Augustinus consentaneus, vbi concupiscentiam manifestat versari circa vniuersa, quæ sensibus sunt subiecta. Quin & hanc sententiam Paulinam,

Gal. 5.

Tres mortui Euangelici, quid designent?

Marci 5.
Luc. 7.
Ioan. 11.

Cap. 5.
Concupiscentia est n men generale.

Rom. 3. & 7.

Lib. 2. contra Iulianum, ca. 8. & lib. 4. cap. 14.

Lib.6.cap.7. Paulinam, Mortificate membra vestra super terram, de concupiscentia intelligendam censet: Cum tamen libido vtpote concupiscentiæ pars, ad omnia se non extendat membra. Vel maxime istud comprobant duo extrema Decalogi præcepta, vti ibidem expositum reliquimus, quorum concupiscentia non vni peculiari rei, sed omnibus videtur esse præscripta. Concupiscat anima mea Domine desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Amen.

Obiectiones aliquot contra prælibata diluuntur.

CAPVT XXIII.

PRæmissis obijci posset diuus Augustinus, qui sex contra Iulianum libris, præcipuè disputat de venerearum voluptatum concupiscentia, hancque paruulis inesse dicit ex feruore libidinis. Cui difficultati facilè fiet satis, si sentiamus ipsum in ijs libris potissimum disputare, de concupiscentia genitalium, ostendens eam malam esse, ac frenandam, contra Iulianum. Concupiscentiæ verò generaliter acceptæ, vt etiam alia complectatur vitia, meminit quidem, sed rarius. Cuius ratio est, quod hanc genitaliũ concupiscẽtiam manifestius appa-ret omnibus, in quibus aliqua rationis scintilla superest, esse vitiosam, fœdam & erubescendam. Quandoquidem ex hac vna omnes intelligunt omnem concupiscentiam esse vitiosam, & malam, per hanc quoque veneream concupiscentiam, peccatum quod omnibus inest propagatur. Profectò & ipse Moyses genitalium concupiscentiam istam expressit, cum dicit primos parentes nudos erubuisse, & fecisse sibi perizomata. Quamobrem diuus Paulus generalem concupiscentiam ex hac propriè genitalium declarat, cùm inquit: Video aliam legem in membris meis, & mortificate membra vestra super terram. Quibus in locis, de omnibus quidem membris loquitur, quæ concupiscentiæ subiecta sunt, potissimum tamen aspicit membra genitalia, quæ alio loco propter immodicum libidinis appetitum, appellat inhonesta. Hinc Augustinus, tametsi apertè nomine concupiscentiæ omnem concupiscentiam comprehendi velit, iustis tamen rationibus adductus, de parte eius vna duntaxat præcipuè verba facit, & concupiscentiæ vitium ex vna eius specie declarauit. Insuper hic reijciendi sunt, qui nomine concupiscentiæ in scripturis, & Augustino existimant significari appetitum sensitiuum, quo sane nihil potest esse absurdius. Nemo siquidem tam est rudis, qui appetitum naturæ bonum,

Augustinus exponitur?

Rom. 7.
Coloss. 3.

bonum, ab authore naturæ nobis insitum, quem & ante peccatum habuit homo, & in resurrectione habiturus est, & Christus Iesus in æternum super omnia benedictus, tanquam perfectioni naturæ necessarium assumsit, originale peccatum esse decernat. Nam quemadmodum in scripturis carnis nomen non semper accipitur pro substantia, quam creauit Deus. Non omnis caro eadem caro, quia alia est piscium, sed plerisque in locis pro vitio & corruptione hominis accipitur, Ita concupiscentiæ nomenclatura, non sensus seu appetitus qui est creatura Dei bona, sed eius vitium est accipiendum. Ex his etiam illorum liquido constat vanitas, qui ad hunc argumentantur modum: Concupiscentia brutorum caret ratione peccati, ergo nec in homine peccatum censeri debet. Ratio diuersitatis facilè elucescet, quia concupiscentia in brutis animantibus supremum est, nec debet rationi parere. At homo non sic est institutus, vt causa voluptatis percipiendæ tantum appetitu sensitiuo in obiecta moueatur, verum vt rationis imperium appetitus ille per omnia sequeretur. Indignum prorsus Theologo argumentum, quo & olim Pelagianos vsos fuisse testis est Augustinus, In brutis, inquit, concupiscentia non est peccatum, ergo nec in nobis. Quod idcirco consequi pernegat D. August. quia longè præstantior est hominis natura, quàm pecoris, adeò vt natura pecudis vitium sit hominis. Sicuti Imperatori vitio datur, si ea quæ sunt vulgi adimpleat. Afferunt aliqui & istud: fucata facies libidinosos, aurum auaros, vinum ebriosos, diabolus omnes allicit ad peccata: ergo cōcupiscentia nequaquam est peccatum. Respondeo primum de diabolo, quod longè aliter ad malum prouocet, quàm concupiscentia, nempe forinsecus proponendo etiam quibus moueamur. Concupiscentia verò prouocat intrinsecus nos turbando, efficiendoque, vt nosipsi illicita & mala concupiscamus, quod diabolus tentando nunquam efficeret, nisi concupiscentia nos prius inuasisset: Neque enim aliena est à nobis, sed nostra, & in nobis est concupiscentia, quæ vitiosa desideria sic in nobis excitat, vt aliqua nostri parte contra legem Dei vitiosè moueamur. Similiter aurum, formositas, vinum, & similia, quæ Deus creauit bona, non per se prouocant ad malum, nec propriè hoc agere dicuntur, sed ratione concupiscentiæ nobis inhærentis, à qua si plenè essemus expurgati, nulla re omnino proposita, ad vitia inclinaremur, sed omni studio ad Deum magnificandum & amandū excitaremur, prout hoc ipsum fuse prosequitur diuus Augustinus, vt intelligas hoc argumentum nouitium

Concupiscentia non est appetitus sensitiuus.

1. Cor. 15. *Caro diuersimodè accipitur.*

Lib. 2. de pec. mer. & remiss. cap. 40. lib. 4. contra Iul. cap. 12. & 14.

Diabolus quomodo incitet ad peccatum?

Concupiscentia quomodo nos ad malū incitet.

Lib. 4 contra Iul. cap. 14.

nouitium non esse, sed olim fuisse Pelagianorum. Qui eo loci tali discerniculo separat res, quas Deus creauit, & concupiscentiam, quod res illæ perpetua bonitate, siue abutaris siue non, sint commendandæ: concupiscentia verò, siue consentias siue non, semper mala est & vitiosa: à qua nos liberet Seruator mundi. Amen.

Concupiscentia est in paruulis non renatis peccatum.

CAPVT XXIIII.

Bifariam nituntur aliqui probare concupiscentiam in paruulis non esse peccatum. Priori modo sic, Concupiscentia paruuli non est contra legem Dei, ergo non est peccatum. Posteriori, Non est voluntarium, ergo non est peccatum. Priori dicendum est concupiscentiam paruulo innatam non esse directè contra legem Dei, de actibus disponentem, velut est ea quæ mœchari, furtumque perpetrare vetat, ac quæ parentes honorare præcipiat, sed est contra legem Dei & ordinationem de habitibus disponentem, quæ Dei ordinatio est in legibus Dei occultis: Esse aliquam autem huiusmodi siue legem, siue ordinationem, quatuor modis probari promtum est. Quorum primus est, quod Deus peculiarem singularemque hominis curam gerat omni tempore, teste Gregorio Magno, vt ne ad momentum quidem dormitet, aut nostris intendere desinat, quocunque loco aut ætate simus constituti. Quo cõficimus ipsum approbare bonum hominis arbitrium, vitiosumq; reprobare. Hoc enim nisi concedatur, fatendum erit ipsius nihil interesse, an homo possideatur à Deo, siue à diabolo, cum operationem suam qua hominem in officio continet, non exerat contra illud: Ego sum Deus zelotes, &c. Quod si illi id curæ sit, vitiosus habitus displicet, placet probaturq; bonus. Secundò, idem probatur ex opere diuinæ prouidentiæ, videlicet punitione & præmio: Nam habitus malus à Deo punitur, & bonus remuneratur, igitur habitum bonum aliqua sua ordinatione probat, & malum similiter aliqua ordinatione improbat: Antecedens probatur, infantibus non renatis, qui iustè priuatione regni cælestis puniũtur, quo fruuntur regenerati. Et cõfirmati maiori potiuntur gloria, quam tantum Christo per baptismum initiati, ob maiorem quæ sacramento infunditur gratiam. Cur autem bonus habitus remuneratione, & vitiosus punitione dignus est, nisi quia ille diuinæ legi est consentaneus, iste verò non item? Insuper homo censetur bonus, aut malus, ab habitu-

ctiam

Prius argumentum.

Lib. 16. moral. cap. 15. & lib. 17. cap. 2.

Deus omni tempore nostris intendit.

Exod. 20.

etiam cum se non exerit, vti in dormiente contingit, secundum beatum Augustinum. Atqui homo non censetur bonus, aut malus, nisi ex comparatione regulæ, cui si conformis offenditur, bonus reputatur, sin autem malus, ergo aliquam esse regulam, & Dei constitutionem necesse est, etiam ad habitus pertinere. Adde quartò arborem & fructus esse eiusdem conditionis, quam in mortalibus etiam habere locum Euāgelio edocemur, cùm dicitur, Aut facite arborem malam & fructum eius, &c. Et Nunquid colligunt de spinis vuas, & de tribulis ficus? Sed omnibus in confesso est, concupiscentiæ fructum propriè esse vitiosum, & Spiritui sancto aduersum, ac concupiscentiæ bonæ seu charitatis proprium fructum esse, non nisi bonum, ergo illa concupiscentia quæ malos parit fructus, vitiosa est. Quod si mala sit illa, necesse est aliquam constituere regulam, qua talis iudicetur, quia in moralibus nihil est malum, nisi ab aliqua exorbitet regula, sicuti Deus non punit malum, nisi iuxta aliquam suam ordinationem, punire siquidē & remunerare, actus sunt legislatoris. Quod igitur alicui legi aduersatur, pœna dignum iudicatur. Quod autem obseruans est legis, præmijs cumulatioribus dotatur. Concupiscentia igitur habitualis, lege præceptorum & ordinatione prohibetur. Neminem quoque latere arbitror, id quod sua sponte calcar præbet, & per se est vitiosum, malum esse. Exemplo in medium adducto res dilucidior euadet: Quia homicidium citra controuersiam est per se malum, ideoque malum censendum est odium, quo in proximi necem accendimur. Sic quia malum non ambigitur adulterium, idcirco impudicus oculus non dubitatur illicitus, quod illo perducat ac inuitet. Et generatim quicquid ad prærupta vitiorum, natura sua nos incitat, hoc per se malum sit necesse est, atque talis est concupiscentia, quæ parit in nobis desideria vitiosa, est igitur ipsa, peccatum, & mala. Sicut è regione quæ in nobis parit desideria sancta, bona & sancta non est dubitanda. Ex hoc principio tanquam per se noto, collegit diuus Augustinus, concupiscentiam esse malam, adeò vt insaniæ sit nedum dementiæ id inficiari: Sed & Apostolus ad eum videtur collegisse modum, cùm ait, Peccatum vsque ad legem erat in mundo, sed peccatum non imputabatur, cum lex Moysi non esset. Lege igitur veniente, vbi per eam peccatum cœpit cognosci, cœpit etiam imputari. Cœpit autem per legem agnosci peccatum, etiamsi in omnes transierat, quia lex peccatum prohibebat, per quam cœperunt homines fieri certiores furti, adulterij, homicidij, eiusque generis aliorum

Lib. 6. contra Iul. cap. 7.

Matth. 7.

Matth. 5.

Lib. 6. contra Iul. cap. 5. & lib. 4. cap. 4.

Rom. 5.

Lege cœpit cognosci peccatum.

Cap. 7.

aliorum peccatorum. Idem adſeuerat poſtea, inquiens, Quod ergo bonum eſt, factum eſt mihi mors? nequaquam, ſed peccatum quod in me latebat, praua illa inhęrens mihi concupiſcentia, vt appareret, cuius eſſet ingenij & naturæ, per bonam legem reddidit me deteriorem, ſic me incitauit, vt vicerit, ſic impulit vt ſubuerterit, ſic inuaſit vt occiderit. Ex quo mihi plane concupiſcentiæ natura ſuſpecta eſt, ex talique fructu colligere non dubito, ipſam malam & vitioſam. His coniungendum eſt quod habet Concilium Tridentinum, inquiens, Hanc concupiſcentiam, cum aliquando Apoſtolus peccatum appellat, Synodus OEcumenica declarat Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat ſi quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit. Quibus omnibus luculenter apparet, concupiſcentiam cum qua nati ſumus, vitioſam & malam eſſe, quod paruulum habilem concupiſcere faciat. Sicut enim in oculo cæci, teſte beato Auguſtino, noctu vitium cæcitatis licet non appareat, nec inter videntem & cæcum nisi luce illuſtrante, diſcernatur: ſic in puero vitium eſſe non apparet, donec ætatis prouectioris tempus occurrat. Alterum eſt argumentum, Non eſt voluntarium, ergo non eſt peccatum, probatur antecedens, quia ad rationem peccati voluntas cooperetur oportet, teſte Auguſtino. Reſpondendum occurrit, Concupiſcentiam in paruulo non eſſe voluntariam actuali paruuli voluntate. Nec enim cogitat, nec vult, nec quicquam agit. Sic Paulus de Iacob & Eſau pronunciat, quod in vtero matris cum eſſent, nihil egerunt boni aut mali: ſed ſicuti peccatum eſt habituale, ita habitu eſt voluntarium, quod rationi habitualis peccati ſufficit. Eſt autem aliquid habitualiter ac virtualiter voluntarium, cum voluntas ſic affecta eſt, vt oblata occaſione parata ſit illud perficere. Velut qui proximum odio perſequitur, etiam hac hora, hoc die licet de eius nece nihil cogitet, tamen voluntarium eſt in illo odium, quia ſic eſt affectus, vt ſi proximus obuiam fieret inermis, eum trucidaret, hanc latentem affectionem cernit Deus, etiamſi nemo mortalium animaduertat: ſicut è regione, patientiæ vel obedientiæ virtus in nobis latet, etiamſi id minimè cogitemus. Sic in ſancto Iob virtus patientiæ eluxit, quia veraciter ſic erat affectus, vt æquo animo quamlibet afflictionem de manu Domini perpeti & ſuſtinere vellet. Piam in eo virtutem aſpiciebat, & amabat Deus, quæ vbi per tentationem excitata ſe prodidit, tandem ab illo cognita eſt, in quo latuerat. Sic & de Abrahæ obedien-

Seſſ. 5.

Concupiſcentia non exerit ſe in paruulo, quomodo?

Lib. 6. contra Iul. cap. 7.

Alterum argumentum.

Lib. 1. Retract. cap. 15.

Rom. 9.

obedientia iudicandum est, quæ fuit vsque ad proprij filij immolationem, etiam si id eum lateret, in quo erat, nec se exerceret, donec diuinitus, vt vnicum immolaret filium, mandatum haberet, vti docet Ambrosius, & Augustinus. Similem ad modum paruulus, quoniam sic nascitur affectus, vt quàm primum ad annos peruenerit ratione vtentis ætatis, sectaturus sit, prætermisso Diuinæ legis ordine, quæ sibi cómoda videantur, concupiscentiam inhærentem habet voluntariam, habitu, non actu. Hinc diuus Augustinus dicit, omnes cum impia nasci voluntatē, quia videlicet cum habitu adeò prauo & malo, vt virtualiter Deum contemnant, illi credere, illum timere nolint. Et alibi: Omnes nasci docet carni subditos, quod non vult intelligi actu mentis vllo fieri, sed habitu, animique præparatione, prauaque, sed latenti affectione. Huic suffragatur Concilium Arausicanum, inquiens: Si quis per offensam præuaricationis Adæ, non totum (id est, secundum corpus & animam) in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni obnoxium credit, Pelagij errore decipitur. His aliqui obijciunt Augustinum, qui cum dicit originale peccatum esse voluntarium, semper refert animum, ad actuale peccatum Adæ, (voluntarium quidem esse significans, sed voluntate Adæ non propria paruuli.) Atqui ea voluntas extra paruulos est, ergo peccatum dicitur tantum extrinsecè, fateor quidem Augustinum, cùm de originali peccato inquirit, sitne voluntarium respicere ad voluntatem primi parentis. At nusquam dicit, ab ea voluntate habere peccati rationem. Agit enim vbique, cùm dicit contra Manichæos, qui docebant, quicquid in nobis est, quod spiritui reluctatur, à malo Deo esse profectum. Contra docet Augustinus, non esse nisi bonum Deum, & quodcunque in hominibus peccatum est, id ex aliqua voluntate liberè deficiente exortum esse; itaque & originale peccatum, non aliundè exortum esse constat, quàm ex aliqua hominis voluntate, bonaque natura, sed quæ posset sua deficere libertate, & hanc voluntatem esse actualem illam primi parentis: per vnius enim inobedientiam peccatum intrauit in mundum. Nam quænam alia fuisset origo? an diabolus? sed ille homine repellente nihil efficere poterat. An malus Deus? sed is nullus est. An bonus? sed ille author peccati esse non potest. Restat igitur, vt primi hominis voluntas sua libertate deficiens, hoc quicquid est mali pepererit: Itaque peccatum originale est concupiscentia in recens nato infante, quia est contra legem, seu ordinationem de naturæ rectitudine, &

Genes. 22.
Libr. 1. de Abrahā, cap. 8.
Lib 12. cōtra Faustum, cap. 25. & contra epist. Gaudētij, cap. 23.
Lib. 1. contra aduersa. leg. & proph. cap. 22. nec non de natura & gratia, cap. 66.
2. Canone 1.

habitibus,& est habitu voluntarium,siue regnans & dominans. Ideoque habituale peccatum est, nec minus propriè, quàm actuale peccatum dicitur, tametsi ab actuali, sicut habitus ab actu differat. Licet super hoc negotio proprius præcesserit articulus: An videlicet peccatum originale sit voluntarium? Alij alia fortè fœliciori methodo istud expediunt. Quanquam enim infantes non habeant voluntatis vsum, nec aliquid sit peccatum, nisi voluntarium, tamen secundum Augustinum. Adæ peccatum quodam modo dicitur alienum, & rursus quodammodo reperitur & nostrum. Alienum quippe est proprietate actionis. Nostrum verò contagione propaginis, Adam siquidem non consideratur solum, vt singularis persona, verum etiam vt totius humanæ naturæ principium, à quo alij,per generationem descenderunt. Quemadmodum homicidium manu factum, dicitur voluntarium à voluntate, quæ est non in manu propriè, sed in mente, sic suo modo carentia iustitiæ originalis, in posteris voluntaria voluntate, quæ propriè non est in nobis, sed quæ fuit in Adam. Ad authoritates autem prædictas, tum dici posset, quod non oporteat, vt peccatum immediatè sit voluntarium,ab eo,in quo est,sed sufficit contra Manichæos, vt quoquo modo sit voluntarium, tum quia est in voluntate animæ, vbi subiectiuè omnia sunt peccata, tum etiam quia Adam voluntariè peccauit,secundum Augustinum, à quo peccatum est contractum.

Libr. de correp. et gratia, cap. 6. lib. 6. contra Iul. cap. 4.

Adæ peccatũ, quomodo voluntarium?

Libr. 1. Retract. cap. 13. & 15.

Concupiscentia an positiua qualitas?

CAPVT XXV.

Etiamsi respondere nostra recusaret Musa, non illi tamen vicissent, qui per huiusmodi quæstiunculas philosophicas magis, quàm ad Theologiam pertinentes, vicisse se arbitrantur, & effecisse concupiscentiam non esse peccatum,sed nos nihilo magis à fide nostra dimoueremur, licet multa in secretissimis naturæ latebris abdita sunt, quæ à Philosophis magis disputantur,quàm sciuntur. Credimus resurrectionem futuram mortuorum, & tamen aduersus hunc articulum, quanta de naturis corporũ in philosophia acutè proponũtur? Nunquid si nodos omnes dissoluere non valeam, idcirco vacillabit fides? Etiamsi ignorem,quo modo charitas augeatur,an per additionem, an per intentionem, num illud quod Paulus docet, in dubium vocare integrum fuerit: Charitas in inuicem magis ac

magis

magis abundet? Itaque licet à Theologo definiri non possit, sitne concupiscentia positiua qualitas, an non? num ob id latum vnguem discedere deberet quis à Catholici dogmatis veritate & firmitate? Dicam igitur quod sentiam. Gregorius Ariminensis, ait esse positiuam qualitatem, flatu antiqui serpentis causatam. Sed hoc, vt non condemno, ita nec amplector, magisque placet, non esse positiuam qualitatem, ne Deus author esse concupiscentiæ videatur, qui rem omnem effecit. Cùm autem de causa concupiscentiæ inquiritur, non efficientem aliquam requiri arbitrandum est, quamuis interdum sic quæratur: Quis fecit concupiscentiam? Nulla enim efficiens, sed deficiens causa est, nempe Adam, imò illa ipsa actualis transgressio, & iustitiæ expulsio: & reiectio fuit, non actualis tantum iustitiæ, sed & habitualis, & illa ipsa actualis transgressio causa formalis fuit, à qua esset, & diceretur iniustus. Iam autem iniustus redditus, iniustus remansit, praua plenus concupiscentia, donec educeretur à delicto suo, sic causa deficiens fuit Adam habitualis suæ iniustitiæ. Consequenter verò, eo ipso quo iustitia nudatus est, defectum passus est generatiuæ facultatis, qui ortus est ex actu prauo ipsius Adæ, qui prima causa fuit corruptionis naturæ. Quod de concupiscentia diximus, non esse scilicet positiuam qualitatem, sed eo ipso in nobis esse, quo inest nobis aliquis infixus naturæ motus, destitutus eo, quod ad eius rectitudinem requiritur, ex Prospero probari potest, qui quærit, vtrum quando voluntas incipit bona esse, corrigatur quæ prius erat, an efficiatur noua? Et respondet eandem remanere voluntatem, eosdemque naturæ motus, sed ipsos immutari & conuerti ad aliud. Verbi gratia, motus idẽ cũ adest Spiritus sanctus rectus, cùm abest prauus & vitiosus, quia ad illicita actu, vel habitu conuersus. Hinc etiam intelligitur, cur omnes nascamur, concupiscentia pleni: Cùm enim primus parens, sua rebellione naturam, iustitia & rectitudine spoliasset, ideoque iam potentiam generatiuam ad eum modum infirmam reddidisset, vt naturam quidem transfundere, sed cum ea iustitiam non posset, idcirco cuique ex origine inest concupiscentia, qua natura, iustitia carens, voluntatem quidem habet, & appetitum, motusque suos saltem virtuales, sed prauos, distortos, & in vitia habitualiter, quod est concupiscentia conuersos. Propterea autem sine iustitia naturam communicat, quod illam in seipso priuauerat iustitia, quę non potuit cum illius superbia & rebellione subsistere. Sic autem nudatus non potuit, nisi sui similem generare, vt geniti defectus in defectum generantis referendus

Lib. 1. de vocat. gen. cap. 7. & in car. de ingratis, cap. 27.

ſit, ſicut & medici imperfectionem genitæ prolis, in generantem conferunt.

Peccatum originale, quomodo dimittatur per baptiſmum?

CAPVT XXVI.

INter cæteras quæſtiones, illa nonnihil etiam difficultatis habet, ampliorique eget elucidatione, quæ de peccati originalis remiſſione conſtituenda eſt. Si namque in præcedentibus rectè dictum eſt, concupiſcentiam eſſe peccatum originale, eaque in baptizato adhuc remaneat, ſicut poſt Apoſtolum multis in locis teſtatur ſanctus Auguſtinus, videtur peccatum iſtud per baptiſmum non remitti. Si autem (quod habet fides Catholica) verè remittitur, non ergo rectè videmur peccatum originis in ipſa concupiſcentia conſtituiſſe, neque enim vnum, idemque remitti poteſt, ſimul & non remitti, auferri & remanere. Sed hic nodus ex ijs, quæ ſuperius diximus, diſſolui poterit. Oſtenſum eſt enim concùpiſcentiam, in non renatis eſſe peccatum, *Baptiſmi effectus.* mentemque captiuare, & à Deo ſeparare: In qua ſeparatione conſiſtit formalis ratio peccati, qua ſublata, quicquid reliquum eſt, peccati rationem habere non poteſt, cùm à forma res quælibet ſuam denominationem accipiat. Auferri autem in baptiſmo hanc mentis vetuſtatem, & à Deo auerſionem, teſtatur A- Rom. 6. poſtolus ad Romanos, vbi docet nos mortuos eſſe peccato, per baptiſmum, Chriſtoque commortuos, atque vna cum illo ſepultos, vt quomodo ille ad vitam ſurrexit immortalem, ita & nos veteri vitæ ſemel mortui, in noua quam adepti ſumus, vita perſeueremus: Si enim, inquit, mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo, per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos, in nouitate vitæ ambulemus. Eodem pertinent, quæ apud eundem ſequuntur Apoſtolum. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus, hoc eſt, ſi per baptiſmum inſiti, atque incorporati ſumus Chriſto, ſic vt ſimilitudinem mortis eius in nobis habeamus, ceu ex morte ipſius tanquàm radice ſimilem mortem hauriamus, erimus & complantati, ſiue inſiti ſimilitudini reſurrectionis. Hæc autem reſurrectio vitæ, à nouitate poſita eſt, quod maioribus verborum copijs manifeſtat, dum ſubnectit: Quia vè-

Quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato. qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Ecce testatur Apostolus, per baptismum factam in nobis mortem peccati, sepultos nos esse, cum Christo in mortem, insitos insuper corpori Christi, & participes effectos mortis, ac resurrectionis eius. Denique veterem hominem nostrum, seu vetustatem om[...]em per Adā inductam cruci affixam, siue mortificatam, vna cum Christo, quod etiam docet alibi, dum ait: Si vnus pro omnibus mortuus est, & resurrexit. Item alio in loco: Mortui enim estis, & vita vestra abscōdita est cum Christo in Deum, docet insuper nihil esse damnationis ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Quæ Apostoli sententia stare non poterit, si remanens in baptizato concupiscentia, peccatum sit. Omni enim peccato secundum iustitiam Dei debetur pœna, aut enim ipsi illud vindicamus, aut Deus. Nec rationi consentaneum est, sic Deum indulgere perseueranti culpæ, & impietati, vt per dissimulationem, vel remissionem non faciat reum. Cùm ergo omni peccato debeatur pœna. Concupiscentia verò nullam mereatur pœnam, constat eam non esse peccatum. Magister præmissam difficultatem, alijs quidem verbis, sed in eādem sententiam explicat, dicens: Concupiscentiam remitti, quia minuitur, tum etiam, quia reatus eius aufertur. Rectè enim minuta dicitur cōcupiscentia, quia debilior effecta est, restricta, & superata. Nam quæ prius primas dominando partes obtinebat, hominemque sibi subiectum vindicabat, & à Deo auersum, nunc eum tantum tenet secundum carnem, mens enim vinculis concupiscentiæ liberata, & destructa interclusione, per quam à Deo separata erat, iterum ei est coniuncta. Peccatum autem potissimum à mentis separatione, & à Deo auersione, vt præmisimus, æstimari debet. Posteriorem Magistri solutionem habet beatus Augustinus: Hoc est, inquit, non habere peccatum, reum nō esse peccati. Rectè autem dicit, solui peccatum abolitione reatus, non quidem, quod in ipso reatu consistat formalis causa peccati, cùm sit effectus eius, sed quod peccato semper coniunctus sit reatus, omne enim peccatū dignum facit supplicio, quod est esse reum sceleris commissi, quare sublato reatu, qui à peccato inseparabilis est, etiam peccatum ipsum sublatum intelligitur.

2. Corin. 5. Coloss. 3. Rom. 8. *Distinct.* 32. *De nup. & concup. lib.* 1. *cap.* 26.

Concupiscentia post baptismum, non est peccatum.

CAPVT XXVII.

Libr. 1. ad Simpl. cap. 6. Libr. 1. de nupt. et conc. 27. Libr. 13. de Trinit. cap. 18. & lib. 2. Retract. cap. 10. Li. 2. de nup. & concupisc. cap. 10. Concupiscentia triplex.

MAnifestum vtcunque euasit ex præfatis, omnes ab Adam seminatos cōtrahere peccatum originale, & concupiscentiam, ita conformiter scripturis docente nos Augustino, quæ triplex reperitur apud eundem, Sapientiæ scilicet, spiritus, & carnis: de qua potissimum hic agere intendimus. Hæc namque motus habet, non voluntarios, nec fuit in Paradiso, vel si fuerit aliqua carnis concupiscentia, talis non fuit, qualis post peccatum extitit, vt legi mentis nimirum repugnaret. Nunc autem talem sentimus esse, vt repugnans legi mentis, etiamsi nulla sit causa generandi, stimulos ingerat coeundi, vt si ei cedatur, peccando satietur, sin minus, dissentiendo frenetur, quæ duo à Paradiso aliena fuisse quis abnuat? Non enim caro concupiscebat in Paradiso aduersum spiritum, nec erat ibi ista pugna, vbi erat pax summa: Sed facta transgressione, postquam homo Deo obsecundare recusauit, caro cœpit aduersum spiritum concupiscere, quæ concupiscentia ante baptismum in nobis est necessarium peccatum, item & voluntarium, vti habet Augustinus: Traxit reatum paruulus, inquit, ante baptismum ab Adam, quia vnus erat cum illo, & in illo, à quo traxit, quando id quod traxit admissum est, post baptismum autem, quando homo sua propria vita viuit, non trahit ab altero alter personaliter effectus ab eo, qui genuit, ideoque peccato alterius sine proprio consensu non tenetur obnoxius. Vnde ante baptismum, peccatum Adæ nocet paruulo, post baptismum autem non nocet paruulo, etiamsi pater eum sacrificaret dæmonio. Hic apertè eliditur error Zvvinglij, opinantis peccatum originale ante baptismum tātum fuisse morbum, non culpam, aut reatum, quia Augustinus meridiana luce clarius edocet paruulo proprij nominis esse peccatum. Et Concilium Arausicanum, cuius sentētiam ad verbum sequutum est Concilium Tridentinum: Nihilominus post baptismum potest concupiscentia dici morbus, secundum Augustinum, quidam in nobis relictus, talis tamen morbus, qui non sit peccatum, sed certamen exercitiumque iustorum. Relinquitur, inquam, ne homo otio deditus, & exercitio destitutus infletur vana præsumtione elatus. Quicquid enim est culpæ in infante, aut adulto, extinguitur per baptismum, adeò vt plenissima in eo fiat omnium remissio delictorum, originalium, cogitatorum, & actualium, teste Clemēte B. Petri Apostoli discipulo, lib. 3. Recognitionum ad Iacobum fratrem Domini, & B. Augustino, Concilio Mileuitano & Tridentino. Deletur, inquam, concupiscentia, per baptismi lauacrū, non omnino, vt non sit, sed vt non sit peccatum. Nec raduntur

Epistola 23. ad Bonifaciū. Zvvinglij error. Libr. 1. Retract. cap. 15. Cap. 2. Seß. 6. §. 3. Lib. 6. contra Iul. cap. 7. Lib. 4 ca. 10. Lib. 2. de pec. mer. & remiss. cap. 33. Lib. 6. contra Iul. cap. 6. Libr. 1. de nup. & con-

peccata

peccata, ſicut calumniātur aduerſarij Auguſtinum docuiſſe, Dicimus, inquit, baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina non radere, nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorum, vnde creſcant iterum reſecanda peccata, nam & iſtam ſimilitudinem, comperi ſuæ illos adhibere calumniæ, tanquam nos hoc ſentiamus, atque dicamus. Sed de iſta concupiſcentia carnis, falli eos credo, vel fallere. Cùm qua neceſſe eſt, vt etiam baptizatus, pia mẽte confligat. Atqui ſplendidiſſimam hanc veritatis lucem non ferens Martinus Lutherus, tāquam filius noctis errorum tenebras illi offundere, imò prorſus eam è medio tollere conatur, dicens: Concupiſcentiam omnem etiam eam, quæ in carne paruulorum remanet poſt baptiſmum, eſſe peccatum. In puero, inquit, poſt baptiſmum negare remanẽs eſſe peccatum, eſt Paulum & Chriſtum ſimul conculcare. Cuius præcipua ratio ex vltimo decalogi præcepto ducitur, non concupiſces, quaſi ſit huic præcepto contraria. Ex quo & alium adducit articulum, non minus erroneum, quod videlicet fomes peccati, etiamſi nullum ſit actuale, animam à corpore ſeparatam remoretur ab ingreſſu cæli. Si enim illa vera ſunt, quæ proximo articulo dicta ſunt, fomitem verè eſſe peccatum, per gratiam Dei, magis ac magis purgandum, & nemo poſſit peccato obnoxius cæleſtia capeſſere regna, arbitror probabili ſatis conſequentia animam ab ingreſſu cæli, fomite impediri. Verum hanc Lutheri ſententiam, ac fundamentum ipſa præcepti verba euidenter redarguunt: Nam illo præcepto prohibetur actus, aut motus concupiſcentiæ, non autem ipſe habitus, aut lāguor naturæ, qui in carne regenerati adhuc reſtaret. Dicit enim: Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, non omnia quæ illius ſunt, paruuli autem non concupiſcunt, nec concupiſcere adhuc infantilis infirmitas præualet, domũ proximi, vel eius vxorem, ſeruum, ancillam, ouem, aut bouem, nec quicquid omnium, quę illius ſunt, vtpote deſtituta adhuc rerum omnium diſcretione: Quomodo igitur huius præcepti pręuaricatores dicẽtur, quādo eius tranſgreſſio non niſi in actu conſiſtit? quo illos carere certũ ſit. Suſcipit quidem habitualis illa concupiſcentia quandoq; in ſcripturis nomẽ peccati, ſed impropriè, & per tropum eum, nẽpe quo nomẽ cauſæ tribuitur effectui, vel contra. Secundũ priorem modum appellatur peccatũ, quia eſt peccati effectus, queādmodum ſcripturā appellamus manũ, quia manu facta, & loquutionẽ linguā, teſte Auguſtino. Secundũ poſteriorẽ verò modũ, quo

cap. cap. 23. & lib. 2. de nup. & conc. cap. 27. lib. 3. contra 2. Epiſtolas Pelag. cap. 63. cap. 2. lib. 1. ca. 13. Seſſ. 5. 6. 5.

Peccata baptiſmo, non raduntur.

Martinus Lutherus.

Metl. onon i. t.

Lib. 3. de lib. arbit. cap. 19.

Lib. 1. de nup. & conc. cap. 22. & lib. 1. contra 2. Epistolas Pelag. cap. 13.

nimirum effectus tribuitur causæ, peccatum dicitur, quia ad peccatum calcar præbet, ac incitat, sicut frigus dicitur pigrum, quod pigros efficiat, & mors pallida, quia pallidos facit. Concupiscentia, inquit, in regeneratis non est peccatum, quando ad illicita opera illi non consentitur, sed modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod peccato facta sit, & peccatum si vicerit facit. Et alibi: Hæc, inquit, concupiscentia, etiam si vocatur peccatum, non vtiq; quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur, sicut scriptura manus cuiusque dicitur, quia manus eam fecerit. Esse verò hanc ex mente Apostoli interpretationem, qui fomitem aliquoties peccatum appellat, liquere potest ex prælibatis. Comprobatum siquidem est etiam ex Pauli sententia, concupiscentiam hāc habitualem, peccatum non esse. Si autem peccatum non est, cùm propriè transgressionis peccatum paruuli nullum habeant, nihil omnino est, quod illos ex hoc sæculo migrantes, ab ingressu regni cælestis remorari queat. Sunt enim per baptismum effecti filij Dei, & incorporati, ac insiti Christo, eiusq; membra effecti, quemadmodum ex Apostolo superius demonstratum est: Si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Sic enim idem ratiocinatur Apostolus Paulus: Quod & patres irrefragabili decreto sanxerunt, in Cōcilio Tridentino: Si quis, inquiunt,

Sess. 5. cap. 8.

per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quę in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit. Nec aliquid roboris habet scriptura quam obijciunt: Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, quia lōgè alio sensu prælibata posuit Dauid verba, quàm vt putaret peccata deleri, non vt non sint, sed vt non imputentur, quin illorum potius memoriam, ita voluerit extinctam, quasi nunquam fuissent admissa. Videtur siquidem climax esse in verbis Prophetæ. Tegere namque aliquid amplius includit, quàm remittere. Prius dixerat: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & rursus maius quiddam, non imputare quàm tegere, quemadmodum discere licet ex Euthimio super eundem versum, & Origene, qui sic habet: Quando mens hominis ad perfectum venerit, ita vt omnis malitiæ radix, eo vsque penitus ex ea amputetur, vt nullum in eo nequitiæ vestigium possit inueniri, vbi iam summa perfectæ beatitudinis promittitur, tum nullum possit Dominus imputare peccatum. Quod nobis concedat iustus iudex. Amen.

Psalm. 31.

Climax.

Lib. 4. in Epistolam ad Rom.

Conc-

Concupiscentia manet actu, transit reatu.

CAPVT XXVIII.

OMnibus est in confesso, adulterium, reliquaque peccata transire actu, & donec sacramentorum efficacia deleantur, manere reatu. Sic versa vice, concupiscentia manet actu, & transit reatu, quando baptismi sacramento soluitur. Quo sic dimittitur, vt quanquam tracta sit à nascentibus, nihil noceat renascentibus, ex quibus si filij carnaliter generentur, rursus trahitur, rursusque & nocitura nascentibus, nisi eadem forma renascentibus remittatur, & nihil obfutura vitæ æternæ inest, quoniam reatus eius generatione tractus, regeneratione est dimissus. Potest etiam proferri quod peccati nomenclatura trifariam vsurpetur. Primò, vt sit aliquod dictum, factum, vel concupitũ contra legem Dei, vt superbia, luxuria, teste Augustino. Altero modo appellatur peccatum, quod offertur pro peccato. Sic leguntur Leuitæ & Sacerdotes comedere peccata populi, id est, oblationes pro peccato factas. Haud dissimili modo dicitur Christus fecisse peccatum, vt de peccato damnaret peccatum. Et alibi, Qui non nouerat peccatum, pro nobis fecit peccatum, id est, seipsum pro peccatis oblationem: Harum acceptionum meminit Augustinus. Tertiò modo, peccatum legitur acceptum, pro eo quod remanet, & quod factum est peccato, vt præmissum est. Huiusmodi est in baptizatis concupiscentia, quæ vt habeant cum qua dimicent, relinquitur, eamque adiuuante Domino superent, si gratiam in vacuum non acceperint, de hac loquitur scriptura, inquiens, Vnusquisque tentatur à cõcupiscentia sua abstractus, & illectus. Hæc, inquam, non est peccatum, quin potius subinde coronæ occasio: Beatus est quippe qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Porrò hæc concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: Concipit enim delectando qua quidem re iam offendimus, sed lapsum tamen mortis non incurrimus. Est itaq; iam hic secundus stimulus, qui & ipse concupiscentia nuncupatur: nam primus stimulus est leuis quidam punctus sensuum, & incentiuum vitiorum. Secundus stimulus est cogitatio, quæ peccatum cogitationis concipit. Hos duos stimulos docet diuus Hieronymus Deum in nobis non punire, quod absque illis nullum hominem esse posse existimet. Cæterum cum consummatum fuerit, id est, cùm quis cogitata perficere decreuerit, aut cum opere perpetrauerit, tum

Qualis habitudo concupiscentiæ & peccati actualis?

Peccatum accipitur trifariam.

Lib. 22. cont. Faust. ca. 27.

Oseæ 4.

Rom. 8.

2. Cor. 5.

Lib. contra mendac. ad Consen. cap. 15.

Lib. 14. cont. Faust. cap. 5.

Iacobi 1.

In peccato quot sint stimuli?

In 18. Ezec.

Lib. 3. Instit. cap. 3. sect. 13. Homil. 43. de verbis Domini, & lib. 18. moral. ca. 5. ac. lib. 32. cap. 16.

demum generat mortem. In hoc igitur quod caro concupiscit aduersus spiritum, nihil est peccati, contra Ioannem Caluinum, nam & spiritus concupiscit aduersus carnem. Suggerit caro, fac adulterium, Spiritus è regione, noli acquiescere carni. Luctam, inquit beatus Augustinus, video. Similiter & Gregorius, victum non video.

Qualem sustineant pœnam paruuli in peccato originali decedentes?

CAPVT XXIX.

Hic non vulgaris restat quæstio proponenda, An videlicet paruuli sine baptismatis lauacro decedentes, sustinere cogantur post hanc vitam, aliquam pœnam sensus, & aliquos cruciatus sensibus perceptibiles, vel solam pœnam damni (quam vocant scholæ) id est, an solum priuatione visionis diuinæ puniantur? Et quod pœnam sensus sustinere cogantur, & iusto Dei iudicio gehennalibus crucientur flammis, videtur scriptura docere, vniuersaliter omnes filios nasci denuncians æternæ damnationis, & iræ Dei. Per vnius delictum omnes in condemnationem. His & eius farinæ scripturis consentanea est Augustini sententia: Manifestum est, inquit, paruulos ad damnationem pertinere, nisi baptisma illis collatum fuerit. Verum hæc damnatio potest vtrique opinioni esse communis, quia si dicamus paruulos duntaxat pœnam damni sentire, id est, priuationem visionis diuinæ: profecto non modica est damnatio, à diuino reijci conspectu, nec vnquam ad illam dulcissimam suauissimæ fruitionis diuinæ contemplationem admitti, cum Augustinus & Ioannes Chrysostomus dicant, quod solum illi excidere gratiæ, & illa beata priuari fruitione, mille gehẽnis grauius sit. Non ergo ex præfatis scripturis aut similibus, efficaciter probari potest, paruulos pœnam sensus sustinere. Nec huic opinioni quæ præfert pœnam sensus, multum adstipulatur Augustino, quanquam ab aliquibus in medium ad istud stabiliendum proferatur, quia tam variè loqui videtur, vt nemo ipsius mentem cognoscere propemodum queat, nec aliquid certi ex ipso elicere. Nam in hoc argumento, quatuor reperitur diuersas plus minus habere opiniones: quarum prima est, vt existimet paruulos baptismatis remedio nõ sanctificatos, gehennalibus cruciari flammis, hanc habet Epistola ad Valentinum, & alibi. Liber autem de fide ad Petrum apud eundem

Ephes. 2. Rom. 5. Lib. 3. de pec. mer. & remiss. cap. 4.

De spiritu & anima, ca. 56. Enchiri. cap. 112. ser. 181. de temp. Li. 1. de compunct. cord. & homil. 55. & 47. ad Antiochenos.

Visionis fruitione priuari, valde graue.

Quadruplices Augustini opiniones.

eundem Augustinum sic habet, Firmissimè tene & nullatenus dubites, inquit, non solum homines ratione vtentes, verumetiam paruulos, qui siue in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur, siue iam de matribus nati, sine sacri baptismatis sacramento de hoc sæculo transierint, igne æterni supplicij puniendos, qui etsi actuale non habeant, originale tamen traxerunt. Et in calce eiusdem subnectitur libri, Hæc quadraginta capitula ad regulam veræ fidei firmissimè pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende, & si quem contraria his dogmatisare cognoueris, tanquam pestem fuge, & tanquam hæreticum abijce. Verum ista huius libri loca parum videnter efficere, cum plura arguant vt aliquoties præmisimus, non esse ipsum Augustini, tum etiam quia ignis vocula, quælibet solet denotari pœna, secundum Augustinum & Thomam, quod ex sua natura maximè sit actiuus & afflictiuus. Quod attinet ad reliqua Augustini loca præmissa, nihil efficiunt, cum alibi aliter sentiat, quia lib. de libero arbitrio medium locum constituere videtur, pro istis infantibus, medium, inquam, inter præmium & supplicium æternum. Sed nec hæc opinio veritatem sortitur, cum hanc sententiam ceu Pelagianam reijciat ac damnet. Nam Pelagiani vt nullum agnoscebant in paruulis originale peccatum, ita post mortem ab omni pœna faciebant immunes, hanc tātum damnationem agnoscentes, quod in perpetuum carebant Dei visione, exclusi nimirum à regno Dei, interim tamen habituri salutem vitamque æternam extra regnum Dei, baptismum verò confitebantur paruulis necessarium, non ad remissionem peccati, quod nullum vt diximus in paruulis agnoscebant, sed vt per ipsum translati in numerum adoptionis filiorum Dei, hæredes fierent regni cælestis. Quos ne baptizandos quidem esse senserunt, secundum Augustinum, nisi illa Saluatoris sententia monerentur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei. Sed quia non ait, inquiunt, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non habebit salutem vel vitam æternam, tantummodo autem dixit, non intrabit in regnum Dei. Ad hoc paruuli baptisandi sunt, vt sint etiam cum Christo in regno Dei, vbi non erunt, si baptisati non fuerint, quamuis & sine baptismo, si paruuli moriantur, salutem vitamque æternam habituri sint, quoniam nullius peccati vinculo obstricti sunt. In quem verò locum reciperentur, affirmabat se Pelagius ignorare, nam vt refert beatus Augustinus, sciscitantibus hæc de re ita solitus est respondere,

Quæ est numero 47. Li. 1. *de nup. & conc.* 20. *lib.* 6. *contra Iul. cap.* 4. *Ca.* 3. *&* 27. Cap. 43. *Ignis quid significet?* Psal. 65. *Tract.* 10. *in Ioan & Tho. in script.* 2. *dist.* 33. *quæst.* 2. 3. *Cap.* 23. *Pelagij de infantibus opinio falsa.* *Lib.* 1. *de pec. mer. & remiss. cap.* 30. Ioan. 3. *Lib.* 2. *de peccato orig. cap.* 21.

Sine ba-

Sine baptiſmo paruuli morientes, q̃uò non eant ſcio, quò eant neſcio. Idem, inquit Aug. non ire in regnum cælorum ſcio, quo verò eant, ſe latere dicebat. Aut dicit quia dicere non audebat, in mortem illos ire perpetuam, quos hic nihil mali commiſiſſe ſentiebat, & originale contraxiſſe peccatum non conſentiebatur. Fuerũt & alij qui ſimiliter originale negantes peccatum, cum natura traduci dixerunt, paruulos ſine baptiſmo decedentes, ſiquidem fidelibus ſunt orti parentibus, transferri in paradiſum terreſtrem, ſin autem infidelibus, cum ſuis progenitoribus detrudi ad pœnas infernales, quæ Armenorum ſententia fuit. Rurſus adſerit eos mitiſſima pœna, & in leuiſſima omnium damnatione futuros paruulos ſine baptiſmo decedentes: Mitiſſima, inquit Auguſtinus, ſanè omnium pœna erit eorum, qui peccatum quod originale traxerunt, nullum inſuper addiderunt. Quis dubitauerit, inquit, alio loco, paruulos non baptiſatos in damnatione omnium mitiſſima futuros? Quidam iſtud enucleatius dilucidantes, à quorum opinione non multum alienus eſt Magiſter, docuerunt paruulos tales, non ſolum ab omni animæ & corporis afflictione fore immunes, verumetiam bonam & latam habituros voluntatem, vtpote diuinæ diſpoſitioni per omnia conformem, & ne ob id quidem dolentẽ, quod à regno cæleſti patiantur repulſam: Quæ ſententia parum aut nihil diſcrepare conuincitur, ab ea quæ eſt Pelagianorum, neque enim aliud nomine damnationis hi intelligere videntur, quàm quod illi per vitam illam beatam, quam paruulis extra regnum Dei tribuebant: Quorum ſententiam iam olim damnauit Auguſtinus, tanquam fidei contrariam, & ante illum Innocẽtius Papa primus, intentus illi quod ſcriptum eſt, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et liber de fide ad Petrum, dicit eos mitius in inferno cruciandos. Atqui quomodo pœna poterit eſſe mitiſſima, ſi igni ęterni ſupplicij ſint tradendi, cum Ioannes Chryſoſtomus, & Ancelmus, dicant ignem infernalem non ſolum eſſe grauem, ſed noſtrum materialem ignem illius comparatione vmbræ habere rationem. Et Cyrillus Hieroſolymitanus ſcripſit ea, quæ audierat à quodam meritis glorioſi Hieronymi reſuſcitato, vt habetur inter Epiſtolas Auguſtini. Si omnes quæ in mundo ſunt cogitari poſſint pœnæ, tormenta, afflictiones, & minori pœnæ, quæ illic habetur compararentur, ſolatia erunt. Mallet enim quilibet viuentium omnes quæ hic videntur pœnæ & tormenta, ſi illas pœnas experientia didiciſſet, vſque ad mundi finem, omnibus his

Enchirid. 93. Lib. 1. de pec. mer. cap. 16. & lib. 5. cōt. Iul. cap. 8. Diſt. 33. li. 2.

Lib. 3. contra Iulianum, cap. 12.

Cap. 27.
Homil. 49. ad Antiochenos.
Lib. 2. de imagine mũdi, cap. 21.
Epiſtola 206. cap. 3.
Pœna infernalis quàm grauis.

nibus his simul sine remedio cruciari, quas omnes homines ab Adam hucusque sigillatim pertulerunt, quam vno die in infernalibus siue purgatorijs pœnis minima, quæ illic existit pœna, torqueri. Quare aliam habet idem Augustinus sententiam: Quum ad pœnas, inquit, ventum est paruulorum, magnis mihi crede coarctor angustijs, nec quid respondeam prorsus ignoro: Ecce nihil hic certi habere valemus ex beato Augustino, qui tam variè sensisse reperitur: Vbi ergo locorum istos miserrimos infantulos relinquemus? Profectò apertæ scripturæ contraire nefas ducimus, quæ docet nunquam ipsis patere ingressum regni cælorum. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. A contrario sensu: Qui non est baptizatus, &c. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritus sancto, non intrabit in regnum cælorum, quia carent iustitia & Spiritus sancti gratia, qui est pignus hæreditatis nostræ, quare priuantur æterna Dei visione. Quum autem sit quædam in ipsorum carne & animo fœditas, relinquentur in locis infernalibus, non tamen sentient ignis acerbitatem, quia non habuerunt actualem in carne delectationem. Hæc sententia omnium scholasticorum calculum adsciscit. Hæc etiam visceribus misericordiæ Dei nostri super omnia benedicti est consentanea. Hanc quoq; comprobat sanctus Ambrosius, prius Episcopus quam baptizatus, quando dicit, Paruulos quidem sub peccato natos, vitaque indignos, dignos autem vt moriantur. Sed illa, inquit, est dissolutio corporis ab anima. Et protinus subdit: Est & alia mors, quæ secunda dicitur, in gehenna; quam non peccato Adæ patimur, sed eam proprijs peccatis acquirimus: quibus verbis aperte declarat paruulos, vt apparet, duplicem non manere mortē. Priorem in separatione animæ & corporis constituit, quæ per peccatum originale inuecta est. Posteriorem in afflictione æternæ damnationis, quam ait, nos non incurrere propter originis malum, sed propter propriè transgressionis peccatum: Idem comprobat Innocentius tertius, cui Magister aliqualiter est consentaneus: & resumitur de baptismo & eius effectu, Cap. Maiores. §. Si adhuc: Cuius sententia non est temerè aspernanda, quin potius ambabus (quod dicitur) vlnis suscipienda: Pœna, inquit, originalis peccati est carentia visionis Dei. Actualis verò peccati pœna, est perpetuæ pœnæ cruciatus: à qua nos liberare dignetur Christus Iesus, in sæcula benedictus. Amen.

Epistola 28. ad Hiero. & de bo. perseueran. cap. 11. & 12.

Marci 16.

Probabilissima sententia pœnæ paruulorum.

Lib. 2. de Abraham, cap. vlt. & in 5. cap. ad Romanos.

Mors prima, & secunda.

DISTINCTIO TRIGESIMA QVARTA.

Malum quid sit?

CAPVT I.

POstquam fusiori verborum tractatu disputatum est, de peccato originali, iam præposterus nequaquam censebitur ordo, si de actuali nō nulla promamus,& optimè hoc fecerimus si à peccati genere, nempe malo ordiamur. Manichæus malum comminiscebatur esse substantiam, non ex Deo bono profectam,sed ei coæternam,secundum Augustinum. At plurimum desipit, inquit, quia nullo modo est substantia, sed potius ab immutabili substantia,quidam mutabilium substantiarum defectus. Quod non sit substantia, nec res, nec natura,duplici colligitur ratione. Vna est à diuo Augustino desumta: altera, à sanctissimo patre Dionysio Areopagita. Sic autem colligit beatus Augustinus: Ei quod summè est, & fons omnis esse, nihil est contrarium, nisi non ens, sed malum est malo contrarium, igitur nulla est mali natura, sed amissio boni, vocabulum mali vsurpat. Quid est malum, inquit, aliud quàm priuatio boni? & similitudine probat. Nam sicut corporibus nihil aliud est, morbis & vulneribus affici, quàm sanitate priuari,ita etiam & animorum quæcunque sunt vitia,naturalium sunt priuationes bonorum, & sublata natura locum non haberet priuatio, quia nullum posset esse malum, si nullum præcessisset bonum. Altera ratione colligit Dionysius Areopagita,& post eum sanctus Thomas,malum nihil esse:bonum est,inquit, quicquid est appetibile, sed omnis creatura naturali instinctu se diligit ac conseruat, ergo est bona,nec malum aliquid agit, nec desiderat, nisi ratione boni adiuncti quod ibidem inuenit aut confingit. Verum his obijciuntur, Iustitia & iniustitia contrariè opponuntur, ergo iniustitia est aliqua natura,& malum aliquid est in rerum natura existens. Respondendum est, non contrarias esse, sed priuatiuè oppositas: Si tamen contrarias esse concesserimus, iniustitiam esse naturam non consequetur: Quoniam id cuius ratione iniustitia esset natura, puta actus ipsius non est malum, nec opponitur iustitiæ, sed ratione carentiæ rectitudinis, quæ in actu ex sua natura

Lib. 1. contra Iul. cap. 3. & tract. 96. in Ioan.

Malum non est substantia aut natura.

Lib. 1. cap. 9. & lib. 12. de Ciuit. Dei, cap. 2. Enchirid. ca. 11. & 13.

De diui. nominibus, cap. 4.

1. Parte, quæst. 48. art. 1.

Obiectio.

Solutio.

bono nascitur, & ratione indebiti finis, quem in actu amplectitur, actus caret debito fine, nec non sua rectitudine destituitur. Obijciunt quidam & istud: Vitia, vt iniustitia, mentem inficiunt, igitur natura aliqua sint necesse, est: Respondendum est bipartita solutione quippiam mentem coinquinare, vno modo effectiuè, altero modo formaliter, veluti cæcitas vitiat oculum, itaque malum inficit mentem. Inficit quoque & alio modo, sicut namque absentia nautæ causa est submersionis nauis, aliorumque inde malorum sequentium: haud secus vitium, quia absentia virtutis & gratiæ, causa est multorum priuatiuæ peccatorum.

Obiectio.
Solutio.

De origine mali.

CAPVT II.

PRæsenti doctrinæ capite constitutum sit oportet, originem mali non aliundè, quàm ex re bona emersisse, non autem ex natura mala, vt obgannit Manichæus. Cum enim à Deo sint cuncta condita, vniuersaque producta, & quidem valde bona, nihilque subsistat in rerum natura, quod non esset Deus, vel bonum Dei opus, sicuti in prima huius libri elucidauimus distinctione: profectò nullum potuit esse malum, ante primum peccatum. Si autem nullum fuerit malum, sed bona erant omnia, non potuit nisi ex re bona malum exoriri, quemadmodum edocet beatus Augustinus, vbi obijcienti Iuliano: Si peccatum ex voluntate est, mala est voluntas, quæ peccatum facit, si ex natura mala, natura mala non est ambigenda. Respondet ex voluntate esse peccatum, & malam esse voluntatem, quæ fructus producit malos: sed huius malæ voluntatis originem non esse nisi naturâ bonam. Loquitur autem ibi Augustinus, de voluntate in significatione actus. Nam voluntatis potentia, quæ est naturalis facultas creaturæ rationalis, semper bona est. Quod, inquit, adiunxit Iulianus: Si ex natura mala, mala est natura, quæro ab illo, vt si queat, respondeat. Sicut manifestum est, ex voluntate mala, tanquam ex arbore mala, fructus eius fieri, omnia opera mala, sic ipsam voluntatem malam, id est, fructuum malorum arborem malam, vnde dicat exortam? Si ex angelo, quid erat ipse angelus, nisi bonum opus Dei? Si ex homine, quid erat ipse homo, nisi bonum opus Dei? Imò quia voluntas mala angeli ex angelo, ex homine homini orta sit, quid erât hæc duo, antequam in eis ista mala orirentur, nisi bonum opus Dei, & bona atque multis encomijs collaudanda

Li. 2. de nup. & conc. cap. 28.
Augustinus respondet Iuliano.

danda natura? Ecce ergo ex bono oritur malum, nec fuit omnino, vnde originem nisi ex bono duceret. Mala ergo ex mala voluntate, tanquam mala arbore promanare creduntur. Haud dissimilia profert Augustinus, vbi etiam tacitæ cuidam occurrit quæstioni ex Euangelio, occasionem sumenti, vbi dicitur: Non potest arbor bona malos fructus facere, sed cùm mala ex bonis, inquit, exorta esse pronunciamus, non putetur hoc Diuinæ sententiæ refragari, qua dicitur: Non potest arbor bona malos fructus facere. Non potest enim, sicut veritas dicit, colligi vua de spinis, quia nequit vua nasci de spinis, sed ex bona, beneq; culta terra, vuas nasci posse videmus. Eodem modo sicut tanquam arbor mala, fructus bonos. i. opera bona non potest facere voluntas mala, sed ex bona hominis natura oriri potest voluntas bona, & mala. Nec fuit prorsus, vnde oriretur voluntas mala, nisi ex angeli & hominis natura bona. Sic August. vbi similiter voluntatem malam pro ipso voluntatis actu accipit, quam comparat arbori malæ, quæ non profert, nisi fructum malum: Ipsam autem naturam, seu voluntatem in significatione potentiæ, quæ nũquam non bona est, comparat terræ bonos & malos fructus proferenti. At dices, etiam in significatione actus, tam angeli, quàm hominis voluntas bona fuit ab initio, quãdo (vt in præcedentibus ex Augustino ostensum est) casto amore, in quo creati sunt, Deo adhæserunt, ergo si actus voluntatis bonus est, arbor bona quæ non profert nisi fructum bonum, cõsequens est, non potuisse ex illa voluntate bona, qua adhæserunt Deo oriri volũtatem malam. Id autem, si verum est, vnde igitur originem sumsit, prima voluntas mala, siue hominis, siue angeli? Respondeo, non ex actu voluntatis bono, sed ex natura bona, seu voluntatis potentia, sicut terra bona tribulos profert, & ficus, spinas, & vuas, cùm nec de tribulis ficus, nec de spinis vuæ colligantur. Terra ergo bona, ex qua, & boni, & mali fructus proueniunt, natura bona est, quam talem voluit esse Deus, vt & bene velle posset, & malè, adhærere Deo, & ab eo deficere. Sanctus Augustinus mutabilitatis huius causam assignat, quod non de Deo, sed ex nihilo facta sint omnia. Nec ideo, inquit, potuit ex bono oriri voluntas mala, quia bonum factum est à Deo, sed quia de nihilo factum est, non de Deo. sic ille. Sed præcipua huius ratio esse videtur, quod talem voluit Deus esse naturam, tam angelicam, quàm humanam, quæ ad vtrumlibet ad bonum, & malum pro suo arbitrio posset inflectere, donec eam acciperẽt, tam homines, quàm angeli gratiæ abundantiam, qua fieret, vt amplius peccare non possent. Nam de hominis institutione loquens

Ench cap. 15.
Matth. 7.
Mali origo vnde?
Lib 1. cap. 12. de Ciuit. Dei, & lib. 2. de nup. & conc. cap. 28.

Eccleſ. 15. ſcriptura, huius rei cauſam in Deum refert, inquiens: Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui. Idemque prorſus de angelis eſto iudicium, facta eſt autem, tam hominis, quàm angeli voluntas mala, quando à rectitudine regulæ Diuinitus ſibi præſcriptæ defecerunt. Nec enim aliud eſt peccare, quàm à lege Dei deficere. Vnde etiam eſt conſequens, voluntatis malæ, aut alterius cuiuſque peccati propriè non eſſe cauſam efficiētem, ſed deficientem: quemadmodum etiam pulcrè docet diuus Auguſtinus: Nemo, inquiēs, quærat efficientem cauſam malæ volūtatis, non enim eſt efficiēs, ſed deficiens, quia nec illa effectio eſt, ſed defectio. Deficere namque ab eo quod ſummè eſt, ad id quod minus eſt, hoc eſt, incipere habere voluntatem malam. Porrò, cauſas iſtarum defectionum, cum efficientes non ſint, ſed deficientes, velle inuenire, perinde eſt, ac ſi quiſpiam velit videre tenebras, vel ſilentium audire, quod tamen vtrumque nobis notum eſt, neq; illud, niſi per oculos, neq; hoc, niſi per aures, non ſanè in ſpecie, ſed in ſpeciei priuatione. Quod poſtea magis explicat, dicens: Cùm enim acies oculi corporalis currit per ſpecies corporales, nuſquam tenebras videt, niſi vbi cœperit non videre, ita etiam, non ad alium aliquem ſenſum, ſed ad ſolas pertinet aures, ſentire ſilentium, quod tamen nullo modo, niſi non audiendo ſentitur. Habet etiam hac de re inſignem, prolixamque diſputationem ibidem, quàm requirere integrum, cuique fuerit. Quanquam autem illo capite ſoli malæ voluntati tribuere videatur cauſam deficientem, non autem operibus malis, quorum cauſam aſſeuerat eſſe voluntatem malam, tamen ratio illa, quæ ex capite ſequenti eſt adducta, planè euincit omne peccatum, prorſus tale eſſe, vt nullam habeat propriè cauſam efficientem, ſed deficientem duntaxat. Quod ſolis luce clarius, ex præmiſſis etiam omnibus potuit eſſe manifeſtum.

Lib. 12. de Ciuitat. Dei, cap. 7.

Lib. eiuſdem, cap. 6.

Deus non eſt author mali.

CAPVT III.

SVperuacaneum non fuerit triplicem rerum futurarum hic diſtinxiſſe differentiam, propter eos, qui Deum mali authorem aſſerere non pertimeſcunt, quales fuerunt Florinus & Blaſtus, ſecundum Euſebium Cæſarienſem Epiſcopum, & Auguſtinum, Gnoſtici, Cerdomani, Manichæi, Seleuciani, Hermiani, Lutherani quoque noſtro lachrymabili tempeſtate, & Caluiniſtæ. Qui dogmatizârunt Dauidis adulterium, Iudæ proditionem, non minus eſſe opus Dei, quàm Pauli conuerſionem.

Lib. 5. eccleſ. hiſt. cap. 20. hereſ. 6. & 66. 21. 46. 59. Lib. 1. Inſtitutionis Chriſtianæ, c. 1. 18. ſect. 2. & 3.

Quare

Quare notandum est quædam sic existere, quorum Deus tota est causa per voluntatem, vt sunt creaturæ Dei, earumque creatio. Secundò quædam sunt, quorum non Deus, sed creatura est tota causa, per voluntatem, sed deprauatam, vt sunt peccata. Tertiò quædam sunt, quorum Deus simul & creatura sunt tota causa, licet Deus sit principalior, vt sunt moralia bona, virtuosaque opera, quæ Deus nobis cooperantibus in nobis operatur. Pro manifestiori tamen prioris erroris refutatione, haud ignorandum est, secundum Ioannem Damascenum, duplicem esse malorum speciem, culpæ, videlicet & pœnæ. Horum duorum simul malorum meminit scriptura: Si pœnitentiam, inquit, egerit gens ista à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo quod loquutus sum, contra illam, vt facerem. Et iterum, dereliquerunt Dominum, propterea adducet Dominus super illos malum, hic derelinquere Dominum, est malum culpæ, puniri est malum pœnæ. De priori malo, culpæ scilicet, & peccati, seorsum habet scriptura alia: Sensus & cogitatio hominis ad malum prona sunt, id est, ad peccatum. Quod malum duo in se complectitur, Auersionem à summo bono, & conuersionem ad commutabile bonum. Hinc loquitur Propheta: Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem vitæ, & fecerunt sibi cisternas dissipatas. Horum malorum, vel huius peccati Deum non esse authorem, non solum perspicuum est ex Platone, qui iussit huiusmodi criminatores Ciuitate extrudi, sed etiam ex sacra pagina: Videns (inquit Deus) quod multa malitia hominum esset in terra, pœnituit eum, quod hominem fecit in terra. Et iterum: Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Item odio sunt Deo impius, & impietas eius: Nec Deus volens iniquitatem, tu es, quia potius iniquos odio habes. Et expressis verbis: Perditio tua ex te Israhel, non ex me, & ex patre diabolo estis, quem imitari non pertimescitis. Nec non Deus legitur intentator malorum. Et concupiscentia carnis, ac praua desideria non sunt à Deo. Idem comprobant prisci patres ex prælibatis scripturis varijs in locis, quibus allegandis breuitatis ergò, supersedemus. Quo contestatissimum esse potest causam iniquitatum in nos referendam, in Deum verò nequaquam: Cùm ipse etiam latis legibus contraria fieri mandàrit, vti docet Augustinus, lib. 22. de Ciuitate Dei, cap. 1. libr. 1. contra 2. Epistolas Pelag. cap. 6. tractatibus 42. & 44. in Ioannem, libr. 3. de libero arbitrio cap 8. Epistola 20. capite 19. ad Honoratum Theodoretū, Libro Grçcarum affectionū. 5. de natura hominis,

Triplex rerū differentia à Deo prodeūtium.

Malū est duplex, pœnæ & culpæ.

Lib. 4. ortho. fid. cap. 20.

Hierem. 18.

3. Reg. 9.

Genes. 9.

Malum culpæ duo in se complectitur.

Hierem. 2.

Libr. 2. Reipub.

Genes. 6.

Esaiæ 1.

Sapien. 14.

Psalm. 5.

Psalm. 118.

Oseæ 13.

Ioannis 8.

Iacobi 1.

Hebr. 6.

Similitudo Athanasij. Thomas, 1. 2. quæst. 79. articulo 1. Et B. Athanasius, oratione contra idola, non prorsus incongruum ad idem adstruendum profert exemplum: Nullum malū, inquit, nec à Deo, nec in Deo, nec ab initio extitisse, neque vllam esse eius substantiam cōstat, sed homines comminisci cœperunt, finxeruntq; pro libidine ea, quæ non erant, vt enim, si quis sole præsente, & vniuersum hemisphærium nostrum suo iubare illustrante, conniueat, oculis clausis, ac inde tenebras, quæ nullæ sunt, animo fingat, ac postmodum, quasi in tenebris ambulans oberret, vt nunc lapsante gradu procidat, nunc ad præcipitia se incitet, arbitratus interim non lucem, sed tenebras esse, seseque cùm nihil videat, intueri. Ita quoque mens humana clausis oculis, quibus Deum contemplari poterat, effictis sua imaginatione malis, in ijs se agitet, insciens, interim se nihil agere, dum se, maximopere negotiosum præbet. Non enim qualis in principio condita fuit, permanet, *Sess. 6. cap. 6.* sed qualem se contaminādo reddit. Et Cōcilium Tridentinum: Si quis dixerit, inquit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera, ita vt bona operari Deum, nō permissione solum, propriè, & per se, adeò vt sit propriū eius opus, nòn minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit.

Malum pœnæ quale? Secundum malum dicitur pœnæ, huius generis sunt mors, tribulatio, & id genus aliorum. De hoc malo dicitur: Sufficit diei *Matth. 6.* malitia sua. Huius causa effectiua dicitur Deus, contra Collu- *Hæres. 25.* tianos, qui inficiati sunt Deum huius mali pœnæ authorem, *Lib. 8. Etym. cap. 5.* teste Augustino, & Isidoro, cum apertis testimonijs istud sacra doceat scriptura: Ego, inquit Deus, creans pacem, & faciens ma- *Esaiæ 45.* lum. Et alibi: Non est malum in ciuitate, quin faciat Dominus. *Amos 3.* Et iterum, Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à *Eccles. 11.* Deo sunt, hanc veritatem corroborat vniuersa orthodoxorum scriptorum vetustas.

Deus an cooperetur malo?

CAPVT IIII.

Haud prorsus alieni à Manichæorum impietate cognoscuntur, qui actus peccatorum, nullo modo à Deo esse *Ioan. 1.* constituūt, cùm manifestè scriptura declaret, omnia per *Sapien. 11.* Deum esse facta, ipsumque diligere omnia quæ fecit, nihilque odisse eorum quæ fecit. Perspicuum namque est furem & latronem non posse, absque concursu Diuinę operationis, & permissionis extendere brachium ad actum furandi, vel enecandi: Nec adulter, actum carnalē quidem potest perficere, nisi Deo tanquā

causa

causa vniuersali cooperante. Impossibile, inquam, est creaturam quicquam agere, non cooperante creatore, secundum B. Thomam. [*1.2. quæst. 79. art. 2.*] Verum iam oritur quæstio: Si talis actus Deus est causa, quare ergo ipse in homine flagellat, quod ipse administrat, & ipse per hominem operari non cessat? Dicendum est, quod iustè flagellis excipiat, propter deformitatem actui annexam, & non propter actum positiuum, inquãtum est huiusmodi, nam si quis actum homicidij perpetret, absq; hac peccati deformitate, puta interficiendo reum iusto & publico iudicio, propter talem homicidij actum, legi hoc vetãti non esset obnoxius. Pari modo, si quis carnalem exerceat, absq; hac deformitate commistionem, nempe cum propria vxore, non puniretur, quia deformitas, quæ est in adulterio, &c. pœnam duntaxat meretur. Præterea liquet actum, vt talem non habere peccati rationem, quia Israhelitæ spoliârunt Ægyptios, & Propheta se fornicatrici copulauit, qui [Exod. 3. Oseæ 1.] tamen Deum in his non exasperauerunt, quin potius obsequuti iussa eius capessere studuerũt, teste Augustino & Bernardo. [*Lib. 22. cõtra Faust. ca. 73. Libr de præcep. & dispẽs.*] Verũ his obijci potest. Si Deus perficiat actum, illiq; cooperetur, cùm nec folium cadat de arbore sine patre vestro, videtur necessario [Matth. 7. & 10. Act. 17. & ad Hebr. 1.] concludi posse, quod etiam ipsam perficiat deformitatem, quia quando inter aliqua talis est habitudo, vt inter se nullũ patiãtur diuortium, tunc vnum perficiens, operari videtur & reliquum, atqui talis est deformitatis habitudo ad actũ, ergo Deus est author mali, & deformitatis. [*Obiectio.*] Respondendum est, quod quanquam reali discrimine non separentur, tamẽ actus, vt talis, & deformitas ipsa, secundum rationem distinguuntur formalem, atque separatim intelliguntur, præsertim cum actus sit quid positiuum, [*Diluit obiectum.*] deformitas quid priuatiuum, à mala hominis voluntate proficiscens, non ab increata, & Diuina, nisi permissiuè. Hinc dicitur, oculi tui malum respicere non possunt: & si culpa in hominẽ sapientem cadere res nõ sinat, multò minus in Deum homine sapiente incomparabiliter præstantiorem, secundum Augustinũ: [*Lib. 83. quæst. 3. & 4. nec non 21.*] Deus, inquit, est rebus causa essendi non efficiendi. Cui consentaneus est Gregorius Magnus: Boni igitur tanti causa existit, non mali, qui omnium, quæ sunt, author est, quia inquantum sunt, bona sunt. [*Lib. 11. moral. cap. 2. & lib. 29. ca. 15.*] Nec obstat, quod dicatur subtrahere gratiam, itaque actum rectitudine exuere, atque deformitati subijcere, quia secundum Augustinum, vbi supra: Nullus Deo authore fit deterior, etsi gratia interdum subtracta deprehendatur, hoc fieri non consueuit, nisi præcedens culpa meruerit, vt fusius enucleauimus superioribus articulis, ad quos studiosum lectorem remittimus.

DISTINCTIO
TRIGESIMA QVINTA.
Diuiſio peccati.
CAPVT I.

HAud diſſimili à beato Paulo, filo, ad Romanos progreditur Magiſter, ſicut enim illa Epiſtola eſt dogmatica & ethica, ita iſte ſecundus liber Sententiarum. Quemadmodum namque multis capitibus acutiſſimis rationibus & ſcripturis diſputat de fide, gratia, peccato originali, prædeſtinatione & reprobatione, & poſtea aliquot ſequentibus, viuendi lineam oſtendit, qua peccata euitare iuſſit. Sic Magiſter, ſimulatque magno ſubtiliſſimi ingenij ſui acumine diſſeruit, varijs de rebus fidem Catholicam concernentibus, iam in calce libri Methodũm oſtendit, qua peccata cognoſcendo, ſedulo mentis conamine euitare ſatagamus. Non enim quod ſciuiſti, ſcripſiſti, legiſti, aut etiam credidiſti, ſed quod feciſti, requiret iudicium Chriſti. Ne tamen inordinato progreſſu ordiamur: declinemus mala, antequam faciamus bona, ſecundum conſilium Prophetæ oportet: Declina à malo, inquit, & fac bonum. & alius quidam: Quieſcite agere peruersè, diſcite benefacere. Quod vt faciliùs impleamus, neceſſe eſt, cognoſcamus naturam peccati, eiusque multiplicitatem. Malorum ſiquidem, vnum & primum eſt originale, de quo ſatis, ſuperque prædictum eſt. Alterum eſt actuale: Actualium vnum in actu vitioſo conſiſtit, quod commiſſionis peccatum appellitamus, vt eſt homicidium, furtum, adulterium. Alterum in nuda priuatione, ſine actus exhibitione, quod nuncupatur peccatum omiſſionis, vt eſt, non ſubuenire egenis, non honorare parentes. Atque horum vtrumque ſubdiuiditur in peccatum veniale, de quo poſtea, & mortale. Quod rurſus ſeptem ſpeciebus, tãquam ſeptẽm in dracone capitibus, cumulum demeritorum accerſit. Quæ ſpecies certis ſuis etiam filiabus hoc tempore virtutum valdè ſterili, nimium regni gubernacula principantes tenent, teſtibus diuo Gregorio, & ſancto Antonino, de quibus per ſingula tractare à noſtro inſtituto impræſentiarum cenſetur alienum.

Methodus à Magiſtro ſeruata qualis?

Pſalm. 33.

Eſaiæ 1.

Peccati diuiſio.

Peccati mortalis filiæ.

Libr. 31. *moral. cap.* 17.

1. *parte ſummæ titu.*6.7. 8. 9. & 10.

Peccatum mortale quid?

CAPVT II.

QVanquam reperiatur apud Augustinum, peccatum nihil esse, aliter tamen peccatum nihil est, aliter id quod nullo modo in rerum natura existit, quia peccatum formaliter nihil est, nihilominus alicuius boni priuatio est. Si enim nullo modo esset, non haberet authorem voluntatem, authorem, inquam, non efficientem, sed deficientem, malam scilicet hominis voluntatem, ideo aliquo modo est, atque à Deo punitur, quia non habet quod habere tenetur, describitur autem ab Augustino trifariam. Primò, suæ naturæ & essentiȩ respectu. Peccatum, inquit, est dictum, factum, vel concupitum contra æternam Dei legem. Vel, Peccatum est vti fruendis, ac frui vtendis, vel spreto incommutabili bono, rebus mutabilibus adhærere. Rectè sic describit contra Faustum, quippe qui docebat congressum Abrahȩ cum Agar ancilla, fuisse peccatum, à quo tamen ipsum excusat Augustinus. Altero modo definit peccatum ratione causæ, siue originis. Peccatum est voluntas retinendi, vel consequēdi, quod iustitia vetat, vndeque liberum est abstinere. Et benè quidem ita definiuit contra Manichæos, malū Deū causam peccati, non voluntatem malā constituentes. Tertiò, describitur ab eius effectu, quod delinquētes, iræ Dei reos efficiat, odioq; dignos. Sic enim habet: Hoc est non habere peccatum, reum nō esse peccati. Itaq; ibi describit contra Pelagium, effectum baptismi pernegantem, cuius est tollere reatum peccati. Verùm hȩ descriptiones arctiores sunt, vtpote quibus actualia tātum peccata comprehenduntur, hoc est, quȩ cōsistunt in actuali cogitatione, loquutione, aut externa operatione. Peccatū autem originale, cùm non sit actus vti præmisimus aliquis trāsiens, sed corruptio, & languor quidā naturæ perseuerāter inhærens, ibi non cōprehenditur: Nec item ea impietas, quæ post actum peccati transeuntem permanet, à quo homo, etsi amplius non peccet, peccator adhuc dicitur, & habere peccatū, donec indulgētia remittatur. Quemadmodū de sacrificio idolis immolato docet August. docens actū ipso opere, quo peragitur transire, nec amplius esse, & si iterum fiat, aliud fieri peccatum, à priori distinctum: Impietatem verò, qua hæc fiunt, tam diu manere, donec idolis renūcietur, & in Deum credatur. Et alibi ait eum, qui adulterium semel commisit, etiamsi deinceps abstineat ab illo, adhuc subiacere peccato, donec indulgentia deleatur. Et tamen præmissis descriptionibus,

Tract. 1. in Ioannem.

Lib. 22. cōtra Faustum Ma. cap. 27.

Peccati mortalis descriptiones.

Eo loci cap. 52. Lib. 2. cōtra aduer. leg. cap. 9. & lib. 1. de nup. & conc. cap. 8. & 9.

Libr. de animabus, cap. 2. & libr. 1. retract. cap. 15.

Libr. 1. de nup. & conc. cap. 26.

Lib. 6. contra Iul. cap. 8.

Libr. de nup. & conc. cap. 26.

neque culpa originalis, neque post actum peccati transeuntem permanens impietas comprehenditur. Non enim paruulus, aut dicit, aut concupiscit, aut facit quippiam, legi Dei repugnans. Non etiam vtitur fruendis, nec fruitur vtendis. Breuiter peccati actum, quem priores descriptiones includunt, nullum in eo reperies, sicut neque in adulto reperitur adulterij actus, quo commisso semel adulterio, deinceps ab eo abstinet. Nam peccatum illud in facto consistens, cum tempore, quo factum est perijt: Quare alia nobis quærenda est peccati definitio, qua in vniuersum quicquid verè, ac propriè rationem peccati suscipit, comprehenditur. Non enim, vt quidam imaginantur, alia est ratio peccati, secundum quam peccatum originale, alia item secundum quam actuale dicitur peccatum. Sunt enim hæ primæ peccati species, originale, inquam, & actuale, & secundum vnam, eandemque, & propriam peccati rationem, peccatum originale æquè, vt actuale peccatum dicitur, & est. Neque neganda est impietas illa, quæ post actum peccati transeuntem, mentem adhuc ream tenet, peccati nomine propriè cēseri, quemadmodum iam ex Augustino ostensum est, & scripturæ frequenter id inculcant, quæ hominem ab actu præterito, qui amplius nō est, adhuc peccatorem cognominant, & à peccato conuerti iubent. Sic Petrus Iudæis loquens: Vos, inquit, sanctum & iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis: authorem verò vitæ interfecistis. Et postea: Pœnitemini igitur, & cōuertimini, vt deleantur peccata vestra. Cùm igitur hæc propriam etiam rationem peccati subeāt, talis peccati quærēda est definitio, qua ista etiam includantur. Propriam autem, veramq; peccati rationem explicat Ioānes, inquiens: Omnis qui facit peccatum, iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas. Quod autem iniquitatis nobis ratio notior sit, quàm peccati, inde emergit, quod illius mox se offert positiuum contrarium, ex cuius notione protinus elucescit, atq; innotescit iniquitatis ratio; secūdum Gregorium, quod non perinde cōtingit in peccato. Porrò, iniquitas æquitati contraria est. Æquitas verò est iustitia, aut rectitudo, quam à nobis exigit Deus, ad suæ legis regulam, quare iniquitas nihil aliud est, quàm obliquitas rectitudini regulæ illius opposita. Igitur peccatum, quod à Ioanne iniquitas vocatur, rectè vocari potest obliquitas, difformis rectitudini regulæ, quæ lege Dei præscribitur. Qua descriptione omnia comprehenduntur, quæ propriè peccati rationem obtinent, etiam ea, quæ omissionis peccata appellantur. A quibus omnibus liberet nos Deus, in æternum benedictus. Amen.

Actor. 3.

1. Epistolæ cap. 3. Iniquitas quid?

Libr. 11. moral. cap. 21.

Adæ pec-

Adæ peccatum, an aliorum fuerit grauius peccatis?

CAPVT III.

HVius quæstionis difficultas ex eo pendet, An peccatum primorum parentum grauissimum fuerit ex obiecto, siue ex suo genere, quemadmodum grauius est odio habere Deum, quàm proximum. Considerandum est igitur in illorum peccato fuisse infidelitatem, neque enim Deo dicenti crediderunt, Morte morieris: sed serpenti, non moriemini. Adam quoque volens & prudens, verba illa Dei in alium detorsit sensum, non credens ita simpliciter vera fore, vt prolata erant. Fuit præterea in illo peccato odium & contemtus Dei. Odium quidem, quia Adam se excusando peccatum suum in Deum transtulit, quem existimauit authorem esse suæ turpitudinis, turpisque erubescentiæ ac libidinis, quam patiebatur, pœnam intulisse. Contemtus autem Dei maximus in eo fuit, quod tam parui fecerit eum, per hoc illi fieri æqualis sibi falsò persuadens, quod eius præceptum violaret. Contemtus etiam non paruus in eo fuit, quod seipsum credebat sub condensis Paradisi arboribus delitescendo, à facie Dei posse abscondere, ita vt ibi Deus eum videre non valeret. Quemadmodum & nos interdum eadem superbia & mentis cæcitate præuenti, persuademus nobis nos nō conspicandos, quando in secreto conclusos cubili nemo hominū videt, quod sanè est diuinæ omnipotentiæ & sapientię plurimum derogare. Verū huic sentētiæ repugnare videtur diuus Thomas, dicens, Peccatum primi hominis non fuisse grauius omnibus alijs peccatis humani generis, secundum speciem peccati, quia, inquit, maior est superbia, qua quis Deum negat, vel blasphemat. At si penitius inspiciatur, videbitur in veritate dictis non contrariari: quum enim dixit, infidelitatem in peccato primi hominis non fuisse, considerauit initium peccati primi hominis, non consummationem. Certo enim certius est, quod Adam non statim vbi superbire cœpit, in infidelitatem prolapsus est, at postea crescente superbia in infidelitatem tandem & odium Dei præcipitatus est. Et sanè mirum hoc est in Thoma, quod cum disputat, an Eua grauius peccârit, quàm Adam, consideret peccatum Euæ, tam secundum initium, quàm consummationem, dicens eam fuisse infidelem, & credidisse serpenti contra Deum. Hic autem cum de grauitate primi hominis disputat, perfecta eius consummatione postposita, initium duntaxat illius attendit. Quod autem Magister

Genes. 2.

Adam quam grauiter peccarit?

Dist. 22.

dicat, alios postea peccatis suis grauiorem damnationem & iram esse promeritos, quàm suo Adam peccato promeruit, non eo inficias, quod si nempe statim Adam post peccatum commissum, fuisset è viuis sublatus, non tantam in inferno pœnam luisset, quam temporé succedente Antiochus aliquis vel Herodes, Cayphas, aut Iudas traditor, habuêre. Quod sanè non inde proueniret, quia Adam suo peccato minus peccauit, quàm illi aliquo suo vno peccato, licet grauissimo. Sed quia illi vel diutius in grauissimo peccato permansere, sine prauæ voluntatis mutatione, vel plura grauissima scelera iteratis vicibus perpetrarunt, vel etiam maiorem Christi gratiam sibi oblatam crebrius ingratissimè contemtui habuêre. Illud autem quod Magister ait, Adę peccatum non fuisse in Spiritum sanctũ commissum, nõ est veritati consentaneum, nam si peccatum in Spiritum sanctum est, quod directè contra Deum committitur: certè Adam cum peccando non credidit Deo, cumque odio habuit, & contemsit, vel maximè in Spiritũ sanctum deliquit. Secunda ratio, cur peccatum primi hominis cæteris omnibus fuerit grauius, est, quia fuit maximè liberum, quæ ratio etiam à Magistro adsignatur. Nullam enim habuit Adã in principio sui peccati concupiscentiam malam, quæ eum ad peccatum incitaret, habebat præterea plenissimum & limpidissimum intellectum, nulla ignorantia, vel cæcitate vitiatum, voluntatem optimam & liberrimam, nulla passione corruptam, Hãc rationem creberrimè attendit diuus Augustinus: Vbi enim non est voluntarium, non est peccatum, igitur vbi est plenissimum ac

14. *Ciuit. cap.* 15. liberrimum voluntarium, ibi maximum est peccatum: Si quis, inquit, eiusmodi damnationem vel nimiam, vel iniustam putat metiri, profectò nescit quanta fuerit iniquitas in peccando, vbi

Genes. 22. tanta erat non peccandi facultas: sicut enim Abrahæ non immeritò magna prædicatur obedientia, quia vt immolaret filium res difficillima est imperata, ita & in paradiso tantò maior inobedientia fuit, quantò id quod præceptum fuit, nullius difficultatis erat. Et sicut obediẽtia secundi Adæ eo prædicabilior, qua factus est obediẽs vsque ad mortem, vbi enim magna est inobedientiæ pœna proposita, & res à creatore facilis imperata, quisnam satis explicet, quantum malum sit, non obedire in re facili, & talis potestatis imperio, & tanto terrenti sup-

Li. 21.*ca.*12. plicio. Et alibi, Pœna æterna ideo dura & iniusta sensibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum sensuum, deest ille sensus altissimæ purissimæque sapientiæ, quo sentiri possit, quantum nephas in illa prima præuaricatione commis-

commiſſum ſit. Quantò enim magis homo fouebatur à Deo, tantò maiore impietate dereliquit Deum. Deinde ſcientes prudentesque deliquerunt, quia libera voluntate præuaricati ſunt, ſecundum Auguſtinum: Voluntas autem, eſt animi motus cogente nullo, ad aliquid vel adipiſcendum, vel non amittendum. Quod propterea, inquit, dictum eſt de primis parentibus, vt hac definitione volens à nolente diſcerneretur, ſic ad illos referetur intentio, qui primi in Paradiſo fuerunt humano generi origo mali, id eſt, nullo cogente peccando, hoc eſt, libera voluntate, quia & ſcientes contra præceptum egerunt, & ille verſipellis ſuaſit, vt hoc fieret, non coëgit. Igitur peccatum primorum parentum fuit grauiſſimum, quia præ omnibus fuit maximè voluntarium. Sumitur præterea magnitudo iſtius peccati præ aliis, ex parte nocumenti, & damni illati. Peccatum quippe quod præ omnibus aliis maximè eſt nociuum, Omnibus enim ad vnum hominibus grauiſſimè in corpore & anima nocuit. Quanquam enim hoc nocumentum non fuerit ex intentione peccantis, nec fuerit voluntarium, debuerat tamen hoc præſciuiſſe, ac diligenter præcauiſſe, cogitando videlicet ſe eſſe principem & originem totius futuri humani generis, ac proinde qualem ſuam cuſtodiret naturam, talem ad poſteros vniuerſos tranſmittendam.

Voluntas quid?

Lib. 3. de lib. arb. cap. 19. & lib. 1. Retract. cap. 9. 13. & 15.

Quibus rationibus Adæ peccatum fuerit grauius?

Peccatum actuale, quomodo naturam corrumpat?

CAPVT IIII.

Requirentibus, vtrum per ea peccata, quæ propria actione peccato originali ſuperadduntur, relictum naturæ bonum magis corrũpatur, quàm erat ex primo corruptum pecccato? Reſpondendum eſt, ex authoritate ſupra allegata ex libro hypognoſticωn, quod ſic, dicitur enim eo loci ex primo peccato in nobis plagas factas eſſe, ſed nos ſuperaddere plurimas. Pro cuius rei intelligentia aduertendum, tametſi per primam inobedientiam perierit naturæ bonum, quod in originali ſitum erat iuſtitia, remanſit tamen quoddam aliud bonum, præter naturam, nempe inclinatio quædam ad virtutem, ſub generalibus quibuſdam rationibus conceptam, in quibus virtus quodammodo inchoatur, quamuis ſemper ſit impedita conſummatio. Atque hæc inclinatio conſequitur quaſdam reliquias imaginis Dei in nobis. Vnde ſanctus Auguſtinus libro

ſecundo,

ſecundo, Sermonum Domini in monte, aſſerit per iſtas reliquias legis naturæ animis noſtris inſcriptas, in conſcientia cuiuſlibet animæ quamlibet peruerſæ, loqui Deum, cuiuſmodi ſunt, bonum amandum eſſe, malum fugiendum, &c. Cui conformis Baſilius in Regulis fuſè diſputatis, dicit in ipſo ortus noſtri principio, vim quandam nanciſci nos, qua ad bonum impellamur. Et Cyrillus in Ioannem ſuper illud, Qui illuminat omnem hominem, teſtatur, Deum cuique ſemen ſapientiæ indidiſſe. Pari modo Auguſtinus, docet hominem habere regulam, luminaque virtutum, id eſt, generalia quædam principia, quæ generaliter tantum inſtituant hominem. Quibus aſſentitur Ioannes Damaſcenus, nec non diuus Thomas. Generalia igitur & mentibus & voluntatibus hominum principia quædam virtutum inſunt, ſed quæ ſemper impediantur corruptione & peruerſitate præualente. Hoc igitur in natura relictum inclinationis, bonum & imminuitur & corrumpitur per actualia peccata: Homicidium (vt res exemplo clareſcat) naturali inclinatione exhorreſcimus, & tamen conſuetudine eo aliqui adducuntur, vt bonum principium, quo intelligimus ab homicidio abſtinendum eſſe, in ſemetipſis opprimant, ac licitum eſſe homicidium penè ſibi ſtatuant. Nunquam autem hoc naturę bonum prorſus auferri, vel extingui poteſt, ſecũdum beatum Auguſtinum, quia nec ipſa natura licet in infinitum vulnerari poſſit, tamen nunquam poterit extingui. Signatum eſt enim ſuper nos lumen vultus tui Domine, qui es benedictus in ſæcula. Amen.

Cap. 2. & 3. & Epiſtola 44. ad Cæſarienſes.
Lib. 2. de lib. arbit. cap. 10.
ſer. 38. de verbis Domini.
Li. 3. orthod. fid. cap. 24.
1. 2. quæſt. 63. art. 1. & quæſt. 85. art. 1.
Lib. de ſpiritu & litera, cap. 27. & Enchirid. ca. 17. & 25.

Peccatum actuale, quomodo corpus corrumpat?

CAPVT V.

NAtura humana in primo corrupta parente, ſeneſcente mundo conſeneſcit, & ad decrepitæ ætatis debilitatem defloreſcit paulatim, quod haud obſcurè cum ſacris eloquijs, tum priſcorum patrum exemplis, niſi breuitati ſtuderemus, comprobari poſſet. Huic accedit ſæpius iterata diuerſorum multiplicitas peccatorum, quæ naturam pridem peccato corruptam, quaſi quibuſdam morſibus allidit, ac tanquam quibuſdam iaculis confodit. Paradigmatibus duobus ceu teſtibus iſtud fiat cuique conteſtatiſſimum: Fornicationi qui operam
1. Cor. 7. dare non reformidat, nónne in corpus ſuum, vt Paulus Apoſtolus loquitur, peccat? nónne venereis impudicæ libidinis actibus, ſe magis magiſque inſtar araneæ, (telam Penelopes texentis)

texentis) euiſcerat? nónne vitam ſuam quaſi in alias perſonas transfundendo, ſe magis eneruat? Et Neſtoreos quos forte ſortiretur annos, ſui iniuria abbreuiat. Nónne vt magis fornicatorem perſtringamus, corporis varias peccatum fornicationis producit infirmitates? profectò & miſerabiles, quales ſunt fici, extales prominentes, & eius farinæ alia erubeſcenda magis, quàm nominanda. Contra, virginitas integritatem conſeruat, humidum radicale confouet, & coruis viuaciores efficit, quod haud difficulter pateſcet, ſi iuſti Abelis pudicitiam virginalem conſiderauerimus, vt reliquas virgines miſſas faciamus. Nónne iſte virginum primus quingentos attigit annos? & hoc elicere promtum videtur ex ſacris literis. Ergo vel maximè officit naturæ peccatum fornicationis. Proferamus & ſecundum quod ſit de ebrietate, quæ homines rationis participes, quaſi amentes vinoque ſepultos reddit, fiunr namque epotandis calicibus dediti, ebrietate diuites, qui ſunt in veritate inopes. Aurum donant, diſpenſant pecunias populis, ciuitates ædificant, qui non habent vnde cauponi pòtus ſui pretium ſoluant, feruet enim vinum in his, & neſciunt quid loquantur, diuites ſunt dum inebriantur, mox vbi vinum digeſſerint, cernunt ſe eſſe mendicos. Vno die bibunt multorũ dierũ labores. De ebrietate ad arma conſurgunt, calicibus tela ſuccedunt. Pro vino ſanguis effunditur, & ipſum ſanguinem vina fuderunt. Quàm fortes ſibi homines videntur in vino, quàm ſapientes, quàm diſerti, quàm etiam pulcri, ac decori cum ſtare non poſſint? Mens titubat, lingua balbutit, pallor & ſanguis ora ſuffundit, fœtor ebrietatis horrori fit, Barbari in ferrum ruunr, vulgus in rixas. Si quis eorum pugno fuerit percuſſus, videas ora ſauciorum vini lachrymas fundere, miſerabiles epilogos decantare: habet enim hoc temulentia, vt & molliat & reſoluat corda temulentorum. Sicut enim ignis probat ferrum durum, ita & vini incendio etiam ſuperborum hominum cor liqueſcit. Omnes ſibi in vino æquales videntur, nullus inferior. Non pauper diuiti cedit, vtpote qui pauperem ſe eſſe neſcit. Non infirmus valido, cui omnis in bibendo eſt fortitudo. Non mendicus locupletiori, non ignobilis honorato, ſed cum bibunt, illum regem habent, qui bibendo ſuperauerit viros. Nónne melius fuiſſet vinum fudiſſe in terram? nónne mortem irrogas cum vinum propinas? imò venenum adminiſtras, omne enim quicquid nocet, venenum eſt. Tollit ebrietas ſenſus, viſcera exurit, caput diuexat. Eſtque fomentum libidinis, incentiuum inſaniæ. Hæc ſenſus hominum mutat & formas, per hanc fiunt ex hominibus

Fornicationis peccatum, quomodo naturam corrumpat?

Virgo primus quot annorũ mortuus ſit?

Ebrietatis vitium reprobatur.

equi

Hiere. 25. equi adhinnientes. Vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excidunt, hinc phrænesis periculosa, hinc calculi grauis pœna, hinc exitialis cruditas, hinc vomitus frequens, semesas epulas cum internorum viscerum cruore fundentium, sicque prolixioris vitæ periodum sibi adimunt, potatores, & corpus vegetum in cadaueris similitudinem, vltro citroque redigunt, vt veritatem habeat sententia: Plures interficit ingluuies, quàm gladius. De Inuidia non opus est pluribus immorari verbis, cum corpus & animam tanquam tineis corrosam, quasi lenta tabe consumat. Verum sicut de his, ita de reliquis censendum est peccatis, quæ naturæ multum officiunt, ac corpori mortem non raro accelerare creduntur. Proinde citius nos Dominus, ab omnibus liberare dignetur. Amen.

Mors quid & quare inflicta?

CAPVT VI.

Rom. 5. STipendium peccati ab Apostolo vocatur mors, quæ per peccatum in mūdum intrauit, hæc nihil est quàm priuatio vitæ, sicut fames escarum defectus, tenebræ, absentia lucis: inopia, priuatio facultatum, & si qua sunt alia quæ rerum

Mors vnde dicatur? priuatione nihil esse, nisi nomen inueniuntur. Opinor namque, ait Augustinus lib. primo hypognosticωn, quod ideo mors hoc vocabulum accepit, eo quod morsu quodammodo venenosi serpentis, id est, diaboli, in Paradiso Adam fuerit interemtus. Tunc enim morsu serpens decepit Adam, quando per concupiscentiam mordere, hoc est, edere suasit illicita. Vnde Dominus, O mors ero mors tua, ero morsus tuus inferne. Mors & infernus in diaboli persona dicta intelliguntur. Morsus factus est inferni, cum se ab eo tanquam escam, id est, carnem suam suscipi passus est, qua nō satiaretur, sicut de peccatoribus, sed absorberetur, sicut dictum est. Absorpta est mors in victoria. Hæc quadripartita sectione diuiditur. Prima est ciuilis, iuxta illud Apostoli: Mortui estis mundo, nempe per laudabilem integræ vitæ consuetudinē. Et iterum, Quasi morientes, & ecce viuimus. Et alibi, Existimate vos mortuos peccato: Hoc modo monachi, mei similes, deberent esse mortui peccato & mundo, per abstractam regularis obseruantiæ conuersationem. Sicut enim vita defunctus, testamenti pacto legat animam Deo, corpus tumuli penetralibus sacris, facultates hæredibus,

Oseæ 13. *Mors quadruplex.* 1. Cor. 15. Coloss. 3. 2. Cor. 6. Rom. 6.

redibus, ita religiosus mundo crucifixus, & mortuus, animam Deo non carni, corpus monasterio, non vagis discursibus, facultates mundo committit. Et sicut mortuus amittit colorem, visum, voluntatem, &c. ita monachus omnibus abrenunciet oportet. Secunda mors est animæ & corporis, teste Ambrosio, & Augustino, qua traditur vtrumque æternalibus cruciatibus exurendum, mors siquidem peccatorum est pessima. Tertia est spiritualis in anima: Sic Adam obijt peracto peccato, licet multis postea vixerit annis, sicut enim mors exterior ab anima dirimit carnem, ita mors interior separat à Deo, teste Gregorio Magno. O quot hodie ita mortui fœtent, quasi triduani in sepulcro? quot sunt qui phalerna vina bibunt, anima enormibus peccatis sauciata? Bone Deus quot sunt hodie, qui corpore hilari crateres magnos statuunt, & vina coronant, nullum peccatorum remorsum admittentes? Quo fit non raro, timendum est, vt hac animaduersione percutiatur peccator, secundum Augustinum, vt moriens obliuiscatur sui, qui viuens oblitus est Dei. Quarta est mors corporalis, quæ non est homini concreata, sed pro meritis peccati, omnibus inflicta: Omnes namque morimur, & sicut aquæ dilabimur. Hæc tamen sanctis est disiderabilis, quia ostium ad regnum non dubitatur, Licet Aristoteles eam dixerit terribilem, sicut insipientes timent mortem, ait Ambrosius, duabus de causis. Priori propter interitum, qui tamen ibi non est, quia non interit anima, & corpus præstolatur resurrectionem: Posteriori, propter pœnam sequentem, quæ impios manet. Pretiosa mors sanctorum namque legitur, qui cupiunt dissolui, & esse cum Christo, Iubenturque leuare capita, quod appropinquet redemtio. Maligni spiritus aduertentes sibi nihil temporis post hanc calamitosam remanere vitam, certantibus & è viuis decedentibus, calcaneo insidiantes cuiusque, maximè infesti sint, quatenus graui languore decumbentes, venenatis suis tentationum sagittis transfigere, aut saltem lædere possint. Quicquid enim leue proposuerunt, vt persuaderent, id tempore mortis exaggerant: Res hic habet haud secus, atque cum trunco ligneo, qui cum adhuc in flumine natat, facilè ab vnico pertrahitur, ad littus autem vbi fuerit peruentum, ibi decem manus adiutrices ad extrahendum adhibeant oportet, ita planè peccatum leue efficiunr, donec ad littus mortis perueneris, vbi aggrauatur graueque putatur. Quare agonizantibus confortandis apparitionum solatia adesse debuerunt, sic teste Gregorio Magno, Iesus

De bono mortis, cap. 2. & de Paradis. cap. 9.
Lib. de prædesti. Dei, ca. 4. & 5.
Lib. 5. moral. cap. 38.
Ser. 10. de Sanctis.
2. Reg. 14.
De bo. mort. cap. 8.
Philip. 1.
Lucæ 21.
Similitudine probat, difficile in fine resipiscere quempiam posse.

Homil. 38. Iesus Seruator noster in æternum benedictus, apparuit sancti-
Christus apparuit infirmæ. monialis Tharsillæ acuta febri correptæ, amitæ eiusdem sancti
Gregorij. Et Innocentius lib. de vilitate humanæ conditionis,
insinuat infirmum indifferenter bonum & malum, antequam
Lib. 3. anima à corpore, amaro separetur diuortio, Christum videre
quasi in cruce expansum, malo ad confusionem vt erubescat se
tali morte non esse viuificatum, iusto ad consolationis cumulum, mala enim mors esse non poterit, vbi bona vita præcesse-
Tract. 43. in Ioannem. rit, secundum B. Augustinum. Gloriosæ etiam virgini morienti
miraculoso prodigio translati de vltimis finibus terræ, secun-
Lib. 2. eccl. hist. cap. 21. & 22. dum Nicephorum Callixtum, & sanctum patrem Dionysium
Areopagitam, apparuerunt Apostoli: sic & angeli apparuisse
creduntur, teste V. Beda. Quoniam quidam miles noluit ad
Lib. de diui. nominibus cap. 3. meliorem vitæ frugem redire, nec bina vice à R. maiestate
admonitus resipiscere, tandem duos pulcerrimos iuuenes par-
uum libellum virtutes eius continentem, conspexit. Quibus
Lib. 5. Gentis Anglorum cap. 14. successerunt duo nigerrimi, magni voluminis omnia scelera
eius comprehendentis, onus portantes. Quibus legentibus boni
spiritus tanquam peccatis confusi, miserum relinquentes dis-
Apparitiones infirmis factæ. paruerunt. Alij etiam sancti apparuerunt infirmantibus, sic (vt
vno ac altero exemplo reliqua breuitatis amore missa facia-
mus) sanctus Fœlix sanctæ Romanæ Ecclesiæ antistes apparuit
Lib. 1. de miraculis, ca. 4. diuersis temporibus Tharsillę, & Æmilianæ, teste Gregorio, vbi
supra. Pari modo Petrus Cluniacensis commemorat quendam
graui morbo detentum decubuisse, cui apparuit persona reue-
rendæ formæ, candidi habitus, venerandæque caniciei, qui attu-
lit vas aquę dicens, Non nosti ad purgationem tui hanc aquam
esse necessariam, qui tale (ipse nosti) crimen commisisti, quod
de industria celans, nulli hactenus reuelare voluisti? Vnde scias
te nullatenus posse saluari, nisi quod perniciosè celaueras, salu-
briter studeas confitendo manifestare: Deus verò multa sua
misericordia, neque pro tanto etiam reatu, te perire permit-
tens, ad sensus corporeos te redire permittit, vt de tanto cri-
mine pœnitendo, confiteare, & confitendo salutem consequi
Lib. 4. dialo. cap. 11. 34. 37. & 38. mercaris, &c. Quibus ac qualibus autem laruarum speciebus
impijs appareant aliquando cacodæmones, non fuerit indi-
gnum ex lib. apud beatum Gregorium multis capitibus addis-
Lib. 1. de miraculis, ca. 6. cere. His æquè horribile producit Petrus Cluniacensis V. abbas
exemplum, quod breuitatis amore hic etiam inserere grauati
Homil. 54. super Matthæum. sumus. Vnde beatus Ioannes Chrysostomus: Terribiles visio-
nes narrare solent morituri, quarum speciem nullo modo fe-
rentes, & lectulos plerunque ipsos magno iacentes impetu
concutiunt

concutiunt, & toruis eos, qui adſunt, aſpiciunt oculis, vel quia vi à corpore reſcinditur anima, vel quia ſpirituum ſpeciem ferre non poſſunt. Profectò pijs & timoratis non debet mors eſſe terrori. Cùm enim ſimus certiores, ſecūdum eundem, ad meliorem vitam, nos morte traiecturos, antequam tempus moriendi aduenerit, mortem contemnamus. Sed dolendum eſt, quiſpiam dicet, quoniam corpus poſt mortem omnino corrumpitur. Ego verò ideo magis gaudendum nobis cenſeo, quoniam corruptione corporis, mors ipſa corrumpitur, mortalitas deſtruitur, non ſubſtantia corporis, nam vt quando æs funditur, vt inde ſtatua conſletur, nullam æris perditionem tunc eſſe dicimus, cùm ad meliorem vſum traducatur: ſimiliter de corpore quoq; noſtro futurum eſt. Nullis ergo lachrymis, nullo mœrore, quoniam moriturus es, te macera. Tunc enim flendum eſſet, quādo in huiuſmodi conditione, ac pœna perpetuò, corpus tuum permanſurum ſcires. Sed melius eſſet, inquies, ſi nulla putredine corpora tabeſcerent, ſi integritatem ſuam ſemper ſeruarēt: Ego verò non video, quàm hoc defunctis, aut ſuperſtitibus vtilitatem adferre poſſet. Quouſque hæc fœtida corpora diligetis? Quouſque terræ affixam mentem habebitis? Quouſque huius vmbræ ardenti amore laborabitis? Non enim intelligo, quid emolumenti, ſi corpora integra permanerent, conſequeremur, imò verò econtrà magna pernities, nos inde inuaderet. Nam ſi corpora nullo fœtore inquinata conſeruarentur, primum pernicioſiſſimum ſuperbię malum, magis vigeret. Nam ſi etiam cum putredine tabeſcant, cum vermibus poſt mortem (ſic enim ex mortuo naſcitur ſerpens, ſicut ex ſerpente, mors fuit exorta, teſte Ruperto) ſcaturiant, multi tamen deorum honoribus, coli voluerunt, quàmplures huiuſcemodi homines futuros credis, niſi fœtidiſſimo corporis fœtore ab hac inſania deterrerentur? Deinde, non facilè aliqui ſibi perſuaderent, terrena eſſe corpora noſtra. Nam ſi cùm in terram modò reſoluuntur, nonnulli tamen an terrena ſint, ambigunt, quid non ſuſpicarentur, niſi hoc ita fieret? ergò proficit mors ad contemtum mundanorum. Tertium, magis ab omnibus corpora diligerentur, & carnales magis, rudioreſque multi hominum efficerentur: Nam ſi aliqui etiam fœtentibus ſepulcris ſtulto ſuorum amore coniunguntur, quid facerent, ſi corpus integrum detinere poſſent? Quartum, non valdè homines futuræ vitæ ſtatum deſiderarent, nec fidei meritum in hoc argumento, ſecundum Auguſtinum haberet locum. Quintum, qui perpetuum forè mundum opinatur, quaſi incertior conſeruatione

Homil. 35. ibidem.

Conſolatio moribūdorum & infirmantium.

Ex mortuo naſcitur ſerpens, &c.

Lib. 3. cap. 13.

Homines in terram, quare mutentur à morte?

Epiſtola 89.

corporis esset sua opinio, esse conditorem mundi aliquem pernegarent, nec agnosceremus magnitudinem beneficij, morte Christi nobis collati. Sextum, quanta sit virtus animi, non facilè cognosceretur, nec quantum ipsi corpori affert, cum ei coniuncta sit, facitque nos certiores præuaricationis, & grauitatis peccati, quod incurrimus, secundum Augustinum. Septimum, multi amicorum suorum, cœtibus hominum spretis, vt cōtinuè suos viderent, sepulcra mortuorum habitare non erubescerent. Etenim si charissimorum effigies, pleriq; depingentes, quoniam defluens corpus secum detinere non possunt, tabulis affixi vitam peragunt, quid non auderet excogitare, syncerum, ac integrum corpus suspicientes? facilè mihi videtur ad condenda corporibus templa multos conspiraturos fuisse, & cultu dæmonum ariolos, qui talibus rebus dediti sunt efficere, vt mortui sui, quasi viui loquerentur, quando etiam nunc hi, quos Necromantas Græcè appellamus, multa huiusmodi solent excogitare. Quanta verò idolatriæ cultus sæuitia fureret, quis ignorat, cùm in puluerem, ac cinerem corporibus redactis nonnulli contendere audeant, idolatriæ cultum restituere? Nisi etiam mors nobiscum permansisset, Ecclesia tantos martyrum non habuisset, teste Augustino, triumphos. Nulla etiam bonorum operum commendatio esset, nisi corpora essent mortalitati obnoxia, non enim laudem mereris: non concupiscendo si fueris immortalis, cùm tali nihil sit necessarium, & opera, vt sint meritoria, oppositam requirunt infirmitatem. Ne igitur omnia hæc mala, cæteraque huiuscemodi locum habeant, ac vt discamus, non esse mentem in terrenis rebus retinendam, nostra ante oculos nostros corpora omnem fœtorem exhalantia tabescunt. Hic tamen non omittendum duxi, Plutoni trigam fuisse, id est, currum trium rotarum, quibus omnes cuiuslibet ætatis fuerint, siue in iuuentutis flore constitutos, siue virili ætate, vel decrepita senectute ad se rapere adsolebat, quod nobis adumbrant tria, quibus imago mortis depingitur, signa. Primò siquidem falce fœnaria depingitur, qua mors puerorum significatur, viridi fœno, & flosculis non absimilium, quæque sine discrimine, quosque obuios incidit. Secundò, depingitur tanquam sagitta transfixurus, illa namque impetit iuuenilem ætatem, quæ fuga licet sibi consulere tentet, tamen febri, peste, diaræa, tanquam sagitta eminus emissa, apprehenditur traiecta. Tertiò, armata cernitur instrumento securis, quod prætendit L. litera, cuius positione quinquaginta significare, hoc est, annosos demonstrari nullis

Lib. 2. de Ge. contra Manich. cap. 28.

Lib. 2. de peccat. mer. & remiss. ca. 34.

Mors tripliciter, quare depingitur?

nullis non est euidentissimum. Tu autem à morte secunda, libera nos Domine. Amen.

Peccatum transiens, quare æternas det pœnas?

CAPVT VII.

Apud Esaiam legimus, quod ab heri Tophet à Rege, siue Regi (vt Hebraica veritas habet) sit præparata, profunda ac dilatata, hoc est, in principio temporis, quo creauit Deus cælum & terram. Quemadmodum enim tunc temporis, fecit cælum empyreum, pro electis, ita infernum pro reprobis, qui in illo æternaliter absque spe redemtionis, pro transeunte temporaliter peccato affliguntur, quia offenditur ille, qui est infinitus, ac incomprehensibilis, ideoque infinitam incurrunt offensam. Maiori siquidem crimini subijciuntur, qui Regem lædunt, quàm qui consulem offendunt. Præterea æterna reprobi afficiuntur pœna, propter malam voluntatem, qua semper peccare libuisset, si viuere licuisset, sic breui temporis spatio, res celeriter vænit, quæ tamen perpetuò alienum dominum asciscit. Vnde beatus Gregorius, docet quosdam fuisse Origenistas, qui idcirco peccatis suis finem ponere neglexerunt, quia quandoque habere finem futura super se iudicia suspicabantur. Quibus breuiter eius magis, quàm meis, malui respondere verbis: Si quandoque finienda sunt supplicia reproborum, quandoque sunt finienda ergo, & gaudia beatorum: per semetipsum namque ipsa veritas dicit: Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Si igitur hoc verum non est, quod minatus est, neque hoc verum est, quod promisit: At, inquiunt, ideo æternam pœnam peccatibus minatus est, vt eos à peccatorum perpetratione compesceret, quia creaturæ suæ æterna supplicia minari debuit, non inferre: Quibus citiùs respondemus: Si falsa minatus est, vt ab iniustitia corrigeret, etiam falsa pollicitus est, vt ad iustitiam prouocaret. Et quis hanc eorum vesaniam toleret? qui dum promissionibus suis reproborum supplicia finiri asserunt, assertione sua etiam electorum præmia, remunerationesque confundant? Quis hanc sustineat dementiam eorum, qui conantur adstruere verum non esse, quod veritas de æterno igne minata est, & dum satagunt Deum perhibere misericordem, non verentur prædicare fallacem? At, inquiunt: Sine fine puniri non debet

[Marginal notes: Cap. 30. — *Infern' quãdo creatus?* — *Lib. 10. cap. 13. moral. Lib. 34. moral. cap. 16. & in libr. 4. dial. cap. 44. Et August. epistola 49. quæ est ad Deo gratias, quæst. 4.* — Matth. 25.]

culpa cum fine. Iustus nimirum est omnipotens Deus, & quod non æterno peccato commissum est, æterno non debet puniri tormento. Quibus citius respondemus, quod rectè diceret, si iustus iudex, destrictusq; veniens non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim, ideo tunc cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt: Voluissent quippe sine fine viuere, vt sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Nam magis appetunt peccare, quàm viuere, & ideo hic semper viuere cupiunt, vt nunquam desinant peccare cùm viuunt. Ad districti ergo iudicis iustitiam pertinet, vt nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato, & nullus detur iniquo terminus vltionis, qui quamdiu valuit habere, noluit terminum criminis. At inquiunt: Nullus iustus crudelitatibus pascitur, & delinquens seruus à iusto Domino, idcirco cædi præcipitur, vt à nequitia corrigatur. Ad aliquid ergo ceditur, cùm non eius dominus cruciatibus delectatur: Iniqui autem gehennæ ignibus traditi, quo fine semper ardebunt? Et quia certum est, quod pius atque omnipotens Deus non pascitur cruciatibus iniquorum, cur cruciantur miseri, si non expiantur? Quibus citius respondemus, quod omnipotens Deus, qui pius est, miserorum cruciatu non pascitur: quia autem iustus est, ab iniquorum vltione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio, & quidem sua iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid concremantur, scilicet, vt iusti omnes, & in Deo videant gaudia, quæ percipiunt, & in istis respiciunt supplicia, quæ euaserunt, vt tanto in æternum magis Diuinæ gratiç debitores se esse cognoscant, quantò in æternum mala puniri conspiciant, quæ eius adiutorio vitare potuerunt. At, inquiunt: Et vbi est quod Sancti sunt, si pro inimicis suis, quos tunc ardere viderint, non orabunt, quibus vtique dictum est. Pro inimicis vestris orate? Sed citius respondemus: Orant pro inimicis suis eo tempore, quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda conuertere, atque ipsa conuersione saluare. Quid enim aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc, quod Apostolus ait: Vt det illis Deus pœnitentiam, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipsius voluntatem? Et quomodo pro illis tunc orabitur, quando iam nullatenus possunt ad iustitiæ opera, ab iniquitate commutari? Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est, vt non oretur pro diabolo, angelisque eius æterno supplicio deputatis. Quæ nunc etiam causa est, vt non orent sancti homines,

Pœna æterna quare peccato temporali?

Aug. de Ciuit. Dei, libr. 21. cap. 24.

Marc. 5.

2. Tim. 2.

mines, pro hominibus infidelibus, impijsque defunctis, qui de eis vtique, quos æterno deputatos supplicio iam nouerunt, ante illum iudicis iusti conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt. Quod si nunc quoque viuentes iusti mortuis, & damnatis, iniustis minimè compatiuntur, quādo adhuc aliquid iudicabile de sua carne, se perpeti etiam ipsi nouerunt, quantò districtiùs tunc iniquorum tormenta respiciunt, quādo ab omni vitio corruptionis exuti, ipsi iam iustitię vicinius, atq; arctius inhærebunt? Sic quippe eorum mentes per hoc quod iustissimo iudici inhærent, vis districtionis absorbet, vt omnino eis non libeat, quicquid ab illius internæ regulæ subtilitate discordat. Hæc ibi.

De varia nominis peccati acceptione.

CAPVT VIII.

DEmta peccati ratione, de quo diximus, sunt & aliæ quædam peccati acceptiones, quæ analogia quadam ad hanc propriam peccati rationem, peccata appellantur. Sumitur autem, & quandoque pro hostia expiatrice peccati, seu quæ offertur pro peccato, sicut sacerdotibus per Prophetam dicitur: Peccata populi mei comedent. Ad quem sensum. Apostolus Christum, qui pro peccatis omnium oblatus fuit, peccatum appellauit, inquiens: Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt efficeremur iustitia Dei in ipsum. Et rursum, de peccato damnauit peccatum, in carne, vbi peccatum quod priori loco ponitur, pro hostia, seu victima, ipso videlicet Christo sumitur, & pro pœna peccatis debita, vt ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit. Et alibi: Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignū. Quibus locis sermo est de eo, in quem peccata nulla proprij nominis transierunt, fuit quippe agnus sine macula, sed pœnas peccatis debitas in se suscepisse, & sustinuisse dicitur. Tertiò, accipitur pro fomite, & habituali concupiscentia, quæ inest nobis ex peccato Adæ, vt apud Apostolum: Peccatum occasione accepta, per mandatum seduxit me, & per illud occidit. Et postea: Si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Nam quod propriè hic loquatur de peccato, hinc constat, quod teste scriptura similiter odio sunt Deo impius, & impietas eius. Peccatum verò istud, in ijs est, quia solis illis id congruit, quod hic di-

Oseæ 4.
2.Corint.5.
Rom. 8.
Esaiæ 53.
1.Pet. ca. 2.
Rom. 7.

hic dicitur: Iam non ego operor illud. Et quod sequenti capite ait, idem Apostolus: Nihil ergo damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Deinde peccatum omne in voluntate est, hæc autem concupiscentia contra voluntatem dimicat, de qua & illud accipiendum

Cap. 6.

est, quod dicitur: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius, quæ peccatum dicitur, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, ac solicitat, eaque velut instrumento quodam ad subijciendum sibi hominem serpens ille antiquus vtitur. Estque hic ea loquutionis figura, secundum beatum Augustinum, qualis est, dum scripturam manum, loquelam linguam, & frigus pigrum appellamus, quemadmodum & in præcedentibus enucleauimus.

Lib. contra mendat. ad Consen. cap. 15. & lib. 14. contra Faust. cap. 5.

De discrimine peccati mortalis & venialis.

CAPVT IX.

Libr. 21. de Ciuitat. Dei, cap. 27. & Serm. 41. de Sanctis.

Discriminare mortalia, quæ impediunt ingressum regni cælestis ab alijs est difficillimum inuenire, & periculosissimum definire, secundum Augustinum, & subiūgit: Ego certè, vsque ad hoc tempus, cùm inde satagerem, non potui peruenire ad eorum indaginem, & propterea fortassis latent, ne studium proficiendi ad omnia peccata cauenda pigrescat. Quoniam si scirentur, quæ & qualia sint delicta, non requirerentur intercessiones Sanctorum. Nec speraretur melioris vitæ profectus, sed secura se eis obuolueret humana segnities. Vt tamen aliquid pro hoc argumento in medium adducamus, An non certum est, ne veniale quidem committi, si consensus nullus sit? Consensum autem esse rationis, nemo est, qui non intelligat. Quomodo igitur veniale peccatum aliquod, in solo sensualitatis motu consistit? Respondendum est, verum esse multa peccata mortalia in appetitu sensitiuo consummari. Verum etiam illud esse, quod ne veniale quidem peccatū esse possit, nullo rationis accedente consensu. At licet vtrumq; peccatum veniale & mortale in sensualitate reperiatur, & vtrumq; ex consensu rationis, aliter tamen & aliter. Discrimen haud exiguum interest: nam primus motus vitiosus in sensualitate, sumit originem. Sensualitatem autem accipio generaliter pro ea animæ parte, quatenus corrupta, & vetustati adhuc subiecta est, sed non cōsummatur, nisi consentiente ratione. Itaque peccatum veniale ratione originis, dicitur in sola sensualitate consistere, atque hoc intellige de venialibus illis, quæ inde sunt venialia, quod plenus non

adſit conſenſus: Sunt namque venialia quædam, quæ pleno rationis conſenſu admittuntur, vt verba otioſa, iocoſa mendacia, & hæc ex ratione ſumunt originem: Mortale autem peccatum ex deliberato conſenſu, ipſaque ratione non ſenſualitate originem ducit, teſte ſancto Bonauentura ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinale: Etſi contingat, inquit, vtrumque in ſenſualitate reperire, aliter tamen & aliter. Nam primus motus in ſenſualitate reperitur, vt illic ſumat originem, & potius eſt ſenſualitatis rationem excitantis, quàm à ratione excitatæ, & motæ. Actus autem mortalis peccati, ſic reperitur in ſenſualitate, vt originem ſumat ab imperio rationis, eſtque ſenſualitatis potius motæ, quàm mouentis. *Diſt. 35. libr. 2. quæſt. 2.*

Peccatum veniale, an fieri queat mortale?

CAPVT X.

VEnerabilibus quidem canonibus illa celebrata eſt Auguſtini ſententia, qua dicit, nullum peccatum adeò eſſe veniale, quin fiat mortale dum placet, & multa venialia enecare tanquam mortale. Quô priori fiat ſatis, haud ignorandum eſt, vnum opus nô poſſe induere naturam peccati venialis ſimul & mortalis, cùm peccatum conſiſtat in voluntate. Ex corde exeunt cogitationes, adulteria, homicidia, ait Chriſtus, in æternum benedictus, hoc eſt, ex voluntate, vnde non cenſetur vnus actus, ſi voluntatis ratio mutetur. Si autem opus poſt continuetur, vel mutata voluntate iteretur, idẽ actus poſſet ita fieri mortalis, qui prius fuiſſet, nô niſi venialis. Deinde etiam ratione finis, vnus actus poſſet fieri mortalis, qui non eſſet niſi venialis, ſicut proferens verbum iocoſum, coram formoſa virgine, intendens hoc eius pudicitiæ inſidiari, ſicque intelligendus eſt diuus Auguſtinus. Cùm enim veniale nequeat eſſe mortale, nec multa veniala enecare valeant, ſicut vnum mortale, ſimilitudinem inſinuat, non æqualitatem. Præterea hoc quoque illa dicuntur ſenſu, quod per multa peccata venialia diſponatur homo ad mortale, quod duobus contingere poteſt modis. Vno quia per venialia peccata ſæpius repetita, creſcit amor rerum illicitarum, vſque adeò tandem, vt amorem ſuperet iuſtitiæ. Alio modo, quod is, qui conſueuit multa peccata leuiora negligere, neque in minoribus rebus ordinem ſeruare curat: adductus in negligentiæ conſuetudinem, facilè aliquando in grauioribus delinquit. vnde Bernardus: Venialia non ſunt criminalia, *De vera & falſa pœnitẽtia, cap. 8. Diſt. 25. cap. vnum. §. criminis. Matth. 15. I libr. de præcep. & diſpẽſat. & Serm. priori, de cõuerſione Pauli.*

Lib.6.cap.2. in libr. Reg. & libr. 33. moral. ca. 10. Tract. 12. in Ioan. epistola 106. ad Seleucianum, et tract. 1. in Ioan. epistol. nec nō de 10. chordis. Lib.2.de peccat. & remiss. cap. 10. Peccata venialia habent rationem arenæ. Eccles.19. Similitudine probat. Parua negligere est periculosum.

excepto cùm per contemtū virtutū, in vsum & consuetudinem declinatur, & tunc, non peccati species, sed peccantis consideratur intentio, quod idem docet sanctus Gregorius, & Augustinus: Noli, inquit, venialia contemnere, quia minora sunt, sed time, quia plura sunt, Quàm minuta sunt grana arenæ, si arenę tamen amplius in nauim mittatur, mergit illam vt pereat. Quam minutæ sunt guttæ pluuiæ, nónne flumina implent, & domos deijciunt? Nullum est etiam adeò mortale, quin aliquando possit nullum esse peccatum, vti dilucidauimus prius, aut veniale, dum ita displicet, vt nullum habeat deliberati animi cōsensum, quale secundum Augustinum creditur fuisse peccatum ipsius Noë. Profectò quādo homo negligit modica, loquitur haud illibenter otiosa, exemologesin differre non grauatur, ac arido pectore pensum Diuinarum precum persoluit. Hæc, & eius farinæ alia parua quidem videntur, sed ex his aduersarius trahit in horrēdam peccatorum voraginem. Exemplo quod dicitur manifestum fiat, circa dolium sunt magni circuli, qui paruis colligantur funiculis, quibus solutis dissoluuntur & magni, & per consequens, totum vas dissipatur. Scitè ergo dixit Sapiens: Qui spernit modica, paulatim decidit ad maiora. O quoties negligimus parua, nempe compescere linguam, aspectum verecundiorem ostendere, & bonam disciplinati corporis compositionem monstrare? Quæ horum est causa? quia algor mentis animæ quadem incuria spiritu dormitante, nemineq; inhibente, ad interiora percurrit, vnde mox subit animi rigor, vigor lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor solicitat pauperratis, subtrahitur gratia, Spiritus extinguitur, deferuescit pietatis feruor, ingrauescit tepor, refrigescit charitas, blanditur voluptas, fallit securitas, reuocat consuetudo. Quid plura? dissimulatur lex, abdicatur ius, fas proscribitur, saltus de excelso in abyssum, de pauimento in sterquilinium, de claustro ad sæculum, de Paradiso ad infernum: à quo nos liberare dignetur gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, qui viuit & regnat in sæcula. Amen.

Peccatum veniale, an aduersetur legi?

CAPVT XI.

PEccata venialia existimat Magister, non contra, sed præter legem Dei fieri, quem sequuntur Albertus, eiusq; discipulus Thomas, & pleriq; alij. Contra verò alij sentiunt, etiam

venialia

venialia peccata aduerſari legi diuinæ. Priori ſententiæ fauere videtur, quod ad Romanos ait Apoſtolus, Plenitudinem legis eſſe dilectionem, hoc eſt, legem ab illo impleri, qui ſeruat mandatum de dilectione Dei, & proximi: nam eô ſpectat tota directio legis, adeò vt ad Galatas dicat totam legem in vno ſermone impleri: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Si autem dilectio impletio eſt legis, ergo quicquid cum dilectione conſiſtit (quale ex ſententia omnium eſt peccatum veniale) à quo nec iuſti immunes ſunt, non videtur aduerſari legi Dei, niſi ab vno eodemque ſimul & impleri, & non impleri, legi admittas. Quid enim eſt aliud, non implere legem, quàm illi aduerſari, aut contraire, nam qui non eſt mecum, ait Saluator, contra me eſt, & qui non colligit mecum, ſpargit. Si autem eadem ſunt hæc, ergo qui legem implet, nequaquam illi aduerſatur. Implet autem legem qui peccatis tantum venialibus obnoxius eſt, cum ſit vera præditus charitate, non ergo aduerſatur. Si autem non aduerſatur legi, ſed eam implet, ſecundum Apoſtolum, qui venialiter tantum delinquit, ergo veniale peccatum non eſt legi contrarium, ac proinde nec propria ratione peccatum dici poſſe videtur. Ad quod dicendum, omne peccatum etiam veniale alicui præcepto aduerſari, nihilominus tamen rectè dici impleuiſſe legem Dei, qui peccatum veniale tantum habet, quoniam legis impletio iuxta ſcripturæ conſuetudinem, magis à fine, id eſt, charitate, quam à ſingulorum præceptorum obſeruatione æſtimatur. Vnde peccatum veniale, quamuis contra Dei prohibitionem fiat: vult enim Deus etiam à leuioribus delictis nos abſtinere, qui de omni verbo otioſo in die iudicij, ait reddendam eſſe rationem: quia tamen non abducit à fine legis, hoc eſt, à charitate, rectè conſiſtere dicitur cum legis impletione, quæ vt præmiſimus, à charitate æſtimatur. Quod autem omne peccatum etiam veniale, alicui legis præcepto aduerſetur, apertè docet ſanctus Auguſtinus: Neque negandum eſt, inquit, hoc Deum iubere, ita nos in facienda iuſtitia eſſe debere perfectos, vt nullum omnino habeamus peccatum: nam neque peccatum erit, ſi quid erit, ſi non diuinitus iubeatur, vt non ſit. Quæ Auguſtini ſententia conformis eſt ei quod ait Apoſtolus, Vbi non eſt lex, nec præuaricatio. Addit poſtea Auguſtinus, loco iam citato, ad eiuſdem rei probationem: Quomodò, inquit, dimittenti dimittitur per miſericordiam Dei, ſi peccatum non eſt, aut quomodo non vetatur per Dei iuſtitiam ſi peccatum eſt? Conſentaneus eſt his ſanctus Ambroſius, inquiens: Non conſiſteret peccatum, ſi interdictio

Cap. 13. — Cap. 5. — Lucæ 11. — Matth. 12. — *Lib. 2. de peccat. mer. & re. ca. 16.* — Rom. 4. — *Lib. de paradiſo, cap. 8.*

Lib. de Paradiso. cap. 8. non fuisset. Similiter & Bernardus in libro de præcepto & dispensatione: Quid, inquit, cum scienter & ex deliberatione in verba otiosa, licet non indicto silentio, laxatur lingua, nunquid hoc tamen neget quispiam vsurpari contra regulam veritatis? Ecce verba otiosa docet aduersari regulæ veritatis: perspicuum est igitur, omne peccatum etiam veniale aduersari legi Dei, nec peccatum aliquod esse posse, quod legi Dei non repugnet.

Humanæ legis transgressio, an peccatum?

CAPVT XII.

HAud pœnitenda aut inutilis adijcienda est præmissis quæstio, An videlicet humanæ legis transgressio sit peccatum, & si verè peccatum sit, cur diuinæ legis in peccati descriptione duntaxat fiat mentio: Humanam legem appellamus, secundum Ioannem Driedonem, insignem aliquando nostræ Academiæ Louaniensis Doctorem, quæ ab hominibus condita est, in publico regimine constitutis, quales sunt summi Pontifices, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Reges, Principes, duces, magistratus, alijque similes, publica potestate præditi. Martinus docuit nullum esse ius pontificibus condendi mandata, aut canones, & ab ipsis condita aboleri oportere. Idem hæreticus alibi negat, in Christianos alios alijs esse superiores, aut vllam esse inter illas agnoscendam supereminentem potestatem. In cuius sententiam falsissimam, quasi pedibus eunt Anabaptistæ, teste Ioanne Coclæo: Quorum si vera est sententia, corruit omnis lex humana, nullaque erit transgressio iuxta Apostoli dictum, vbi nulla erit lex. Atqui pestiferum hunc errorem, vtcunque elisimus aliquot articulis super 4. decalogi præceptum constitutis, aduersaturque clarissimis scripturarum testimonijs: Per me, inquit, Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Vbi duo docet, prius est, publicam à Deo esse potestatem, posterius est, conditam ab eo legem, qui potestate hac præditus est, iustã esse. Profectò ἀναρχία, hoc est, carentia principatus, quàm inducere conatus est Lutherus, dissidia, pugnas, & confusiones parere solet, quemadmodum & scriptura significauit, eo loci, inquiens: Vbi non est gubernator, populus corruet. Et alibi, Væ terræ cuius rex puer est, & cuius principes mane comedunt. Beata terra cuius rex nobilis est, & cuius principes vescuntur tempore suo ad reficiendum,

Marginal notes: *Li. 1. de liber. Christiania, cap. 6.* — *Lutheri error.* — *Lib. de sæculari potestate.* — *Art. 8. contra eosdem.* — Prouer. 8. — Cap. 11. — Eccl. 10.

dum, non ad luxuriam. Hac de re pulcrè philoſophantem vidiſſe profuerit, beatum Ioannem Chryſoſtomum, in commentarijs Epiſtolæ ad Romanos, exponentem illam Apoſtoli ſententiam, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Et item in cap. vltimum, Epiſtolæ ad Hebræos, ad illa verba: Obedite præpoſitis veſtris. Cum igitur ad rerum publicarum adminiſtrationem neceſſaria ſit omnino publica poteſtas, eaque Deo authore ſit inſtituta, iuſtæque ſint eius leges, palam eſt erroneum eſſe aduerſariorum commentum, quo nullam præeminentem poteſtatem, agnoſcendam eſſe ſtatuunt, nec ius illis eſſe leges condendi. Quos redarguit Apoſtolus dicens, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus, hoc eſt regibus, principibus, &c. ſubdita ſit: Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Sunt ergo alij alijs ſuperiores, & penes illos qui publica ſunt poteſtate præditi, authoritas eſt condendæ legis, cui ſubditi parere debeant, adeò vt non dubitet adſeuerare Apoſtolus, Deo illos reſiſtere, qui poteſtati reſiſtant. Et quanquam ibi de ſæculari poteſtate tantum loquatur Apoſtolus, tamen ratio qua illi vult parendum, communis eſt etiam poteſtati Eccleſiaſticæ. In hanc enim cum primis competit, quod dicitur: Non eſt poteſtas niſi à Deo. Vnde in Actibus dixiſſe legitur, Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſaguine ſuo: Authoritatem verò in condendis legibus, Eccleſiaſticæ poteſtati traditam, ſatis oſtendit Apoſtolus, dum pro vitijs emergentibus, diuerſis locis & temporibus, nouos condidit canones, vt de conſtituendis per ciuitates Epiſcopis, de viduis, de mulieribus quòd inter orandum velare debeant caput, & ne ſibi aſſumant officium docendi. Item de non deſerenda coniuge infideli, de rebus prophanis & ſæcularibus iudicijs. Concilium Apoſtolorum quoque, ſanciuit abſtinendum fidelibus ab ijs, quæ idolis immolantur. Item à ſanguine & ſuffocato. Extant & apoſtolorum canones, quos fidelibus ſeruandos præſcripſerunt. Videtis ergo non ſolum licitam, ſed & prorſus neceſſariam eſſe publicam poteſtatem, eamque à Deo inſtitutam, ad rerum publicarum adminiſtrationem, & diuinitus illi communicatam eſſe legum condendarum authoritatem, idque requirere æternam diuinæ legis æquitatem, vt eorum qui poteſtate illa præditi ſunt, iuſſis obtemperetur. Quare ad propoſi-

Cap. 13.

Cap. 20.

Eccleſiaſtica poteſtas.

Ad Titum 3.
1. Timo. 2.
1. Cor. 7.
Act. 15.

propositam superius quæstionem, dicendum, non solum diuinæ, sed & humanæ legis vel constitutionis transgressionem esse peccatum, quemadmodum & dicta testimonia palam ostendunt. Ideo autem diuinæ duntaxat legis in discriptione peccati, mentionem fieri, quod hæc semper intra illam concludatur, & in omni præuaricatione legis humanæ etiam ista necessariò violetur. Quoniam humana lex ab homine quidem conditur, sed accepta à Deo potestate: est ergo ibi hominis, ministerium,

Exod. 16. authoritas autem Dei. Vnde Moyses contra se & Aaron murmuranti populo dixisse legitur: Audiui murmur vestrum contra Dominum. Et postea, Nos enim quid sumus, nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Quare Apostolus frequenter hortatur credentes, vt iussis obtemperent superiorum, legesque ac constitutiones eorum obseruent: sic

2. Tess. 2. enim ait: Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Et sequenti capite, denunciamus vobis fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis. Super his etiam discipulum suum Titum in-

Cap. 3. struit, vt ea subditos doceat. Admone, inquit, illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse. Et vt cõmemorat sanctus Lucas, Perambu-

Act. 15. labat Apostolus Paulus Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias & præcipiens custodiri præcepta Apostolorum, & se-

1. Cap. 4. niorum. His consentaneus est beatus Ioannes: Qui nouit nos, audit nos: Qui non est ex Deo, non audit nos. Et alibi: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, qui autem

Lucæ 10. me spernit, spernit eum qui misit me. Nec leue esse peccatum, negligere præcepta superiorum, idem ipse Dominus ostendit,

Matth. 23. dum illum qui Ecclesiam non audit, tanquam ethnicum &

1. Cap. 4. publicanum reputandum esse, decernit. Et Ioannes ex Deo illos esse negat, qui superioribus non obtemperant, quemad-

Rom. 13. modum prædicta eius verba manifestant. Quin & Apostolus Paulus prælibato loco, Ideoque, inquit, necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ex quibus Apostoli verbis similiter apparet humanæ legis transgressionem esse mortale peccatum, quoniam nomine conscientiæ vsurpat scriptura, vbi agit de peccato mortali, non sic autem, cum de veniali sermo constituitur. Exemplo res fiat dilucida, colere rus, custodire domum, nullo legis vinculo filiusfamilias, aut seruus obligatur, simulatq; parentis districtum

Humanæ legis transgressio est mortale peccatum.

accesse-

accesserit præceptum, filius si non capessere iussa satagat, lethali crimini se obnoxium iam cognoscat, quod Deo non obsequatur, qui parentibus promto obsequio obediendum edocuit: Non tamen statim Religiosus, quando facit contra Regulam, protinus facit contra obedientiam, nihilominus facit contra præceptum in Regula comprehensum. Quando etiam Prælatus imponit aliquid præcipiendo in virtute obedientiæ, vel Spiritus sancti, vel facias hoc sub pœna excommunicationis, est præceptum, cuius transgressio non ambigitur lethifera. Si autem ceremonialia parum exactè alicui sint curæ, vt frangere silentium, tardè prodire ad diuinum officium, sunt venialia peccata, nisi contemtus, aut inueterata consuetudo contemtum inducens, mortiferum efficiāt piaculum. Vnde sanctus Ambrosius exponens præmissum Apostoli locum, & in sermonibus: Rectè, inquit, dixit, subiectos esse debere magistratibus, non tantum propter iram, id est, vltionem præsentem, sed etiam propter futurum iudicium, quia si hic euaserint, illic eos pœna expectat, vbi accusante conscientia illos, ipsa punientur. Idem significasse videtur exponens verba illa præcedentia: Ipsi sibi damnationem acquirunt. Vnusquisque enim, inquit, suis operibus, aut iustificabitur, aut condemnabitur. Et beatus Augustinus, damnationem cuius illic meminit Apostolus, intelligit æternam. Profectò Aaron & soror eius Maria grauem aduersum se Dei iram prouocauerunt, obmurmurantes Moysi ductori, ac principi populi Israhel. Nec tantum peccant. qui apertè se potestati opponunt, sed etiam qui iussis ac constitutionibus non obtemperant, quemadmodum iam adducta testimonia euidentius demonstrare potuerunt. Vnde Philippus Melanthon cernens Lutheri magistri sui sententiam, nimis violentam consistere non posse, ab illa eius sententia recessit. Vellet tamen canones abolitos, & inter alias causas de huiusmodi negligendis, hanc ponit velut fontem: Oportere negligere constitutiones Episcoporum, & canones pontificum, quia seruantur cum impia opinione cultus, quæ ponit in rebus adiaphoris aliquem Dei cultum. Nam si inquiras ab aliquo: Quare ieiunas in quadragesima? Respondebit ad honorem Dei, ad placandum, ad satisfaciendum Deo. Quod Philippus impium adseuerat, quoniam seruare ieiunium, inquit, est mandatum hominum. Dominus autem per Esaiam, & per seipsum in Euangelio prohibuit, se coli mandatis hominum. Cui obiectioni haud difficulter respondebitur, si vtriusque loci circunstantiæ diligēter inspiciātur. Non enim de quibusuis hominum mandatis

Exemplo demonstrat quod docet.

Præcipere in virtute sancte obedientiæ vel simili modo.

Ser. 15.

Inobedientes in conscientia rei.

Num. 12.

Erronea Philippi sententia.

Cavillum Melanthonis, diluitur.

Duplicia mandata hominum.

mandatis ibi sermo est, sed talibus duntaxat, qualia erant pharisaica, hoc est, vel quæ pugnabant apertè cum doctrina Dei, vel quæ merè friuola sunt, & in rebus exterioribus posita, nihilque ad interiorem spiritus cultum facientia. Prioris generis illud erat: Munus quodcunque ex me est tibi proderit. Dicebant enim Pharisæi licere parentem deserere, & offerre in templo ad altare, ea quæ parentibus in egestate constitutis debebantur. Posterioris generis sunt baptismata manuum, calicumque. Exercebant autem & alia quædam Pharisæi, quæ tametsi ad interiorem cultum aliquid facere possint, quia tamen in illis principale ac cardinem constituebant religionis, à Saluatore reprehenduntur, quale erat dilatare philateria, hoc est, tabulas siue membranas, Decalogi præcepta inscriptas habentes, quas illi fronti ac brachijs affigebant. Quod facere tanquam aliquid principale, ac in quo summa religionis consistat, & non potius, vt tale quod hominem moneat interni cultus: & religionis vacuum & superstitiosum est. Atqui non tale est mandatum ecclesiasticum, de Ieiunio, quod neque cum mandatis Dei pugnat, neque vanum & friuolum est, qualia erant præcepta Pharisaica, sed doctrinis scripturarum & orthodoxorum patrum, exemplis & sanctorum adorantium Deum in spiritu & veritate maximè consentaneum etiam, vt proximè & immediatè ad Dei cultum refertur. Non autem mediatè tantum, vt vult Philippus Melanthon, nam patitur vt adiaphorum obseruetur, quale secundum eum est, ieiunium, quod ad cultum Dei pertinere dicatur, sed mediatè, quia videlicet ad cultum nempe orationem, qua colitur Deus, aptiorem facit: Sed impium esse, ait, si ieiunes intentione, vt places iram Dei, tali opere Deo honorem exhibeas. Cui opponendum est, quod scribitur de Anna, Non discedebat de templo ieiunijs, & orationibus seruiens, die ac nocte. Vbi eodem refert ieiunia, quô preces, scilicet ad cultum & honorem Dei. Similiter etiam Dauid ad impetrandam Dei misericordiam, & indignationem eius auertendam, ieiunasse legitur. Sic enim scriptum est, Deprecatusque est Dauid Dominum pro paruulo, & ieiunauit Dauid ieiunio, & ingressus scorsum iacuit super terram. Et postea, Propter infantem dum adhuc viueret, inquit, ieiunaui, & fleui. Dicebam enim, quis scit, si fortè donet eum mihi Dominus, & viuat infans. Simili intentione etiam ieiunasse legitur Sara, Iudith, Hester, nimirum ad placandum Deum. Vnde Basilius homilia de

Matth. 15.

Phylateria quæ?

Ieiunium est cultus Dei.

Lucæ 2.

2. Reg. 12.

lia de

lia de ieiunio, air, per ieiunium nos satisfacere Deo. Beatus Ioannes Chrysostomus de hebdomada sancta, Ieiunia, inter ea quæ Deo offeruntur constituit. Sanctus Cyprianus hortatur clerum, vt ad Deum ieiunijs insistant, beatus Hieronymus præmissam Philippi sententiam, videlicet ieiunium rem esse adiaphoram, ad Iouiniani hæresim pertinere asserit, qui dicebat nihil interesse inter vescentem cibis, & à cibis abstinentem. Diuus etiam Augustinus in erroribus Iouiniani, hunc etiam inter cæteros recenset, videlicet nihil prodesse ieiunium. Intellexit autem Iouinianus nihil prodesse se ad placandum Deum, aut aliquid ab eo obtinendum, non autem negauit prodesse, sicut prodesse Philippus dicit. Verum quod non ad id solum prosit, sed etiam sit verus cultus, hoc est, quod rectè fiat, & suscipiatur ad placandum Deum, ad illi satisfaciendum, ad honorem ei exhibendum, in præcedentibus probatum est. Et hoc docet sanctus Augustinus: Nemo, inquit, pro humana laude ieiunet, sed pro peccatorum indulgentia. Neque aduersariorum suffragatur sententiæ, quod apud Matthæum Saluator ait, Nihil quod intrat in os, coinquinat hominem. Nec item quod dicit Apostolus, Non est regnum Dei esca & potus. Et iterum, Esca nos non commendat Deo. Quoniam illis locis nihil docetur aliud, nisi quod absolutè, & secundum se vsus cibi & abstinentia à cibo absque vlla relatione ad aliud bonum res est indifferens. At huiusmodi non est ieiunium ecclesiasticum, quod non absolutè fit, sed eo fine suscipitur, vt dometur caro, vel corpus subijciatur spiritui, vt placetur Deus, itaque susceptum ieiunium actus est virtutis. Obijcit adhuc Philippus locum illum. Si mortui estis cum Christo, ab elementis mundi huius, quid adhuc tanquam viuentes decernitis, id est, quid adhuc dogmata & decreta suscipitis de cibis & potu, cum sitis sufficienter à me in fide edocti? Vrget præterea quod ibidem sequitur, quæ sunt quidem rationem habentia sapientiæ in superstitione, vbi pro superstitione Græcè est ἐθελοτρισιχεια, quæ vox Latinè significat voluntarium cultum, spontaneamque religionem, quam sibi quis sua sponte accersit. Putat autem vocabulum hoc mirè competere in eos qui canones fecerunt, & regulas monachorum. Verum si consideremus qua occasione hæc ab Apostolo dicta sunt, inueniemus obiectiones has nullius esse momenti. Constat autem ex veteribus, fuisse tempore Apostoli pseudoprophetas, qui doctrina Platonis imbuti, docebant, animas esse

Sermonum Domini 60.

Matth. 15.

Rom. 14.

1. Cor. 8.

Coloss. 2.

purgan-

purgandas ad fruitionem Dei. Cui doctrinæ etiam miscebant quædam ex lege Moysi, quæ pertinent ad purgationem de cibo & potu. Huiusmodi dogmata reprehendit Apostolus, tanquam mera hominum commenta, & quæ nihil cum scripturis consentaneum habeant, sed tantum ratione non imbuta fide profecta sunt. Sed alia longe sunt decreta summorum pontificum, & Regulæ monachorum, quæ vt diximus sunt scripturis consentanea, & talia per quæ expeditius impleantur dogmata Euangelica. Quæ nos perficere faciat, qui est benedictus in sæcula. Amen.

DISTINCTIO TRIGESIMA SEXTA.

Peccatum vnum, alterius quomodo pœna?

CAPVT I.

Super Psal. 57. & lib. 1. Retract. 15. Lib. 25. moral. cap. 9.

IMpræsentiarum inquirendum est, an aliquid sit peccatum, & etiam pœna peccati existat, quod tam apertè confirmat diuus Augustinus esse veritatis, & sanctus Gregorius, vt existiment omnia peccata esse pœnas peccatorum, demto primo peccato primorum parentum, eorumque qui recens baptismatis sacramento, aut pœnitentiæ remedio iustificati instar canum rursus ad vomitum redeunt. Omne quippe peccatum, quod tamen citius pœnitendo non tergitur, aut peccatum est & causa peccati, aut peccatum & pœna peccati. Peccatum namque quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Vnde fit, vt non solum peccatum sit, sed peccatum & causa peccati. Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur, vt pœnis ex alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non iam peccatum tantummodo, sed peccatum est & pœna peccati, quia iusto iudicio omnipotens Deus, cor peccantis obnubilat, vt præcedentis peccati merito in alia cadat: quem enim liberare noluit, deserendo percussit. Non ergo immeritò pœna peccati dicitur, quod iusta desuper irrogata cæcitate ex præcedẽtis peccati vltimè perpetratur. Quod videlicet agitur dispositione superius ordinata, sed inferius iniquitate confusa, vt & præcedens culpa.

Peccatum est pœna peccati, quomodo?

culpa ſit cauſa ſubſequentis, & rurſum, culpa ſubſequens ſit pœna præcedentis. Quod benè in infidelibus, & lubricis Paulus, Rom. 1
quaſi quoddam ſemen erroris aſpexerat, cùm dicebat: Qui cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis. Sed quod ex huius erroris ſemine pullulauit, illico adiungit, dicens: Propter quod tradidit illos Deus, in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Quia enim cognoſcentes Deum, peccatum ſuperbiæ intelligendo commiſerunt, cæcantur etiam ne intelligant, quod committunt. Et qui intelligentiam ſuam ſequi nolunt in peccato, & cauſa peccati, & ipſum lumen intelligentiæ perdunt in peccato, & pœna peccati. Prioris ergo peccati merito peccatorum ſubſequentium fouea tegitur, vt qui malum ſciens perpetrat, deinceps iuſtè in alijs etiam neſciens cadat. Hoc quippe agitur, vt culpæ culpis feriantur, quatenus ſupplicia fiant peccantium ipſa incrementa vitiorum. Nam quia omnipotens Deus ad pœnitentiam tempus indulget, quod tamen humana malitia ad vſum ſuæ iniquitatis intorquet, nimirum iuſto Dei iudicio, augeri culpa permittitur, vt ad feriendum altius quandoque cumuletur. Hinc enim de quibuſdam Apoſtolus dicit: Vt impleant peccata ſua ſemper. Hinc voce angelica Ioanni dicitur: Qui nocet, noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Et Dauid: Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, vt non intrent in iuſtitiam tuam. Et alibi: Immiſſiones per angelos malos. Viam fecit ſemitæ iræ ſuæ. Cor quippe Dominus prioribus meritis aggrauatum iuſtè permittit, etiam ſubſequentibus malignorum ſpirituum perſuaſionibus falli, quod cùm dignè in culpa trahitur, reatus eius in pœna cumulatur. Vnde & iræ ſuæ Dominus viam de ſemita feciſſe perhibetur. Latior enim eſt via, quàm ſemita. Ex ſemita verò iræ ſuæ viam facere, eſt iræ cauſas diſtrictè iudicando dilatare, vt quæ illuminati rectè agere noluerunt, iuſtè cæcati adhuc faciant, vnde amplius puniri merentur. Hinc per Moyſen dicitur: Nondum completa ſunt peccata Amorrhæorum. Hinc alibi: Ex vinea enim Sodomorum vitis eorum, & propago eorum ex Gomorra. Vua eorum, vua fellis, & botrus amaritudinis, in ipſis furor draconum, vinum eorum, & furor aſpidum inſanabilis. Nónne hæc omnia congregata ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? In die vltionis reddā eis. Quàm multa eorum mala narrauit, & tamen illico adiungit. In tempore, quo lapſus fuerit pes eorum. Ecce atrociſſima illorum facinora

2. Theſſ. 2. Apoc. 22. Pſalm. 68. Pſalm. 77. Geneſ. 15. Deut. 32.

cinora describuntur, & tamen ad vltionis diem adhuc subsequens lapsus aspicitur, quò eorum culpæ cumulentur: Habent iam quidem vnde feriri mereantur, sed sustinetur tamen adhuc peccatum crescere, vt peccantes posset atrocior pœna cruciare. Iam meretur supplicium peccatum, & causa peccati, sed expectatur adhuc, vt augmentum supplicij subroget peccatum, & pœna peccati. Plerumque verò vnum, atque idem peccatum, & peccatum est & pœna, & causa peccati. Quod melius ostendemus, si res ipsas ad medium deducamus. Effrenata enim ventris ingluuies, in feruorem luxuriæ, plenitudinem carnis instigat. Perpetrata autem luxuria, sæpe aut periurio, aut homicidio tegitur, ne humanarum legum vltione puniatur. Ponamus ergo ante oculos, quod quidam voracitatis sibi fræna laxauit, qua voracitate superatus, adulterij facinus admisit, deprehensus autem in adulterio latenter virum adulteræ, ne ad iudicium traheretur, occidit. Hoc igitur adulterium inter voracitatem & homicidium positum, de illa videlicet nascens, hoc generans peccatum, est & pœna, & causa peccati. Peccatum profectò est per semetipsum, pœna verò peccati est, quia culpam voracitatis auxit, causa autem peccati est, quia subsequens etiam homicidium genuit. Vnum ergò, idemque peccatum est, & pœna præcedentis, & causa culpæ subsequentis, quia & transacta, dum exaggerat damnat, & adhuc sequentia, quæ damnari debeant, seminat. Igitur quia peccatis præcedentibus cæcatur oculus cordis, ipsa cæcitas, quæ peccantis animum ex anteactæ culpæ damnatione confundit, meritò nox apud Prophetam vocatur, quia per hanc ab oculis delinquentis lumen veritatis absconditur.

Exemplo res declaratur.

Iob 34.

De duplici qua peccata puniuntur pœna.

CAPVT II.

Pœna duplex. *De natura & gratia, cap. 23.* *Lib. 22. cōtra Faust. ca. 78.* *Lib. 2. de pec. mer. & remiss. cap. 33.*

DIssimulandum non est, duplicem esse pœnam, aut quę solam habeat rationem pœnæ, aut quæ, cum pœna existat, habeat quoque rationem culpæ, & peccati coniunctam: Solum rationem pœnæ obtinet mors corporis, de qua dictum est, sitis, fames, aduersitas, & id genus aliorum, secundum beatum Augustinum. Licet namque plena peccatorum in baptismo fiat remissio, non tamen omnis infirmitatis corruptio absumitur. Nec consequitur: Si inflictæ sint propter peccatum, ergo ablato peccato aufertur & ipsa. Quia est nobis exercitio relicta, &

cta,& vt certantis præmium adipisceretur inflicta,quemadmodum eruditè docet Augustinus. Atqui non rarò videmus, pios & timoratos varijs conflictari mundi aduersitatibus, scelestos autem in omnibus potiri votis, omniaque ipsis esse secunda. Quare Deus hæc fieri sinit? Quare si iustus est, hæc permittit? Profectò non absque vrgentibus causis, quia iustus est. Non est scelestus quispiam adeò alienatus à Deo, & omni specie boni, quin vel aliquo pietatis desiderio tangatur, vel semel audit in Paschate fortassis rem Diuinam, legit arido pectore licet orationem Dominicam, vel erogat quanquam vt videatur ab hominibus eleemosynam, hæc & eius generis alia videre non est difficile, etiam in pessimis quibusque, quæ pietatis opera non præpollent peccatis eorum, vt iustificari valeant, accipientes ergo bona in vita sua iustitia Dei bonorum ita peractorum, quæ cælum non merentur, in hoc mundo consequuntur remunerationem. Rursum non est aliquis tam animo compositus, pietatique consecratus, vt non delinquat aliquando in sua lingua saltem, vel etiam operatione, aut cogitatione. Hæc quidem leuia sunt peccamina. Cum autem nihil inquinatum intret in illud, Dominus iustus, tribulationibus huius mundi, iustorum imperfectiones, ita hic expurgat, vt ad vitam æternam illos à morte perducat. Alia sic pœna cognoscitur, vt nihilominus peccatum esse offendatur, vti disertè ex varijs scripturarum locis edocet Augustinus. Verum iam duplex occurrit hic labyrinthus, quia vno modo Deus videbitur iam author mali, & peccati, si peccata peccatis vindicet. Altera est difficultas, quia cùm omnis pœna voluntati sit contraria, non videtur fieri posse, vt peccatum, quod est voluntarium, habeat rationem pœnæ. Respondendum est, secundum eundem Augustinum, & Concilium Tridentinum, Deum vindicare peccata peccatis, non ad ista cogendo, aut excitando, sed dignos deseri, deserendo tantum, vt scilicet ipsa desertio sit per se pœna præcedentis delicti. Peccatum autem quod ex tali desertione sequitur, per accidens. Hunc modum etiam exponit diuus Thomas: Peccatum, inquit, habet rationem pœnæ, non secundum suam formam & naturam, sed secundum causam suam, ex qua oritur, nempe Diuinæ gratiæ subtractionem, qua seruabatur ne in peccatum laberetur. Hoc occultissimo & seuerissimo iudicio vindicat Deus peccatum, dum prioribus peccatis offensus, gratiam subtrahit, quô partim dæmonis impulsu, partim propēsa corruptæ naturæ inclinatione præceps ruit in peccata. Vnde August. Curauit Apostolus dicere, quanta pœna sit tradi passionibus ignominiæ, siue deseren-

Iustis quare hic malè, iniustis autem bene?

De natura & gratia, cap. 22. et de gratia, & liber. arbi. cap. 20.

De natura & gratia, cap. 23.

Serm. 88. de temp.

Sess. 6. ca 11.

1. 2. quæst. 87. art. 2.

Lib. 5. contra Iul. cap. 3.

deferendo, siue alio quomodocunq; modo, quem reperire licet
Homil. 11. super Ezech. apud diuum Gregorium, docētem contemnēti pœnitere, Deum
ponere offendiculū, vt grauius impingat, siue id sit adhortatio
ad bonum, aut afflictio temporalis, qua obduratur ad malum,
per quod à Deo desertus ad omne genus flagitiorum præcipita-
3. Reg. 20. tur: Sicut Achab Rex Israhel, qui Deo prouidente ac permit-
2. ad Thess. 2. tente à spiritu mendacij deceptus, prophetæ Domini credere
renuit. Et reprobis, de quibus dicitur, quod quia charitatem
veritatis non receperunt, vt salui fierent, misit ideo Deus spiri-
tum erroris, vt credant mendacio. Et licet Deus in dæmoni-
bus, vel hominibus non operetur malas voluntates, vtitur ta-
men eis, vt voluerit, non malitiam immittendo, sed volunta-
Lib. 5. contra Iul. cap. 3. tem, non emolliendo, teste Augustino. Alium modum videre
est apud Magistrum §. G. secundum quem ea peccata, quæ in
Epistola 105. ad Sixtum. et de prædest. Sanct. cap. 6. & 16. passionibus contumeliosis cōsistunt, dicuntur pœnæ præceden-
tium peccatorum, nam huiusmodi passiones sunt culpæ, sunt
etiam & pœnæ, culpæ quidem ex ea parte, qua legi Dei repu-
gnant. Pœnæ verò ea parte, qua animam, aut corpus, iniuria,
aut molestia afficiūt. Qui enim fornicatur, non tantū in Deum,
1. Corint. 6. verum etiam in proprium corpus peccat. Eiusdem rationis sunt
passiones ignominiæ, quæ dicuntur corporis contumeliæ ab
Rom. 1. Apostolo, & merces erroris. A quibus liberet nos gratia & mi-
sericordia Dei. Amen.

DISTINCTIO
TRIGESIMA SEPTIMA,
cum tribus sequentibus.
Voluntas censetur bona vel mala ratione finis.
CAPVT I.

Libr. 1. Retract. cap. 15. Voluntas describitur ab Augustino esse ani-
mi motus, cogente nullo ad aliquid, vel
non amittendum, vel adipiscendum. Hac
Voluntas est duplex. descriptione volentem, à nolente discer-
nit, demonstrans Adam non fuisse coa-
ctum, sed peccatum ei fuisse persuasum.
Lib. 2. de pec. mer. & remiss. cap. 18. Atqui hic notandum est duplicem esse vo-
lūtatem, bonam & malam, de bona loquitur Augustinus: Igno-
ro, inquit, quomodo aliquid inueniri possit boni, in nostra vo-
1. Corin. 4. luntate, quod nō sit à Deo. Quid enim habes, quod nō accepisti?

Nequa-

Nequaquam tamen istud intelligi debet, adinuentione Pelagiana, vt hactenus voluntas bona, à Deo censeatur, quia subiectum nimirum homo, cui inest, Dei munere subsistit, quia & sic mala voluntas esset à Deo, cùm homini insit, quod est nephas, vel cogitare, sequeretur namque, quod aliquid melius à nobis, quàm à Deo esset. Si igitur bona est, Deo bonitas est adscribenda eius, quæ discernitur ratione finis. Nunquam siquidem est bona voluntas, si malum finem in actione sibi habeat præscriptum. Verùm, vt sententia sit vniuersalis, operæpretium est, finis nomine, non tantum intelligere, postremum finem ab externa actione distinctum, quomodo vltimus finis eleemosynę est placere Deo, si ideo aliquis eroget, vt se Deo eâ commēdet. Sed externa operatio, quæ finis gratia suscipitur, etiam sub ratione finis comprehenditur. Vtrumque enim vult voluntas, & eleemosynam dare, & per eam se Deo commendare, ac ab vtroque bona vel mala debet reputari, imò si inter extremum finem, & præpositam operationem plura intercederent, omnia finis nomine intelligi deberent. Exemplo quod dicitur, manifestum fiat. Si quis pauperi eleemosynam dare velit, vt eum sibi deuinctum reddat, eaque intentione faciat, vt maiori authoritate à vitijs compescat, maiorique fructu ad virtutes alliciat, in omnibus his, primò spectet Dei honorem, ac proximi salutem. Hic plures reperiuntur fines voluntatis, & quia omnes boni existunt, etiam ipsa voluntas censetur bona, vt docet Euangelium: Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Sed his obijcitur: Mentiatur aliquis, vt saluti proximi consulat, tunc dubio procul bonum intendit finem, id est, innocentis vitam, ergo tale mendacium erit bonum. Cuius oppositum docet beatus Augustinus, respondendo quod actus præcisè non sit ex fine bonus: sed vt sit bonus, facit intentio finis, dum adsunt omnia requisita. Vnde Dionysius Areopagita bonum dicit esse, quod constat ex causa integra, quemadmodum enim ad pulcritudinem corporalem requiruntur membra omnia, pulcra dispositione organizata, ita ad bonitatem actus, vt aliquid sit bonum, ex intentione, requiruntur omnia per se necessaria. Vnum est, vt finis intentus habeat rationem melioris boni, quàm ea, quæ sunt ad finem. Nam si diligerem Deum solum propter me, ceu propter finem, grande piaculum foret, quia est incomparabiliter excellentior. Secundum est, vt quæ sunt ad finem, sint bona, ideoq; peccatum est, si quis aliena inuadat, vt pauperum necessitati succurrat, vel mētiatur, vt proximi saluti cōsulat. Tertiū est, vt fiat debitis circūstantijs,

Exemplo rem facit dilucidam.

Matth. 6.

Libr. contra mēd. ad Cōsen. cap. 7.

De Diuinis nominib. cap. 4.

respectu, videlicet debiti obiecti quando oportet, vbi, & sicut oportet, secundum beatum Anselmum: Bona voluntas est, inquit, quæ Dei voluntati subiecta adhæret, cupiens quæ Deus vult eum velle, & nolens peccata, quæ Deus non vult: nec propriam voluntatem quærit, sed eius, à quo creata est, vti docet Augustinus: Mutabile bonum, inquit, melius fit, cum bono immutabili adhæserit. & alibi: Velle præferre voluntatem suam, est amor prauus, qui cupiditas vocatur. Velle autem facere voluntatem eius, à quo quis factus est, amor dicitur rectus, qui charitas appellatur, finis præcepti est charitas: omnis enim bona voluntas ad hoc ordinatur, vt Deum possideat, eoque fruatur, quod charitatis virtute contingit. Nec his refragatur quod Deus sit omnium finis, & Christus finis legis. & iterum: Deus charitas. quia rectè ponitur charitas finis intentionis, quando plenitudo legis est dilectio. At subéstne alius aliquando per intentionem, præter charitatem finis? & frequenter. Primò, vt finis sit alteri subordinatus, sic famulari Deo principaliter, & deinde etiam mundo ad hauriendum quæstum, familiæ necessarium, vel pauperibus erogandum: & vtrumque non ambigitur meritorium. Secundò, vt finis primarius inhæreat Deo, sanctoque eius seruitio, sed iste finis habet aliquid sibi subiectum, non in Deum omnino relatum, sicut Canonicus procedit ad templum, principaliùs, vt Diuinarum precum persoluat pensum, & minus principaliter, vt distributionibus gaudeat. Si hanc receptionem Deo non ferat acceptam, talis intentio esset venialis culpa, etsi intendat intentione mortalis criminis committendi recipere, tum etiam fieret receptio lethifera. Tertiò, vt sint duo fines, ambo æquè principales, quemadmodum si quis seruiat Deo, æquè principaliter cum mundo, ita quod Diuina non præferat mundanis, tum est damnabile, quia Deus in æternum benedictus est super omnia diligendus, cunctisque rebus præferendus. Amen.

Lib. cur Deus homo, cap. 11.

Libr. 8. de Gen. ad lit. cap. 14 et 12. de Ciui. Dei, cap. 8.

Rom. 13.

1. Ioan. 4.

Canonicus qua intentione recipiat distributiones?

Iudicium de bona voluntate, vel mala, vnde sumendum?

CAPVT II.

Controuersia decidenda est, de voluntate in significatione actus, nam ipsa naturalis potentia voluntatis, in se considerata, semper bona est, & insigne rationalis creaturæ ornamentum. Verum si spectetur in exercitio operationis, quan-

nis, quandoque bona, quandoque mala reperitur. Mala, inquam, non inquantum actus est, quem Deo authore semper fieri, & bonum esse superius dilucidauimus., sed quatenus in sua operatione deficit. Deficit verò, si vel malum est voluntatis obiectum, siue medium, quod finis alicuius gratia agendum suscipitur, vel si finis malus est, ad quem media destinantur. Exemplo res fiat manifesta: Vult quis surripere aliena, vt opituletur egestati pauperum, hic finis quidem bonus est, multisque encomijs extollendus, sed quoniam medium ad hunc finem destinatum vitiosum est, ac damnabile, vtpote Dei legi repugnans, ipsa voluntas censetur mala. Rursum, si bonum quidem est obiectum, quia vult de propria substantia impertiri eleemosynam, sed causa vanæ gloriæ, aliáve intentione non recta, hic iam finis malus voluntatem vitiat. Huc referendum videtur, quod habet Gregorius Magnus, vt eo ipso homo peccet, quo peccare vellet, si inultè posset. Cui conformis est illustrissimus Cardinalis Hosius. Non enim possunt pro nostro arbitrio mutari leges Dei, vt propter nostram intentionem rectam, licitum nobis reddatur, quod absolutè Diuina lege prohibetur. Quod si vtrumque malum est, & obiectum, & finis, iam duplici ratione mala est voluntas, bona autem non aliter erit, quàm si vtrumque bonum sit: vnde manifestum euadit, interesse nonnihil in æstimatione bonæ & malæ voluntatis, nam vt voluntas sit bona, necesse est, vt præfati sumus, & obiectum, & finem habeat bonum, eo quod bonum causam requirat integram, nullaque parte vitiatam: Vt autem mala sit voluntas, satis est, vel malum esse finem, quem prosequitur, vel malam esse operationem, quæ finis gratia suscipitur. Idemque iudicium prorsus in externa operatione bona vel mala discernenda adhiberi debet: Bonum verò hic intelligimus, non omne id quod naturali qualitate commendatur, sed quod operationi congruit, hoc est, quod tale est, vt circa ipsum suscepta operatio legi Dei sit consentanea. Alij absolutè bonitatem vel malitiam voluntatis æstimandam dicunt ab obiecto. Sed eodem recidit explicatio hæc cum priore: Quoniam hi nomine obiecti, non solum media, sed etiam finem intelligunt, quòd ad voluntatem facta comparatione non differant, finis & obiectum. Est autem voluntatis qualitas tanti in hac re momenti, vt ab ea potius, quàm à cæterarum virium qualitate, aut etiam ab ipsa substantia, totus homo bonus vel malus æstimari debeat. Cuius ratio est, quia voluntas cæteras vires humanas

Lib. 1. moral. cap. 2.

Lib. 2. ca. 17. contra Brentium.

Voluntas bona & mala.

Voluntatis operatio.

ſibi ſubditas habet, & per eam homo eſt ſui iuris, liberamque ſuarum operationum habet poteſtatem, quo fit. vt voluntati imputetur, ſi quid fortè per rationis ignorantiam, vel negligentiam peccetur, quia voluntatis eſt compeſcere prauos affectus, & cupiditatis motus, quibus perturbatur rationis iudicium, & ipſam etiam rationem excitare, vt rebus rectè diſcernendis inuigilet.

DISTINCTIO
QVADRAGESIMA PRIMA.

Non omnis infidelium operatio, eſt peccatum.

CAPVT I.

Vandoquidem ſuperioribus ſectionibus demonſtratum eſt, intentione mala vitiari voluntatem, & externam operationem, alioqui bonam, rectè nunc inueſtigat Magiſter, num omnis infidelium actio ſit peccatum, quod ſanè videri poterat. Cùm enim expertes ſint fidei, cuius eſt operandi intentionem dirigere, conſequens videtur omni illos deſtitui recta

Lib. 4. contra Iul. cap. 3. intentione. Auguſtinus profectò ſcripturis, ac rationibus adſtruit, quicquid ab homine fit, non ea intentione, quam fides præſcribit, etiamſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine, peccatum eſſe. Noueris, inquit, nō officijs, ſed finibus à vitijs diſcernendas eſſe virtutes. Officium eſt autem quod faciendum eſt: Finis verò propter quod faciendum eſt: Cùm itaq; facit homo aliquid, vbi peccare non videtur, ſi nō propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare conuincitur. Et poſtea: Quicquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debet, vera ſapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt. Rurſum, cùm dixiſſet gentes naturaliter vtcunque, quæ legis ſunt feciſſe, ſcriptum habentes in cordibus opus legis, hactenus vt alijs non facerent, quod perpeti nollent, adiecit: Hoc tamen peccantes, quod homines ſine

Vnde aliqui dicant opera infidelium peccata? fide, non ad eum finem iſta opera retulerunt, ad quem referre debuerūt. Deinde in medium adducit exemplum, de Fabricio & Catone. Poſtea pluribus interpoſitis, cùm ex perſona Iuliani dixiſſet: Si gentilis nudū operuerit, nunquid quia nō eſt ex fide, peccatū eſt? Reſpondēdo adiecit: Prorſus inquantū nō eſt ex fide, peccatum

peccatum eſt: hæc & eius generis illa apud eum videre, cuique integrum eſt. Ex quibus ſtatuere quidam conantur, infideles in omni opere ſuo delinquere, tametſi officio bonum ſit, quod agunt, quale eſt paſcere eſurientem, veſtire nudum, honorem exhibere parentibus, ſeruare fidem thori, huiusque farinæ ſimilia. Quare cum primis rei Theologicæ candidatus cordi habere debet quid hac de re ſanctus ſenſerit Auguſtinus, ita ſiquidem ſcribit alicubi: Infidelium & Deum non veraciter colentium, quædam eſſe facta, quę ſecūdum iuſtitiæ regulam, non ſolum vituperare non poſſumus, verum etiam merito iuſteque laudamus. Quod ſi iuſtè laudantur quædam illorum opera, ergo ex Auguſtini ſententia carent reprehenſione peccati. Et non tantum officijs, ſed etiam fine, bona ſunt, nam peccata nemo meritò laudauerit, & non poſſunt non eſſe peccata, ſi mali finis intentione corrupta ſunt, nam iuſtitiæ regulæ non tantum de officijs legem ferunt, ſed vel maximè de fine. Neque hanc ſuam ſententiam reuocauit, aut palinodiam cecinit, (quia continuò ſubiunxit: Si diſcutiatur, quo fine fiant, vix inueniri apud infideles opera iuſtitiæ, quæ debitam laudem mereantur) quin prius dicta firma ſtabilitate conſolidat potius. Qui enim apud infideles vix reperiri opera bona, vtique reperiri ea ſignificat, quamuis ægrè & raròquod vocula (vix) innuitur. Et vt concedamus ea non mereri laudem iuſtitiæ, ſi tamen, vt Auguſtinus vult, iuſtè meritoque laudantur, certè à peccati labe ſunt aliena. Nec ſibi ipſi aduerſatur Auguſtinus, dum prælibato capite aliquoties ſignificare videtur, in vniuerſum omnia vitioſè fieri, quæ ſine fide aguntur, quoniam talem ſemper ſubijcit explicationem, vt palam manifeſtum faciat, nihil aliud ſe inſinuare voluiſſe, quàm peccata eſſe, quæ ab infidelibus infideliter aguntur, hoc eſt, vt ipſe etiam interpretatur, ſtulta noxiaque voluntate. Et primum quidem cum dixiſſet illum peccare, qui non eò refert operationem ſuam, quò debet, de illo producit exemplum, qui metu incommodi temporalis tātum ab alienis abſtinet. Siquidem magis abſtinere ab alieno, ſi officium cogites, poteſt videri eſſe iuſtitiæ. Sed cum quæritur, quare fiat, & reſpondetur ne plus pecuniæ litibus pereat, quomodo iam hoc factum verè poterit eſſe iuſtitiæ, cum ſeruiat auaritiæ? Adfert poſtea & aliud paradigma, inquiens, bonum eſt, vt ſubueniatur homini periclitanti, præſertim innocenti, ſed ille qui hoc facit, ſi amando gloriam hominum magis, quàm Dei facit, non bene bonum facit: Hic vides iſta infidelium opera, non alia ratione cenſeri peccata, quàm quia mali

De ſpiritu & lit. cap. 27.

Opera infideliter facta.

finis intentione corrupta sunt. Similiter cum dixisset eleemosynam etiam non sine peccato dari, explicatio subiuncta non aliud ostendit, quàm peccari, si ad ostentationem, aut vanam gloriam ab infideli exerceatur pietatis opera, quod certè etiam fidelibus commune est. Nam respondens obiectioni Iuliani, Si gentilis nudum operuerit, nunquid quia non est ex fide, peccatum est? Prorsus, inquit, inquantum non est ex fide, peccatum est, non quià per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est, sed de tali opere, non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum. Et etiam dum de Fabritio & Scipione ait, quod naturaliter vtcunque quæ legis sunt fecissent, in hoc tamen peccasse, quod homines sine fide, non in eum retulissent finem ad quem referre debuerunt, statim velut causam intentionis malæ reddere volens, ait virtute ciuili, non vera, sed verisimili dæmonibus vel gloriæ humanæ seruijsse. Rursum cum dixisset misericordem hominis infidelem voluntatem bonam non esse, nihil aliud conuincit adiuncta probatio, quam malam esse misericordiam, quæ cum Dei mandato pugnat, qualis est, inquit, per misericordiam accipere personam pauperis in iudicio, atque eodem pertinet, quod postea ait: Bona ab infidelibus malè fieri, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, inquit, stulta & noxia faciunt voluntate. Nec aliud ex ijs (quæ hactenus adducta sunt) habemus, quàm mala esse infidelium opera, si vel diuinæ legi repugnent, vel consentanea sint quidem, & bona ex suo genere, tamen mali finis intentione vitientur. Sed quod nulla possit esse recta finis intentio sine fide, ex Augustini côtextu haberi nequit. Imò alibi oppositū, vt superius diximus edocet. Vbi & addit non vsq; adeò terrenorum affectuum tabe esse deletam in anima imaginem, vt nulla in ea velut extrema lineamenta remanserint, vnde meritò etiam dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ, facere aliqua legis, vel sapere. Quod si aduersus hæc, Apostoli obijcias sententiam, Omne quod non est ex fide, peccatum est. Ibique absolutè significare contendas, omnem infidelium actionem esse peccatum: Rogo abs te, num infidelium nomine ibi censeantur infirmi, qui ibi discernere dicuntur inter cibos, vt secundum præscriptum legis Mosaicæ alios mundos, alios immundos iudicent, credentes illi legi adhuc locum esse inter Christianos? Et vtique si constare tibi velis, necesse est fateare tales censeri infideles. Alioquin enim nihil ad istos assumta pertinebit probatio, neque proposito adstruendo erit congrua. Quomodo enim consequens erit,

De spiritu & litera ca. 27.

Cap. 14. ad Rom.

quia infideles in ſuis operibus ſemper peccant, etiam infirmos qui non ex fide manducant,peccare, niſi & ipſi infideles ſint. Si autem infideles ſunt, ergo ſecundum tuam dictam interpretationem, in omni opere ſuo peccant. Quod manifeſtè repugnat ſententiæ Apoſtoli, qui in eiuſdem capitis exordio ſuadet, vt qui infirmus eſt, hoc eſt, qui adhuc diſcernit, & illa ciborum diſcrimina in lege præſcripta adhuc ſeruanda credit, olus manducet, vbi ſaluti conſulit infirmi,dum talem præſcribit cibum, cuius comeſtione conſcientia minimè lædatur,aut maculetur. Sciebat enim infirmis id genus cibi licitum eſſe, quia nihil herbarum in lege prohibitum fuerat. Maculabitur autem infirmi conſcientia, non minus eſu olerum, quàm rerum lege Rom. 14. Moyſis prohibitarum, ſi ideo comeſtio peccatum eſt, quia fit ab homine infideli. Id ergo ſi abſurdum eſt, & repugnans menti Apoſtoli, neceſſe eſt prædictorum verborum aliam quæramus interpretationem, ab ea quæ ſuperius poſita eſt, ex qua ad hanc abſurditatem neceſſario venitur. Certum eſt autem in primis Apoſtolum ibi agere de ciborum delectu, qui olim Iudæis lege Moyſis præſcriptus fuit, quem abrogatum eſſe docet per Chriſtum, vt nullum diſcrimen ciborum neceſſe ſit ſeruare, propter legem. Docet præterea eos qui hac libertate,ſeu abrogatione delectus ciborum rectè ſunt inſtituti,non debere ea abuti ad contemtum & ſcandalum infirmi, hoc eſt, proximi, qui nondum hac de re habet ſententiam: infirmos verò non debere iudicare alios firmiores, quos videbant negligere diſcrimina in lege præſcripta. Non ergo amplius inuicem iudicemus, inquit, ſed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel ſcandalum. In quibus verbis quod priori loco dicitur ad infirmos pertinere, ex eo conſtat, quod in exordio eiuſdem capitis dicitur: Qui non manducat, manducantem non iudicet, nec ſpernat. Poſterius verò ne fratri ſint offendiculo aut ſcandalo, ad firmores dicitur. Periculum quippe erat infirmi, ne illorum prouocati exemplo quibuſlibet veſcerentur, contra ſuam conſcientiam, quod ait, eſſe grande piaculum: Scio enim, inquit, & confido in Domino Ieſu, quia nihil commune eſt per ipſum, niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, ei commune eſt: vbi aperte oſtendit illicitos eſſe cibos, qui immundos aut vetitos eſſe credunt, tametſi reuera immundi & vetiti non ſint. Vnde & poſtea ſubdit: Qui non iudicat ſeipſum in eo quod probat, id eſt,qui ſeipſum nō condemnat, in eo quod ſtatuit agendum,ſeu qui licitis & conceſſis libera vtitur conſcientia,abiectis ſcrupulis. Qui

autem

autem discernit, hoc est, qui discretionem ciborum in lege præscriptam, nondum sublatam credit, sed iudicat quosdam adhuc vetitos, si manducauerit, damnatus est. Diuus Ambrosius qui discernit, interpretatur, qui dijudicat semetipsum. Ioannes Chrysostomus verò interpretatur, qui cū dubio edit, similiter & OEcumenius, sed magis consonat prima elucidatio ei, quod prius ex Paulo adductum est, nihil esse commune, nisi ei qui existimat quid commune esse. Vbi constat de eo sermonem esse Apostolo, qui adhuc inter cibos discernit, credens, quosdam esse immundos & illicitos. Ergo & hic discernentem rectè intelligimus, qui delectum ciborum in lege præscriptum credit nondum esse sublatum, qui damnationi se reddere obnoxium dicitur, si manducet eos cibos, quos iudicat vetitos esse, tametsi reuera vetiti non sint, quia edit non ex fide, id est, non ex credulitate aut persuasione, interprete Ambrosio, quod licitus sit cibus ille. Cui expositioni suffragatur, quod in principio illius capitis, ait Apostolus, alius credit se manducare omnia, pro eo quod est, putat sibi licere manducare quælibet. Chrysostomus & Theophylactus, fidem accipiunt pro fiducia, qui non ex credulitate edit conscientiæ qua confidit quis licitum esse, quod agit, peccat ergo, quia omne quod non est ex fide, peccatum est: Hoc est, quicquid ab aliquo fit, non ex credulitate, quod licitum sit agere, quod agitur peccatum est ei, reddens illum damnationi obnoxium, quia si de eo quod agit non habeat persuasionem, credulitatem aut conscientiæ confidentiam, quod licitum sit, id agere: aut palam facit contra conscientiam, dum quod agit, illicitum esse credit, aut se exponit peccati periculo, de quo dubitat, an licitum sit agere. Et secundum hunc sensum, quem omnino exigit ipse Apostoli contextus, nihil facit hic locus ad disputationem illam, de vita infidelium, sitne omnis eorum operatio peccatum, cum hic nihil aliud doceatur, quàm peccatum esse, dubitante vel reclamante conscientia. Potest autem infidelis certam habere notitiam, qua credat non esse illicitum, quod agit. Similiter & illa

Hebr. 11. sententia, sine fide impossibile est placere Deo, nihil efficit ad disputationem præsentem, aliud est enim non placere Deo, aliud in omni opere peccare. Nec consequens est, si quis displicet Deo, ideo omnem eius operationem esse peccatum. Nam & inter fideles, quidam Deo displicent, exosique existunt: Odio

Sapien. 14. enim sunt Deo impius & impietas eius, quos tamen nemo sanæ mentis dixerit, ideo in omni suo opere peccare quando-

ess. 6. ca. 7. quidem id proscribit sancta Romana Ecclesia, in Concil. Tridentino.

dentino, sic inquiens: Si quis dixerit opera omnia, quæ ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum grauius peccare, anathema sit. Obijcies fortassis aliud de infidelibus quàm fidelibus hac in re habendum esse iudicium, quòd illorum operatio semper destituatur circunstantia finis vltimi, eo quod hunc finem sola fides nobis ostendat. Atqui hoc falsitatis est plenissimum. Nam & plerisque infidelium contingit illustris Dei notitia, teste Apostolo, vbi de infidelibus loquens, ait, Quod notum est Dei, hoc est, quod de Deo sciri potest, manifestũ est in illis, siue inter illos. Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. Et vt demus quosdam omni prorsus Dei cognitione destitutos, vt in illum suas actiones referre non conualescant, quem ne existere quidem nouerunt, non inde consequens est, omnia eorum opera esse peccata. Nam & fidelibus id contingere potest, vt ductu legis solius naturæ, quæ docet alijs faciendum, quod tibi fieri velis, eleemosynam pauperi tribuat, quod tamen opus suum, ne habitualiter quidem in Deum referat, vtpote ab eo planè auersus, & perseuerans in voluntate peccandi, & de Deo ne cogitans quidem. Hic arbitror non es dicturus, talem sequentem regulam legis naturæ, in illo suo opere peccare, nisi stando, sedendo, ambulando, & aliud quiduis agendo, semper illum peccare fatearis, quandocunque ista in Deum non refert. Nam quis sanæ mentis, non magis probauerit eleemosynæ dationem, licet in Deum non relatam, quam talem sessionem, deambulationem, aliudve opus indifferens. Si igitur hæc carent reprehensione peccati, multo magis illud. Et si illud in homine fideli peccatum non est, multò minus in infideli, quòd nemo ambigat plus requiri ab homine Christiano lumine fidei illustrato, quàm ab infidelibus. Nam cui multum datum est, inquit Seruator noster Christus, super omnia semper benedictus, multum requiretur ab eo. Et cui multum commendauerant, multum petent ab eo, vt seruus qui conscius fuit voluntatis Domini, nec se præparauit, nec voluntatem eius capessere studuit, vapulabit multis. Qui autem non cognouit, fecitque digna plagis, vapulabit paucis. Magis ergo excusandus erit infidelis, cui Domini voluntas manifesta non est, quam fidelis qui voluntatem eius bene habet perspectam. Quare si huius opus peccatum non est, multo minus illius. Obijcies

Rom. ca. 1.

Opera indifferentia carent reprehensione.

Lucæ 12.

altera

altera fortassis replica: Apostolus præcipit omnia ad honorem Dei fieri, Siue enim manducatis, siue bibitis, siue aliud quid faciatis, omnia in gloriam Dei facite. Quæ verba si verè præceptoria esse contendas, consequens erit omnia omnino Christiani hominis opera, vt manducationem, deambulationem, & id genus aliorum quæ vt prælibauimus in Deum non referuntur, esse peccata, quod absurdum est. Sane Ioannes Chrysostomus in eundem scribens locum, non præceptum, sed admonitionem appellat, quod ab Apostolo ibi dicitur: Vides, inquit, quo pacto à re proposita vniuersalem induxit admonitionem, & hunc vnum optimum nobis finem proposuit, vt Deum in omnibus glorificemus? Atqui impræsentiarum ad diui Augustini disputationem, vnde digressa erat, recurrat oratio. Is cum protulisset peccatum esse infideliter sui infideli voluntate misereri, adiecit talem voluntatem nullo dubitante dici arborem malam, quam proinde non possit Deus diligere, sed disponit excidere, si talis permanserit. Ex quo statuere conantur, qui aduersæ sunt sententiæ, omnem infidelium actionem esse peccatum. Quoniam, inquiunt, nemo ire potest inficias, eam voluntatem esse malam, quam Deus parat excidere, & in ignem mittere. Argumentatio ergo illorum talis est: Mala voluntas, arbor mala est, quam Deus vult excidere, & in ignem mittere, ergo malam habens voluntatem in omni opere suo peccat. Quæ argumentandi ratio si legittima polleat veritate, destruitur dogma ecclesiasticum OEcumenico Concilio Tridentino nostra luctuosa tempestate celebrato, videlicet hominem ante iustificationem non in omni opere suo peccare, siquidem & impius licet fidelis, voluntatem habet malam, qui si talis permanserit, etiam disponit Deus excidere, & in ignem mittere. Si autem absque vlla hæsitatione tenenda sunt, quæ vniuersalis Ecclesiæ definitionibus traduntur, euanidum est eorum argumentum, ac inualida est illa eorum ratiocinatio, cui tanta succedit absurditas, vt contra apertum Ecclesiæ Catholicæ decretum necesse sit fateri, impium quemuis ante acceptam iustificationis gratiam in omni opere suo peccare. Omnibus quidem est in confesso, arborem malam non nisi fructum proferre malum. Interim tamen & hoc fatendum est, etiam ex sententia Augustini, ex vna eâdem tellure prodire fructus bonos & malos, nempe spinas & vuas, tribulos & ficus. Porrò nomine terræ voluntas intelligitur in significatione potentiæ, vt superius tractatum reliquimus. Per arborem verò ipse voluntatis actus designatur, qui si malus est, haud dubiè eius fructus malus est.

1. Cor. 12.

Exemplo depromto res solis fulgoribus clarius elucescat: Si quis velit furari, alienaque vi diripere, si secundum hanc suam voluntatem operetur, seu ad effectum eum deducat, nemini dubium, quin voluntatis ille fructus malus sit. Atqui non est necesse, vt qui animo furtum conceperit, aut rapinam animo voluerit, omnia sua opera secundum malam illam voluntatem faciat. Sicut impudicus non omnia per impudicitiam agere dicitur, sed tantum ea, quæ tantum propter impudicitiam agenda suscipit. Ad eundem ergo modum, ab infideli non omnia infideliter fieri dicuntur, sed ea duntaxat, quæ ad infidelitatis finem referuntur, aut, vt Augustinus ait, quæ stulta & noxia fiunt voluntate. Quod dum fit, arbor mala fructum profert malum, sed nihil vetat interim, vnam eandemque terram, nunc malum, nunc bonum proferre fructum. Haud dissimili modo exponendum est, quod habet Matthæus, Si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit. Vbi per oculum interprete Augustino vbi supra, intentio significatur, quæ si mala est, totum opus vt præfati sumus, vitiatur. Sed iam satis (vt reor) probatum est, non necessario intentionem infidelium semper esse malam. Nec obstat quod in calce capitis tertij, eandem hanc tractans sententiam, dicat Augustinus: Eum qui non facit opera bona, intentione fidei bonæ, hoc est, inquit, eius quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus quod illis (velut membris) operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigrore peccatorum. Nihil, inquam, id nostræ aduersatur sententiæ, quia non absolutè hoc dicit, sed sub disiunctione loquitur, continuò enim adiecit: Aut certè quoniam concedis saltem, opera infidelium neminem ad salutem æternā perducere, scito nos illud bonum opus hominum dicere illam voluntatem bonam, illud opus bonum sine Dei gratia, quæ datur per vnum mediatorem Dei, & hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternam Dei donum, regnumque perduci. Vbi apertè ostendit satis sibi esse, si obtineant infideles Christi, fide destitutos veris virtutibus non esse præditos, nec fieri ab eis opera sic bona, vt hominem ad æternam perducant salutem. Non autem inficiatur quædam illorum esse opera quæ meritò reprehendi non debeant. Quod cum apertè eiusdem Augustini authoritate, alijsque varijs argumentis, satis in præcedentibus probatum sit: intrepidè pronunciamus, non omne opus infideliū esse peccatum, sicut nec impij semper peccant, qui Christi fide sunt imbuti. Altera apud Magistrū est quæstio proposita, An omne

Lib. 4. contra Iul. ca. 3. lib. de spiritu & litera, ca. 27. & 28. nec non de gratia & lib. arbit. cap. 8.

Cap. 6.

Lib. 1. de peccat. mer. & remiss. ca. 32. peccatum debeat esse voluntarium. Cui respondendum, Nullum omnino esse peccatum, quod voluntarium non sit. Nam de actuali id testatur Augustinus inquiens, Sine voluntate nullum propriæ vitæ posse esse peccatum. Similiter & originale, vti in prioribus manifestum euasit, quandam habet rationem voluntarij, quoniam Adam peccãte nos omnes in illo peccauimus, secundum Apostolum, dum (vt diuus Augustinus ait:) Omnes eramus ille homo, & voluntas eius aliquo modo nostra fuit, quia in eo extitimus tanquam in radice. Cui ab initio suæ creationis implantata fuit gratia & virtutum omnium addita ornamenta, ad totius humani generis dispositionem pertinentia. Quod verò ait Magister ex Augustini sententia, nusquam nisi in voluntate peccatum esse, non significat intra solius voluntatis limites, tanquam cancellos omne coërceri peccatum, sed omnem peccati radicem, & primariam causam esse voluntatem, à qua tamen etiam ad alias animæ vires & externas operationes, peccatum potest deriuari.

Peccatum quomodo in voluntate?

DISTINCTIO

QVADRAGEGIMA SECVNDA.

Actus interior & exterior, vnum vel plura quando peccata?

CAPVT I.

PRæsenti disputationis ordine proponenda occurrit quæstio, vtrum distincta sint peccata, interior consensus voluntatis in rem illicitam, & exterior eiusdem rei exequutio? Intelligitur autem quæstio de interno consensu, & exterioris operis exercitio, quatenus hæc duo coniuncta sunt, & ex priori posterius procedat. Nam si voluntatis consensum seorsum consideres, in opus foras prodeuntem, iam dubium non est, quin distinctum sit peccatum istud, in sola voluntate consistens, ab eo opere externo, quod postea fortè perpetratur cum hic sit alius, atque alius in rem malam consensus. Si verò hæc duo coniungas, & alterum ex altero prodire facias, secundum diuum Thomam, iam non nisi vnum peccatum sunt. Cuius ratio breuiter reddi potest, quod operatio exterior, nunquam habet

1. 2. quæst. 20. art. 2, & 3.

quolibet carere rationis vsu,non imputetur in peccatū,nec verè peccatū sit censendū.Cùm ergo hæc ita se habeant,cùm,inquā, vnus actus,nō nisi propter alterū malus sit,cōstat in vtroq; vnā eandemq; esse malitiā, etiā numero, vnamq; formalem peccati rationē,ac proinde non posse dici,nisi vnum peccatū,sicut & eadem numero est sanitas,qua animal sanum nō ambigitur,quaq; vrina sanitatis appellationem vsurpat. Atqui fortassis tacita mentis altercatione obijcere valeres: Si vnū existant peccatum, actus voluntatis interior,& opus extrinsecum,cur diuersis inhibētur præceptis? Aut si plurium præceptorum ibi reperitur trāsgressio,quomodo possunt non esse plura peccata? Ad quod respondemus,diuersas fieri prohibitiones, de actibus his quatenus alter ab altero separatur. Ne enim crederemus cōcupiscentiam rei illicitæ nō aliter esse peccatū,quàm si opere externo exequamur, quod concupiscimus, dictum est absolutè, non concupisces. Quando verò hæc duo offenduntur coniuncta, iam non duobus interdicuntur præceptis, sed vno tantum, eo videlicet, quo opus externum vetatur,vbi nunquam non consensus interior voluntatis in ipsum opus,includitur,quod exterior (vti diximus) operatio nullam habeat rationem peccati, nisi quatenus à voluntate, eaque deliberata egreditur.

De suggestione peccati.

CAPVT II.

Mille mæandris,varijsque technis insidiatur ille versipellis serpens antiquus saluti fidelium. Liberum quidem est ante peccatum obsequi eius suggestioni,vel resistere. At si semel præuaricādo eius serui sumus effecti,iā nostro Marte euadere nequimus,nec nostrapte virtute eius capistrum excutere valemus, sed sicut nauis fracto gubernaculo, quo impellit procellosa tempestas, scopulosis anfractibus collidenda fertur, ita homines amisso Diuini auxilij opitulamine,quod diabolus in ipsis principatum tenens vult,agunt,quos nisi Deus, ceu asinam miserabiliter colligatam soluerit, ad mortem, ac infernum secum adducet. Et quemadmodum nemo potest prouinciam regnandi sibi vindicare, neque seipsum regem constituere, sed populus, cuius votis cum est inauguratus, bonisque auibus ad solium regale promotus,tum authoritate Regia, ius dicit,causas decidit,magnaque potestate imperitat,nec plus potest

Similitudine probat malū esse, subdi diaboli iugo.

iam ipsius

iam ipsius iugum excutere: Sic vbi diabolus regnum inuaserit, & cor hominis possederit, non potest nisi per Deum fortiorem armatum de atrio cordis humani deturbari. Quandocunque autem nobis suggeritur, id quod suapte natura, vereque peccatum est, si agendum decernatur, haud dubium est, quin mortiferum sit peccatum, si modò fuerit suggestio de mortali crimine, de fornicatione, homicidio, &c. Veniale verò, si de veniali, vt de mendacio ioco so, verbo otioso, risu nimio, &c. Deinde quando placet menti, quod suapte natura calcar præbeat ad lethale peccatum, ipsiusque quoddam initium est, etiamsi nolit opus ipsum consummare, etiam hic lethiferum est peccatum. Exemplo quod doceiur manifestum fiat: Fornicari quidem nolo, cum hac muliere, sed tamen eam impudicè libenter aspicio, delectat carnem tam gratam, tamque formosam obtutibus intueri, peccatum mortiferum non ambigitur admissum, tametsi enim rem cum ipsa habere nolit, vult tamen aliud mortale peccatū, cum ea perpetrare, videlicet impudicum aspectum, cùm intueri non liceat, quod concupiscere non licet, teste B. Gregorio. Qui viderit, inquit Christus, mulierem ad cōcupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo. Pari modo, qui fornicationem nolit cum vlla committere, sed tamen eius cogitatione lubens se oblectet, animumque pascat, mortaliter peccat. Nam qui ad eum modum illiciti operis cogitatione delectatur, vt affectus & volūtas prona sint in opus illicitum, peccatum est, & maioris peccati initium. Quorum omnium hæc est ratio, quia initium, medium, & consummatio omnia mortalia sunt, quanquam aliud alio grauius, differantq; sicut vir magnus, & puer, quorum vtrūuis occideris, hominem occidisti, sed maiorem, si virum trucidasti. Ita quodcunque illorum peccatorum admissum est, mortale est commissum, quandoquidem initium minus sit, quàm cōsummatio. Si volūtariè excites in te primum motum peccas lethaliter, nám licet ille motus ex propria ratione non sit peccatum mortale, sed veniale, si non plenè consentias, tamē si illi cōsentias, quod fit dum deliberatè in te excitas, mortale peccatum est. Sed si quid cogitem, inquies, de fornicationis vitio, aut alio quopiam, vt doceam, naturā vitiorum explicem, ac fœditatem eorum traducam, num me peccare censebis? Responsio est in promtu, quia de illis agimus, quos oblectat fœdarū rerū cogitatio, siue quibus libet, quæ illicita sunt animo voluere. Nō autem de his, qui ob suā, aliorúmve vtilitatē, vitiorum naturas expendunt, vt ipsi abominentur, atq; apud alios vt eadem detestentur efficiāt. Quod si quæ interdum animū meditantis

Durum carnalibus hominibus exemplum.

Libr. 21. moral. cap. 2.

tantis

concedatur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi; qui viuit & regnat Deus, per omnia secula sæculorum. Amen.

De delectatione in peccatis.

CAPVT III.

Quibusdam progressibus, quasi pedibus quibusdā peruenitur ad consummationē peccati, quorū primus est in suggestione, Augustino, Gregorio, & Bernardo testibus, secūdus in delectatione. Tertius, cōsensus. Cùm mortale peccatū à vitioso concupiscentiæ motu, tanquam serpente suggeratur, si quod proponitur, ratione peragendum decernitur, nemini dubium esse potest, quin mortale peccatum sit admissum. Verùm illud alterum, sitne mortale peccatū, cùm se quispiā vitiosi operis cogitatione oblectat, nō perinde obuium est, ac apertū. Quo autē intelligi pleniùs queat, animaduertendum est, sedulò posse hominem cogitatione mali operis, puta fornicationis delectari multipliciter, siue varijs ex causis cogitandis vitiosis operibus immorari, atq; sua sibi cogitatione placere. Nā potest imprimis, ipsa duntaxat cogitatio delectare, non opus, circa quod versatur cogitatio. Etenim & artifices, non modo suis delectātur operibus, verumetiā ipso artificio, & efficiendi operis ratione, ac animi ad excogitandum industria. Ad eundem modum potest aliquē delectare, non cogitata modo fornicatio, sed etiā ipsa huius operis consideratio. Sic verò & benè, maleque fieri potest. Rectè quidem fit, cùm ab hoc vitio dehortaturus Ecclesiastes, eiusque deformitatem traducturus, gaudet se rectè & ordine concepisse, quæ de eo vitio declamatorio sermone proferat. Eiusmodi profectò delectatio nihil peccati habet, quia non de opere concepta est, sed de propria cogitatione, qua vitiosum opus ita animo sibi concepisse videtur concionator, vt aptè & vtiliter quod cogitauit, proponi populo possit. Potest etiā mali operis consideratio delectare, nō propter legitimū finē, sed vanū quempiā, velut si quē cogitare delectet tantū, vt vitij naturā intelligat (quod non pertinet ad plebeios & vulgares) delectatio quidē vana est, sed peccatū mortale non est. Postremò cogitatio concipitur ex ipso cogitato opere, propterea vitiosum opus versare libet, quod sit affectus in illud propēsus & inclinatus. Siquidem delectat vnumquemque circa id cogitando versari, quod voluntati complacuit, & affectui conforme est. Potores siquidem libenter cum voluptate cōmemorant, quàm gnauiter calicibus epotādis

Serm. 44. de verbis Domini.
Libr. 32. moral. cap. 16.
Serm. 56. super Cant.

Cogitationes multipliciter peccata.

Concionator quomodo potest cogitare carnalia?

Peccatū mortale, cogitatione repetitum.

operam dederint. Imò quandocunque aliquod homini occurrat mortale peccatum prius perpetratum, toties de nouo peccato lethali fit obnoxius, quoties complacentia, ac voluptate illud mente reuoluit, aut coram alijs exultando in rebus pessimis commemorat. Affectum siquidem operi vitioso conformem esse, atque in id esse propensum, & inclinatum, cùm hoc ipsum voluntarium, & consensus ratione præbetur, peccatum est lethiferum. Sin id displicet, atque exosum est bene affectæ voluntati, nullum censetur peccatum. Quę enim non placent, non nocent, teste Augustin. Peccatorum autem initia, & inchoationes eiusde rationis, & malitię sunt, cuius ipsę cōsummationes perfectionesq;. Quamobrem non illicitus modò coitus, verumetiam impudicus oculus, peccatum mortale est, vti in 6. præcepto decalogi declarauimus Dei gratia, propterea quod præparet ad fornicationem, eiusque ministret exordia. Rursum, velle de fornicatione cogitare, atq; ex ipso cogitato opere capere voluptatem. Item excitare spontaneè in seipso libidinis motum, peccata sunt mortalia, quod sint spontaneæ peccatorum mortalium inchoationes, & initia. Quæ si displiceant, nec stratum cordis polluere sinuntur, sed protinus propelluntur, tãtum abest, vt sint peccata, vt etiam coronæ occasionem pręstare credantur, beatus quippe dicitur, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Porrò, hæc tentatio, vel concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum. Concipit enim delectando, qua quidem re iam offendimus, sed lapsum tamen mortis non incurrimus. Est itaque hic iam secundus stimulus, qui & ipse concupiscentia vocatur, nam primus stimulus est leuis quidam punctus sensuum, & incentiuum vitiorum, secundus stimulus est cogitatio, quæ peccatum concipit delectationis. Hos duos stimulos docet diuus Hieronymus, Deum in nobis non punire, quod absque illis nullum hominem esse posse existimat. Cæterum peccatum cùm consummatum fuerit, id est, cùm quis cogitata perficere decreuerit, aut cum opere perpetrauerit, tum demum generat mortem. In hoc igitur, quod caro concupiscit aduersus spiritum, nihil est peccati, contra Ioannem Caluinum, nam & spiritus concupiscit aduersus carnem. Suggerit caro, fac adulterium, spiritus è regione suggerit, noli acquiescere carnis instinctui. Luctam, inquit beatus Augustinus, & Gregorius, video, victum non video.

Serm. 20. de verbis Domini.

Oculus impudicus.

Stimuli varij in peccato.

In 18. cap. Ezechielis.

Lib. 3. Institut. Christianæ, cap. 3. sect. 13.

Homil. 43. de verbis Domini.

Libr. 18 moral. cap. 5.

De consensu in peccatis.

CAPVT IIII.

Præsenti

ientium. Nã alius expreſſus eſt, cum quis expreſsè decernit *Conſenſus*
oblectare ſe meditatione rerum turpium,ac vult ſe excita- *duplex.*
re gaudens voluntatem ſic eſſe propenſam ad rem ei delectabilem. Alius eſt interpretatiuus cum quis illicitarum rerum cógitationẽ retinet animo tã diu,vt illa temporis mora pro expreſſo conſenſu ei reputetur. Et hæc ipſa apud Scholaſticos moroſa nuncupatur delectatio. Sed efficítne, inquis, igitur productior *Delectatio*
mora peccatum?Quid ſi diuturna quidem,& hærens delectatio, *moroſa quæ?*
ſed minimè ſit voluntaria? Reſpondeo ita quidem eſſe, vt diuturnitas,& mora tẽporis longior,ex ſui ratione peccatum mortiferum non efficiat,ſed occaſionem eſſe conſenſus expreſſi, vel interpretatiui,ferè namq; fit,vt cùm delectatio diuturnior eſt,ſimul cõſenſus rationis cõcurrat,qui ſi abeſſet,ne veniale quidem eſſet peccatum,quamlibet longa mora traheretur. At quoniam ſemper euenit, vt conſentiatur dum aliquãto tẽpore delectatio hæret,idcirco delectationẽ diuturnã mortale peccatum eſſe non ambigitur. Quando autem ſit conſenſus interpretatiuus,vndeq; poſſimus cognoſcere,quod in eum lapſi ſimus,ad id cognoſcendum plus valet in quoq; prudentia S. Spiritus,quàm cuiuſlibet doctoris eruditio: Dicam tamen ea de re, quod mihi appareat. Tunc in delectatione peccati conſenſus eſt interpretatiuus,quã- *Conſenſus*
do aduertit homo cogitationes eſſe illicitas, nec eas tamen di- *interpretatiuus.*
mittit,ac continuò ſe inde proripit, Chriſti opem implorando, ne patiatur ſe induci in tẽtationem. Sicuti in ſui læſionem conſentit is, qui licet non ignoret graſſaturos hac nocte ſicarios, & latrones, plateis tamen ſe non ſubtrahit, quòd vagari animo lubeat. Vel non latet ipſum illo in loco abſconſum ſerpentem, qui accedentes toxico ſuo inficiat, & tamen non dubitat illo in loco ſedere,ſecureque ſopori ſe dare. Sunt autem vniuerſa,nunc dicta, intelligenda de pleno conſenſu, ſeu expreſſo,ſeu interpretatiuo. Nam ſurreptitius etiam non deliberatus cõſenſus,limites peccati venialis non excedit,vt cùm ſubitò exorta cõmotio carnis,non ſtatim reprimitur,ſed tum,cùm aduertimus, quo in periculo verſemur, & quàm graui malo diſcrimen impendeat. Verùm quo ſcire, inquis, potero, me non re cogitata, ſed ipſa duntaxat cogitatione oblectari? id iſto ſigno mea quidem ſententia (iudicabunt alij fortaſsè eadem de re melius) deprehendi poterit: ſi frequenter in mentem veniat, & occurrat res illa tibi cogitanda, non ſtatuenti de ea cogitare, colligitur id euenire, ex eo quod affectus in illam rem pronus ſit,& inclinatus. Quod ſi verò de fornicatione concionaturum ſubinde re ipſa cogitata

 contin-

cõtingeret oblectari,eo quod,& ipsi homines corrupti & praui affecti sunt,si in eam delectationem nonnihil consentit,veniale peccatum non magis, quàm quiuis alius euadit,sed nec mortale, si plenè consentiat. A quibus nos magis expurgare dignetur Deus, in æternum benedictus. Amen.

De peccatis capitalibus.

CAPVT V.

IN calce præsentis distinctionis differitur de peccatis capitalibus, quæ tripartita ratione talem nomenclaturam sortiri consueuerũt. Prima,capitale vocatur, quod capite plectitur, aut punitur,sicut crimen læsæ maiestatis, & consimilia. Secunda,capitale dicitur,vnde primitus peccata exorta sunt. Hoc modo Luciferi peccatum nuncupatur capitale,ipse siquidem caput est,& causa malorũ. Tertia appellitatur peccatũ capitale,quod est principale. Quemadmodum enim capiti est eminẽtia,supra reliqua membra, sic tale peccatum malitiæ grauitate super vniuersas filias principatum obtinet. Sunt autem hoc nomine Saligia,memoriæ iuuandæ causa, inuento, exordium sumentia, sic Superbia,Auaritia, Luxuria, Inuidia, Gula, Ira & Acedia: quæ ideo dicta sunt capitalia, quòd sint velut capita, & fontes, ex quibus cętera omnia deriuantur,secundum Gregorium,& Anthoninum. Superbia est inordinatus excellẽtiæ appetitus. Auaritia est inordinatus acquirendi, vel retinendi ea, quæ ad præsentis sæculi diuitias pertinent, appetitus. Luxuria est immoderatus voluptatis venereæ appetitus. Inuidia est de bono alterius tristitia,vel odium fœlicitatis alienæ. Gula est inordinatus appetitus,cibi & potus. Ira est animi excandescentia immodica, & appetitus vindictæ. Acedia est pigritia, & de re spirituali tristitia, seu tædium. His oppositæ sunt septem virtutes, sic superbiæ contrariatur humilitas, auaritiæ liberalitas, luxuriæ castitas, inuidiæ charitas, gulæ abstinentia, iræ patientia, & acediæ deuotio,ac sedula pietas. Porrò, inter enumerata iam septem vitia capitalia,vnum est,quod cæterorum omnium fons dicitur,& origo, nempe superbia, de qua legitur: Initium omnis peccati superbia. Quod non eo sensu dictum est, quasi omnia peccata ex superbia, tanquam ex equo Troiano prodeant, siquidem non rarò ex radice opposita enascuntur superbiæ, sed ideò verissime dictum est:Initium omnis peccati superbia,quoniam diabolum, ex quo extitit origo peccati, ipsum deiecit, & subsequente inuidentia hominem stantem, vnde ipse cecidit, inde subuertit. Nam iactantiæ ianuam vtique, qua intraret ser-

Peccatũ vnde dictum capitale?

Septem peccata mortalia.

Libr. 31. moral. cap. 17.

Secunda par. Summ. titul. 1. & sequentibus.

Virtutes peccatis oppositæ quæ?

Ecclesi. 1.

Superbia quomodo initium peccati?

pens illę

pens ille quæſiuit, quando fallaci promiſſione, ac vana ſpe lactauit, inquiens: Eritis ſicut dij. Ideò dictum eſt: Initium omnis peccati ſuperbia, & initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo. Ergo præmiſſis ſcripturis, nihil aliud ſignificatur, quàm primum peccatum, cùm angeli, tum hominis fuiſſe ſuperbiam. At huic aduerſari videtur ſententia Paulina: Radix omnium malorum cupiditas. Cui reſpondet beatus Auguſtinus ad illud: Inclina cor meum in teſtimonia tua, inſinuans nomine cupiditatis, quæ eſt quoddam plus habendi, quàm oportet deſiderium, rectè comprehendi ſuperbiam. Nam primi homines, inquit, per ſuperbiam deiecti non fuiſſent, niſi pluſquam acceperāt habere, & pluſquam facti fuerant, voluiſſent. Nec obſtat huic intelligentiæ, quod apud Apoſtolum nomen non pleonexia, quæ vox generalem ſignificat auaritiā, ſed φιλαργυρία habeatur, qua propriè ſignificatur amor pecuniæ, quoniam vt ait ibidem Auguſt. ſpecies apud Apoſtolum pro genere Synechdochicῶs poſita eſt. Aliter reſpondet Reuerend. Petrus Lōbardus, Magiſter Sententiarum iuſtiſſimo titulo appellatus, dicens cupiditatem, ſeu pecuniæ amorem rectè dici, omnis mali radicem, non quod reliquis omnibus peccatis prior fuerit, ſed quod nullum ſit peccati genus, quod non quandoque ex cupiditate originem ſumat.

Radix omnium malorū cupiditas. 1. Tim. 6. *Tract.* 8. *in Ioannem, &* *tract.* 11. *in Pſalm.* 118. *πλεονεξία.*

Omnia peccata an paria?

CAPVT VI.

SToicorum eſt paradoxum, teſte Auguſt. lib. contra mendacium ad Conſentiū: peccata eſſe paria, & æquè grauia, quod poſtea tutatus eſt Iouinianus monachus, ſecūdum eundem ad Quoduultdeū, & modò Lutherani, Philippiani, & Caluiniſtæ, noſtræ luctuoſæ tēpeſtatis hæretici peſtilentiſſimi, qui arbitrātur omne peccatū eſſe mortale, nullū veniale. Verū diſcrimē eſſe inter peccata, luculēter admodū edocet ſcriptura Euāgelica: Omnis, inquit, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: Qui autē dixerit fratri ſuo racha (quod eſt vocabulū Syriacū, nō Hebræū, vt vel ex eo liquet, quod nomina Hebræa ferè habeāt I, vbi Syri habent A. vnde omnes ferè peregrinæ dictiones, quas reperimus paſſim in nouo teſtamēto poſitas, ſunt Syriacæ: ſic Rabboni, Syriacæ dixit, ſancta peccatrix Maria Magdalena, non Ribboni, ſic Maria, non Miria, ſic Racha, non Richa: quod nequit Græcè, neq; Latinè trāsferri, ſignificat autē leuē indignationis affectum, ſecundū Auguſt. & Gregoriū Magnū, nec nō Hieronymū, in locū Matthæi) reus erit cōſilij. Qui verò dixerit fatue, reus erit gehēnæ ignis. Hāc inter peccata differentiā annotārunt Auguſtinus,

Cap. 15. *Hereſ.* 82. *in articulis ſuis.* *Libr.* 3. *inſtit. ca.* 10. *ſect.* 3. Matth. 5. *Racha in ſcriptura quid?* *Tract.* 51. *in Ioan.* *Libr.* 21. *moral. cap.* 5.

Tract. 89. in Ioan. & Ioannes Chrysost. Grauiùs est, inquiunt, perire, quã iudicari, & leuius est iudicari, quàm perire. Peius est etiã esse reũ gehẽnæ *Hom. 76. super Matth.* ignis, quàm reum esse iudicio, aut consilio, ergo peius est dicere fatue, quàm dicere Racha. Præterea loquens Christus discipulis Matth. 10. suis de illis, qui noluissent eos hospitio suscipere, ait: Amen dico vobis: tolerabiliùs erit terræ Sodomorũ & Gomorreorũ, quàm illi ciuitati, in die iudicij. Si tolerabiliùs ergo minoris momẽti est peccatũ eorum reputãdum, quoniã iuxta mensuram peccati, Matth. 12. erit plagarum modus. Rursum in Spiritum S. grauius est, quàm peccatũ in Patrẽ & Filium, quod ex eo conuincitur, quod illud, neq; in hoc sæculo, nec in futuro remittatur, hoc autẽ remissionis gratiã impetrat. Sic alibi mandatũ legitur magnum & ma- Cap. 22. Ioan. 19. ximum, deinde idem veritatis magister Pilato loquens, ait: Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Ecce apertissimũ testimonium, quo cõcluditur peccatorum inæqualitas. Et B. Ioãnes Chrysost. prælibato loco idem comprobat ex sententia Paulina: Rom. 2. Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. Quicunque in legem peccauerunt, per legem iudicabuntur. Et Dauidi dicitur: Nónne in Regẽ te vnxi, & de manu Saulis erui te, & quę fuerunt Domini tui, tibi concessi, & vniuersam Iudæ, ac Israhelis domũ? Etsi hęc pauca tibi essent, alia quoq; tibi adiecissem, cur flagitiũ hoc cõmisisti cum Betsabea coram me? Non sunt quippe eadem in omnibus peccatis, sed multa, variaq; supplicia. Nam & ætate, & educatione, & dignitate, & ingenio, vsuq; rerum, atq; prudẽtia, alijsq; pluribus variantur, verum vt clarius id fiat, in forni- *Peccata diuersimodè punita.* cationis delicto examinetur. Perpende igitur quantam diuersitatem punitionis, non à me, sed à Diuinis scripturis comperio, fornicatus quispiam ante legem fuit, alio quodam modo illum puniri Paulus ostendit, dicens: Qui sine lege peccârunt, &c. Idem alius post legem deliquit, grauiora sustinebat. Quicunque enim in lege peccauerunt, inquit, per legem iudicabuntur. Et subdit, lapsus similiter Antistes, qui sapientia est non parua, pœna propter dignitatem afficietur, propterea aliæ quidem fornicatrices necabantur, sacerdotum verò filiæ, igne cremabantur. Qua ex re quam magnus pœnarum cumulus pontificem expectat peccantem, legis conditor voluit significare. Nam si filiam eius atrocius puniri iussit, quid erit de ipso? Et reliqua, quæ eo loci subijciuntur: Quibus dilucidum fieri potest peccata non esse paria, aut æquali grauitati obnoxia, sed eandem circunstantiarum diuersarum comparatione speciem, diuersum discimus ex prælibatis asciscere reatum. Quem à nobis auferat, qui reformabit corpus humilitatis nostræ. Amen.

DISTIN-

DISTINCTIO

QVADRAGEGIMA TERTIA.

De blasphemia in genere?

CAPVT I.

QVemadmodum derogatio honoris, famæque hominum in hac lacrymabili vita degẽtium denigratio, appellatur detractio: ita derogatio excellentissimæ bonitatis diuinæ vel sanctorum, dicitur blasphemia, secũdum diuum Thomam. Porrò cum bonitas diuina innumeris parasangis antecellat bonitatem sanctorum, idcirco blasphemia simpliciter, & absolutè siue anthonomasicè dicitur derogatio excellentiæ ac maiestatis didiuinæ, & per quãdam Analogiam dicitur etiã esse sanctorum, secundum diuum Augustinum: Blasphemia est, inquit, aliqua mala de bonis dicere. Iam vulgo blasphemia non accipitur, nisi mala de Deo effutiantur verba, de hominibus namq; dubitari potest, Deus verò sine controuersia bonus est. Committi autem reperitur quintupliciter. Primò negatione eorum quę Deo propriè conueniũt, videlicet omnipotentię, quã blasphemi hæretici eunt inficias, pręsentiã corporis Christi in æternum benedicti in tremendis altaribus, quod sensuũ viuacitate nõ comprehendant, nec ingenij acumine penetrent, existere recusando, teste beato Ioanne Chrysostomo, blasphemare est rationibus diuina velle discutere, & diuus Hiero. super quintum caput Epistolæ ad Ephesios: Qui semel, inquit, fuerit superatus furore, necesse est vt prosiliat in clamorem, & turbidè fremens huc atque illud in modum folij ventiletur, & dicat: O rerum iniquitas. O iniusta Dei iudicia, & cætera quæ solent loqui, qui per indignationis furorem, mentis iudicium perdiderunt. Porrò blasphemia non solum aperta est, & de ira nascitur, sed & absque ira sedata mente profertur, si autem de mundi istius quispiam gubernatione causetur, & dicat: Illud sic esse non debuit, aut certè in Ecclesia constitutus, & credens in Deum, labatur in dogmatibus, quæ ignorare illicitum est, aliter de Patre, & Filio & Spiritu sancto sentiens, quam ipsius rei veritas habet, non ita credens in resurrectione mortuorum, vt scripturæ docent, vel certè alienæ inuidens sapientiæ, eum malè sentire commemoret, qui Catholicæ fidei est. Et rursum hæreticum adulatione qua sibi obsequitur,

Secunda 2. quæst. 13.

Blasphemia quid?

Li. 2. de moribus Manich. cap. 11. & lib. contra menda. ad Consentium, cap. 19.

Blasphemia quot modis fiat?

Homil. 5. in Epist. priorem ad Timoth.

Catholicum esse contestans, dicit dulce amarum, & amarum dulce. Ex qua sententia conficimus omnes in Deum esse blasphemos, qui vel ad latum pilum à regia Catholicæ veritatis semita exorbitant. Alij vt Caim, & eius similes misericordiæ diuinę detrahunt, quia peccatorum commissorum veniam desperant, vti elucidat diuus Augustinus ex scriptura Geneseos. Alij vt Epicurus, ac eius sequaces omni scientiæ ac prouidentiæ Dei inuident, de quibus legitur, Deus nostra non considerat, & circa cardines cæli perambulat. Atqui intelligendum est Elipham (cuius hæc sunt verba) iniustè accusasse sanctum Iob oppressionis pauperum, & reliquorum ibidem enumeratorũ, quibus subnectit: Propterea circundatus es laqueis, & conturbat te fortitudo subita, & arbitraris, inquit, nubes latibulum Dei, cumque circa cardines ambulare cæli, & proinde nostra non cõsiderare. Verũ diuus Iob capite sequẽti demõstrat se aliter credere, aliterque profitetur, dicens: Deus scit viam meã, & probabit me quasi aurum, quod per ignem transit. Quo contestatissimum reddit, Deum non minus omnium habere scientiam, & cognitionem, quam potentiã. Alij attribuũt ei quod in Deum cadere nequit, nempe malum culpæ, qualis est Bucerus nostri temporis hæreticus, qui in commentarijs super primum caput ad Romanos, docet ipsum, Deum negare, qui nõ confitetur ipsum cogere hominem ad peccatum. Huc etiam reducendi sunt, qui peccata sua in Deum retorquent, dicẽtes, Deus ordinauit vt rapinis & spolijs me saturarem, &c. Atqui horum errorem elidit Origenes lib. primo capite primo super Epistolã ad Romanos, vbi habet paradigma huic argumento aptissimum. Sic Hugo de sancto Victore, qui tria requirit vt Deus causa alicuius dici possit. Hæc quia in Tractatu de Reprobatione enucleatius sunt demõstrata, superuacaneum ducimus iisdem diutius immorari. Quartò committitur, cum aliquid creaturæ adscribitur, soli Deo proprium, sicut secũdum Marcionistas, Deum in operibus suis hallucinatum esse, Angelos mundum creasse, diabolum mundum gubernare, teste beato Hieronymo. Quintò, committitur blasphemia in Sanctos, quibus verbo vel facto iniuriæ notã inurimus, & quemadmodum honor qui fit imagini, exhibetur imaginato, & prototypo: sic iniuria, quæ fit iconibus sanctorũ, aut eorum reliquijs, sanctis ipsis inferri manifestum est. Quo iam, proh dolor, prorupit iniquitatis nostræ temeritas, quo effrenis enormitatis audacia, quibus iam blasphemare Deum eiusque sanctos conculcare non censetur piaculum, sed tam celebriter eheu frequentatur, atque foret sacrificium, adeò vt Christiani plerique

Gen. 4. cap.

Lib. 50. homil. 27

Iob 22.

Lib. 2. de sacra. parte 2. cap. 6.

In 18. cap. Esaiæ?

pleriq; iam deteriores sint rabidis canibus, qui licet alienos in- *De plangit*
uadant, dominis tamen & heris parcunt? Nec iniqui solum sa- *præsentia*
cra miscuêre prophanis, templa Deo consecrata diruendo, ac in *tempora &*
stabuli abiectionē circumornata varietatibus loca reducendo, *mores.*
tremenda mysteria conculcando, sed ne vnum quidem altare in
quo placabile holocaustoma offerri posset, in omnibus Hol-
landiæ & Zelandiæ locis relinquendo, fortè & ipsum Christum
exploderent, si coram cernerent, demtis Amstelredamo & Mid-
delburgo, quæ prospero Marte dimicando, imò Romanæ fidei
firmitate roborata impijssimorum insaniam hac vice qua anno
Domini 1572. & 1573. grassati sunt, non admiserunt. Et ne bre-
uioris temporis calamitas nos diuexaret, quodam antesignano
votis iniquorum respondēte, ac in omnibus malis cōtra Deum
& homines dissimulante, magni Regis Hispaniarum hæredita-
tem paternam instructissima classe lacessere, deglubere ac inua-
dere haud frustra, proh dolor, tentarunt: nec infœliciter exigen-
tibus peccatis meis, & mei similium, alea præsumtionis illis ce-
cidit, nam iam sesquianno transacto, illorum strennuus ad-
uersarius vix vnam ciuitatem eorū tyrannidi eripere hactenus
valuit: reliquis adhuc, quādo hæc chartis mando, eiusdem anni
17. Augusti, in sua nequissima impietate obdurescentibus. Pro-
fectò peiores Iudæis non ambiguntur, qui impatientes iniu- Esaiæ 37.
riæ Deo illatæ, quasi aures obturando vestimenta scindebant, Matt. 26.
Barbara maiestas in magnum damnationis istorum cumulum Act. 14.
nedum blasphemare voluit, sed & decretum sanciuit, vt blas- Daniel. 3.
phematores Dei Israhelis, essent rei crimine læsæ maiestatis.
Faxit Deus ne in nos quadret subsannatio Prophetica: Iugiter Esaiæ 52.
tota die nomen meum blasphematur, quia non vano neque Rom. 1.
falso oraculo sanctus Moyses nobis mortem comminatus est,
dicens: Qui blasphemauerit nomen Domini morte moriatur. Leuit. 24.
Et apud Euangelistam blasphemiæ coinquinant hominem,
tollantur ergo à vobis. Et quanquam homicida maius nocu- Ephes. 4.
mentum proximo inferat, quàm blasphemus, Deo tamen quia Coloss. 3.
in grauitate culpæ magis attenditur intentio voluntatis per- *Blasphemia*
uersæ, quàm effectus operis, blasphemus, grauiori se subijcit *an homicidiū*
crimini. Periurium quoque sua enormitate vincit: qui enim *grauius pec-*
peierat, nihil mali vt blasphemus de Deo profert, sed Deum *catum?*
falsitatis testem inuocat, non quasi existimet Deum falsum te-
stem fore, sed confidens Deum super hoc non aliquo euidenti
signo oppositum testificaturum, quanquam conscientia (mille 1. ad Ti.

forte pœnam ſpiritualem,quaſi inſenſibilem negligat, aut contemnat, attēdendum eſt diui Gregorij exemplum,ſi modo eius ſit, qui comemorat quendam puerum quinquennalem, nomen Domini blaſphemaſſe. cum autē morti proximus, anhelo ſpiritu palpitaret, diabolico miniſterio tandem ad inferos crudeliſſime eſt protractus. Cui cōſentaneus eſt D. Bernardus,in vita ſancti Malachiæ, Nam quidam ſancto Malachiæ præſenti ſemper mala improperabat,abſenti autem detrahebat,atq; aduerſarijs eius fauebat,procaciterque eorum partes tuebatur,ſed Paulo poſt digna linguæ procacis & blaſphemiæ mercede donatus eſt. Intumuit namq;,& computruit lingua maledica vermibus ſcatentibus, & toto ore blaſphemo diffluentibus, quos per ſeptem ferme dies inceſſanter euomens, tandem cum illis miſeram expuit animam. Subnectit & aliud,quomodo quædam infœlix mulier,ſancto Malachię declamatorio ad populum agēti ſermone. blaſphemias euomebat,proclamans ipſum hypocritam,& alienæ hæreditatis inuaſorem. Atqui Dominus pro diſſimulāte reſpondit, nam furore percita,ac ad inſaniam redacta, demum horrēda morte blaſphemiæ luit pœnam His haud parum conſonus eſt Canon, quo ſic legitur: Si quis per capillum Dei vel caput iurauerit,vel alio modo blaſphemia cōtra Deum vſus fuerit,ſi in ordine eccleſiaſtico eſt,deponatur,ſi laicus,anathematizetur. Et in Authenticis, titulo, Vt non luxurientur contra naturam: nemo iuret per membra Dei,aut capillos,aut alio modo Deum blaſphemet. His enim delictis,& fames,& terræmotus,& peſtilentiæ fiunt. Præcipimus igitur tales comprehendi atque vltimis ſubdi ſupplicijs.

Li. 4. dialog. cap. 18. *Memorabile blaſphemātis exemplum.* *Aliud.* *Aliud ex Bernardo.* *2. 2. quæſt. 1. cap. Si quis per capillum.* *Colla. 6. §. omnibus hominibus.*

De blaſphemia in Spiritum ſanctum.

CAPVT II.

QVum vna ſit in diuina perſonarum triade eſſentia, eademq; etiam numero natura, (vti dilucidum feci in primo Sententiarum)ac proinde,nihil in vnam committatur perſonam,quod non in ceteras etiam redundet. Tamen Catholici & claſſici doctores talem peccatorum cōſtituunt differentiam, vt alia in Patrem, alia in Filium,denique alia in Spiritum ſanctum committi adſeuerent. In Patrem quidem quæ fiunt per infirmitatem,quòd patri attribuatur potentia. In Filium quæ per ignorantiam,contingunt,quia filio in diuinis appropriatur ſapientia. In Spiritum ſanctum verò quę ex malitia committuntur,quia per quandam applicationem perſonæ Spiritus ſancti adaptatur bonitas, & benignitas. Quid ſit autem

Peccatum in patrem non eſt irremiſſibile.

peccare

peccare per ignorantiam, infirmitatem, vel maliciam, manifestum fecimus distinctione 22. libri huius. Impræsentiarum disputandum venit de peccato in Spiritum sanctum, cuius occasionem præbet Matthæus Euangelista, vbi ait Saluator: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus blasphemiæ non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Verum horum verborum apud Catholicos non eadem reperitur intelligētia. Vnde & de peccato quod hic in Spiritum sanctum committi dicitur, alij aliud senserunt. Beatus Augustinus docet ibi intelligi duritiam cordis vsque ad finem vitæ, qua quis recusat in vnitate corporis Christi, quod viuificat Spiritus sanctus, remissionem peccatorum accipere. Cum enim inquit, dixisset discipulis suis, accipite Spiritū sanctum, cōtinuò subiecit: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur eis, si cui retinueritis, retenta sunt. Huic ergo dono quicunque restiterit, vel quoquo modo fuerit ab eo alienus, vsq; ad finem vitæ huius temporalis non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Huic conformem alibi habet sentētiam. Alij quorum sententia magis accedere videtur ad textum Euangelij, dicunt de ijs ibi sermonem esse, qui Christi miracula calumniabantur, attribuentes ea dæmonibus, cum facta essent virtute Spiritus sancti. Sic enim in suis commentarijs ad præfata Matthæi verba, scribit sanctus Hieronymus: Qui verbum dixerit contra filium hominis mea carne scandalizatus, & me hominem tātum arbitratus, quod filius sim fabri, & quod fratres habeam, Iacobum, Iosephum, & Iudam, vorator ac vini potator sim. Talis opinio est absque blasphemia, quamuis culpa non careat erroris, habet tamen veniam propter corporis vilitatem. Qui autem manifestè, intelligens opera Dei, cum Dei virtutem negare non possit, eadem stimulatus inuidia calumniatur & Christum Deique verbum, & opera Spiritus sancti adseuerat esse Beelzebub, isti non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro. Haud dissimilia inuenire est apud beatum Ioannem Chrysostomum in eundem locum: Quid est, inquit, quod dicitur? Deinde sibi ipsi respondens addit, ex persona Saluatoris. Multa iam aduersum me calūniati estis, quoniam seductor sum, quoniam Deo aduersarius, aliaq; plura, quæ omnia vobis si pœnitentiā egeritis, penitus dimitto, nulla sumam supplicia. Et postea, Tale igitur est quod dicitur: sedulò me offenditis, propter hanc mihi assumtam carnem. An etiā de Spiritu sancto potestis dicere, quoniā ipsum quoq; ignoratis

Cap. 12.

Epistola 50.

Enchirid. ca. 83. *lib.* 1. *de correp. &* *gratia, ca.* 12. *& Ser.* 11. *de verbis Domini.*

ignoratis? minimè. Ideo cum veniale vobis hoc non sit peccatum, tam in præsenti vita, quàm in futura, ingentes dabitis pœnas. His similia reperiri integrum est, apud Ambrosium. Secundum hos ergo, peccatum in Spiritum sanctum hoc loco dicitur, agnitæ virtutis Dei quæ se in miraculis per Christum patratis prodebat hostilis oppugnatio, & quod diuinitatis constat esse, dæmonibus acceptum ferre. Atqui hic nonnulla oritur difficultatis perplexitas, cur mirabilia hæc per Christum patrata attribuantur Spiritui sancto: Cum enim diuina virtute facta sunt, nec aliquid secundum diuinam naturam à Spiritu sancto acceperit filius, sed magis econtra sicuti Christus ipse testatur, de Spiritu sancto loquens: Non enim, inquit, loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur. Et rursum, Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Nec non super Primo Sententiarum in hac nostra florentissima Academia Louaniensi, publico lectoratus officio manifestum feci, Spiritum sanctum quicquid habet, accipere à Patre & Filio, à quibus ceu vno principio procedit. His accedit quod Christus opera sua in patrem referre adsolet, non in Spiritum sanctum: Qui misit me, inquit, verax est, & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo, & non cognouerunt, quia patrem suum dicebat Deum. Et rursum, Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor, pater autē in me manens ipse facit opera. Cum ergo à Spiritu sancto nihil accipiat filius, secundum diuinitatem, non rectè videntur miracula quæ diuinitatis virtute gessit Christus, in Spiritus sancti personam referri. Hacque fere ratione permoti sunt, qui dixerunt nomen Spiritus sancti apud Matthæum accipi essentialiter, vt sit commune toti trinitati. & sensus sit: Qui diuinitatem blasphemauerit ea attribuens Beelsebub, quæ diuina virtute geruntur, is sui delicti remissionem non consequetur, nec in hac vita, nec in futura. Sic istum locum intelligit Durandus in expositione præsentis distinctionis, & ante eum Theophylactus in Commentarijs super Matthæum, vbi exponens illa verba, Quod si in spiritu Dei eijcio dęmonia, hoc, inquit dicit, quod si in diuina virtute eijcio dæmonia. Et postea, Qui blasphemat in Spiritum sanctum, hoc est, in spiritualia Christi opera, & dicit ea esse diabolica. Sic ille. Et secundum hanc expositionem nihil facit locus ille ad disputationem de peccato in Spiritum sanctum. Rectè tamen à patribus peculiaria quædam in Spiritum sanctum peccata enumerantur, vt sunt ea in primis quæ contra personam Spiritus sancti fiunt, quorum meminit Augustinus præmissa Epistola, docens illos loqui

Lib. de 2. pœnitētia, ca. 4.

Ioan. 16.

Peccata in Spiritum sanctum, quare magis irremissibilia, quàm peccata in patrem aut filium?

Ioan. 8.

Ioan. 14.

alieni sunt à fide Christiana. Et iterum, Qui fide semel prolapsi in errorem, Spiritum sanctum aut omnino esse negant, vt Photiniani, Aut creaturam esse dicunt patre filioque minorem. vt Arriani, Eunomiani, & Macedoniani. Eodem modo de isto peccato loquitur sanctus Ambrosius prius Episcopus quam baptizatus, vbi ait, Simonem Magum in Spiritum sanctum fuisse blasphemum, quod gratiam Christi per impositionem manus, atque infusionem Spiritus sancti, pecunia comparari existimaret. *Lib. 2. de pœniten. cap. 4.*

De præsumtione. CAPVT III.

PEccamina etiam in Spiritum sanctum appellantur ea, quæ fiunt contra aliquid Spiritui sancto per appropriationem attributum, vtpote eius bonitatem vel benignitatem, secundum beatũ Thomam Aquinatẽ. Cuiusmodi, à Doctoribus sex numero adsignãtur, videlicet Præsumtio, quę bipartito modo vsurpatur, vna est confidentiæ, posterior superbiæ. Priori diuino cõfisus adiutorio præsumsi hanc ordiri telam, cui vtinam sat bene vti sat cito, simulatq; ad vmbilicum perueni, colophonem addam. Præsumtio superbiæ de qua hic agitur, est teste beato Augustino, quando quis bonitate Dei fretus audacter, & intrepidè delinquit, vertens in occasionem peccati, vnde resipiscentiam elicere debuerat, sicut ait Apostolus, Romanis scribens: An diuitias bonitatis eius, patientiæ & longanimitatis eius contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit? secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & iusti iudicij Dei. Cuiusmodi sunt qui solam fidem sufficere aiunt, ad salutem, quiduis sibi, alijsque permittentes, & de salute interim securi, ac si fœdus pepigissent cum morte & inferno, nihilq; sibi vel alijs ab his immineret periculi, dum tamẽ seruarẽt fidem integram, nec meritis Christi diffiderent, ac gratiæ Dei per fidem apprehensæ, hoc ipso infideles effecti, vtpote contraria tradentes doctrinæ scripturarum, & fidei Catholicæ. Quorum etiam temeritatem arguit Ecclesiasticus, inquiẽs: Ne adijcias peccatũ super peccatũ, & ne dicas: miseratio Dei magna, multitudinis peccatorum meorũ miserebitur: misericordia enim & ira cito ab illo proximãt, & in peccatores ira illius respicit. Cuius indignationem à nobis citius auertat, qui est benedictus in sæcula. Amen.

2. 2. quæst. 14. art. 2.

Præsumtio duplex.

Super Psal. 31.

Cap. 2.

Cap. 5.

De desperatione.

CAPVT IIII.

Præsum-

Desperatio quid? Genes. 4. Matth. 27. Act. 1. *Lib. 33. moral. capite 10. & 13. moral. cap. 8.* Tract. 28. *super Ioan.* Homil. 68. *super Ioa. ser. 38. super Cant.* Psal. 144. *Ser. 11. de verbis Domini.* Act. 8. *Lib. 2. de pœnitētia, ca. 4.* Homil. 1. 2. & 8. *in Ioannem* Ser. 11. *de verbis Domini.* Enchirid. ca. 83. & *de corrept. & gratia, cap. 12.* Homil. 22. *ad popul. Antioch.*

PRæsumtioni contraria est desperatio, quæ secunda species est peccati in Spiritum sanctum. Estque iniquitas quędam, qua spes omnis abijcitur impetrandæ apud Deum remissionis peccatorum, aut æternæ salutis consequendæ, quomodo peccauit Caim, dum ait: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Et Iudas, quando laqueo se suspendit. At mentis obtutus ad Gregorij Magni verba sunt reducendi: Dedit, inquit, homini præcepta ne peccet, & tamē peccāti dedit supernus medicus remedia, ne desperet. Quis namque despondere poterit animum, si ad spem veniæ reductus est, à quo etiā Christus probrosa morte affectus est? secundum Augustinum. Quinimò si Dominus voce cælitus dilapsa, nos insinuari permitteret damnationi æternæ mancipandos, secundum beatum Ioannē Chrysostomum & Bernardum, nequaquam tamen esset de salute desperandum, & visceribus misericordiæ Dei, cuius miserationes eius super omnia opera eius diffidendum, quia paganus est hodie, vnde cognoscis ipsum crastina die non futurum Christianum? Iudæus est hodie, quid si cras in verba Christi iurare incipiat? hæreticus est hodie, inquit beatus Augustinus, quid si crastino die palinodiam canendo, vniuersam hæreticā abiuret prauitatem. Ex his manifestū euadere potest, multa esse peccata in Spiritū sanctū, sed tamen non omnia esse irremissibilia. Simon Magus namque blasphemiam commisit in Spiritum sanctum, non tamen exclusus est per Apostolos à spe veniæ, sed inuitatus est ad remedium pœnitentiæ, teste Ambrosio. Imò populus Iudęorum, inquit, qui succlamabat, dæmoniū habet, in Beelzebub eijcit dæmonia, & quòd plus est, qui subegerunt in crucem, Petro ad pœnitentiam alliciente, vocātur ad baptismū, quatenus tantorum scelerū merita deponētes, postea sanguinem humiliter bibant, quem prius secundum Augustinum crudelissimè effuderāt. Pius siquidem pastor clamat, & dicit secundū Ioannem Chrysostomum: Fili peccasti, ne adijcias vlterius, nō enim veni vt iudicem mundū, sed vt saluem mundum, tātum pœnitētiam agamus, non enim vult mortem peccatoris, quantū vt conuertatur ac viuat. Non sic insanus amator dilectam suam amat, vt Deus animam pœnitentem, neminem auersatur, sed ambabus vlnis, vt in filio prodigo cuique contestatissimū est, redeuntem suscipit. Si enim medicus cōtumelia affectus, ab eo qui curatur, adiumenta non negligit, non ægrotantē vlciscitur, quanto magis animarum medicus nostrarum? Solum, ne de nobisipsis desperemus. Athleta namq; sæpe lapsus, postea victor effectus est, & miles vulneratus & curatus, circa finem non vulneratis probatior

cotigne,& liminibus omnibus est in cōfesso. Rursum mercatorū multi ad inopiā redacti, postmodū effecti sunt opulenti:& naufragium passi, rursum post naufragiū negotiati reuixerūt. Nunquid enim nobis Deus ignē parauit? minimè, sed diabolo & angelis eius. Tantum, ne nobisipsis ignem accendamus. Sed dicis, perfectam non possum facere pœnitentiam, benignus medicus auxiliorum tibi varietatem, iuxta vulnerum differentiā demonstrauit. Si nequeas rigidā pœnitentiā agere, largas erogare eleemosynas, compungere, si nō potest ieiunare, vt Niniuitæ, saltem vt Magdalena sanctissima peccatrix, peccata lacrymis ablue, si imbribus lacrymarum miseriç tuæ infœlicitatem detergere nequeas, saltem ad thronum gratiæ, & misericordiæ eius confuge, cum Dauide inquiens: Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiā tuā. Si non potes Sol fieri, fias duntaxat vel Luna, tuæ conditionis insufficientia humiliatus, ac contentus. Amen.

Nūquam desperandum.

Si nequeas esse Sol, efficiaris vel Luna.

De agnitæ veritatis impugnatione.

CAPVT V.

TErtia peccati species in Spiritum S. nūcupatur agnitæ veritatis impugnatio, nō quidem omnis. Si quis enim metu cōfusionis, aut incōmodi alicuius tēporalis, aliquid tueatur, aut affirmet, quod veritati nouerit aduersari, non continuò huius criminis reus habetur. Sed qui data opera fidem, aut Catholicam Romanæ Ecclesiç religionem impugnat, cupiens eam abrogatam, aut aliquod ei illatum detrimentum, quales olim fuêre Pharisæi, qui vt suæ malitiç aliquid excusationis prætexerent, hostili animo blasphemabant, & insectabantur Christum, eiusque doctrinam sugillabant, conantes eam cum assertoribus suis Apostolis, contra suam ipsorum conscientiam supprimere. Sicque accipiendus videtur præmissus Matthæi locus, quoniam studio, & desiderio occultādæ, & expugnādæ veritatis, per Christum prædicatæ, miracula eius Beelzebub attribuebant. Quales etiamnum plerique existunt hæreticorum, qui cùm norint aliter se rem habere, quàm doceant, tamen propter hominum applausum, aut vanæ gloriæ cupiditatem, vel commodi cuiuscunque temporalis emolumētum, contra veritatem hostili impietate perciti, decertāt, & sanctorum prodigiosis miraculorum signis derogare non verentur. Homines, vt Apostolus ait, corrupti mente, reprobi circa fidem, attendentes spiritibus erroris, subuersi, & suo proprio iudicio condemnati. Quorum rabiem, vtinam Domine Iesu, hodie cōterere digneris velociter. Amen.

2. Tim. 5.
Tit. 3.

De fraternæ gratiæ inuidentia.

CAPVT VI.

QVarta species est fraternæ gratiæ inuidẽtia, qua quis molestè fert, ac dolet, quod fratrem videat donis aliquibus conspicuum, vel ad aliquem gradum promotum: displicet etenim sibi, quod Dei gratia radices iaciat, vel incremẽta sumat, cuius nimirum oculus nequã est, quia Deus bonus est. Quę peccati species non tã hominis esse videtur, quàm diaboli, cuius inuidia mors introiuit in orbẽ terrarũ. Ipsius namq; instinctu, Caim in fratrem iustum Abelẽ insurrexit, Esau in Iacob, fratres in Ioseph, imò diabolum in genus humanum armauit. At fortasse obgannis, te neminem interficere. verumenimuero, multo grauiora facere probaris, cùm fratris ignominiam concupiscis, cum vbique locorum laqueos tendis, cùm persequeris, ne virtutibus inuigilet, cum ægro fers animo orbem terrarum debitum Deo exhibere famulatũ. Nónne igitur per illum cum Deo bellum geris? Viden' quo pergat inuidentia? Atqui immurmurans, dicis: Non quod Deus, sed quod frater clarificatur, malè me habet. Cui occurrit insignis ille doctor paranæticus, sanctus Ioannes Chrysostomus, pronuncians hanc gloriam in Deum redundare, & à cõsequenti eius impugnationem. Nec tergiuersari vales, quasi optes Deum per te glorificari, quia si gaudeas te gloriosum exhibente fratre, & per te Deus clarificabitur, omnesque dicent: Benedictus Deus, qui tales habet seruos, ab omni liuore immunes, mutuis gaudentes bonis. Et quid dico fratrem? Nam licet nobis esset & inimicus, si tamen Deus per hunc glorificaretur, amicum fieri propter hoc oporteret. Si enim quis corpus tuũ aduersa laborãs valetudine, licet sit inimicus curãrit, ipsum iam amicorum primum esse censendum iudicabis. Christi corpus, hoc est, Ecclesiam ornantem vides, & amicum ducis inimicum? Non reminisceris, quod Dominus tuam quęsiuit gloriam, non autem suam? tu verò non Dominicam, sed tuam exquiris. Alioquin tunc & tuam assequutus fuisses, nunc autem tuam ante Domini gloriam, quærens, nec hac vnquam potiere, etiamsi signorum claritate chorusc͂aris, siue virginitatem, siue ieiunium, siue humi stratum excolueris, siue ipsos spiritus angelicos virtute antecellueris, omnium eris hunc habens defectum scelestissimus, & adultero latrone, ac fure nequior. Non enim corporalia ædificia demoliris, sed spiritualia diruere conaris. Fac nos Domine semper æquos negotiorum proximorum interpretes. Amen.

Genes. 4. 27. & 37.

Homil. 53. ad populum Antiochenum.

CAPVT VII.

Qvinta species est obstinatio, quę est propositũ in peccato perseuerãdi. Exemplo est Pharao, qui post multa Dei tolerata flagella, animo firmauit in malitia perseuerare, in qua & periit obstinatus. Quales etiam sunt Iudæi, de quibus legimus apud Hieremiam Prophetam: State, inquit, super vias, & videte, ac interrogate de viis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris. & dixerunt: Nõ ambulabimus, & non audiemus. Et postea: Verterũt ad me terga, & nõ faciem, cùm docerẽ eos disciplinã. Huc reducẽdi sunt etiam hæretici, qui Catholicæ veritatis doctrinam, ne audire quidem volunt, ne aliquando conuertantur, & sanentur, qui dicunt Deo: Recede à nobis, sciẽtiam viarum tuarum nolumus. Cuius euidentiorem veritatẽ plurimi fratres è familia Franciscana, crudeliter hoc anno 1573. apud Belgas suspẽsi cõprobant.

Exod. 7. Cap. 6. Cap. 32. Iob 21.

De impænitentia.

CAPVT VIII.

Sexta species est finalis impœnitentia, hoc est, propositum nunquam pœnitendi, hoc differens à proximo præcedenti, quod illa dicitur respectu mali, seu peccati futuri, saltem per desiderium, secundum Gabriëlem Biel, super hac distinctione: Impœnitẽtia verò præteritum peccatum respicit. Haud tamen hoc loci est dissimulãdum, peccatum tripharium appellari irremissibile, secundum B. Thomã. Primò, respectu Dei remittentis, sic nullum est irremissibile, quia Deus absoluta potestate, nedum intimoratis, peccatisq; mãcipatis in hac miseriarum valle, sed & damnatis, angelisque malis potest impertiri remissionis beneficium. Secundò, consideratur irremissibile ratione status: sic post mortem homini peccata mortalia sunt irremissibilia. Quod enim angelis casus, secundum ordinariã iustitiam, teste Ioanne Damasceno, hoc hominibus mors. Tertiò, irremissibile vsurpatur, vt sit speciale peccatũ à reliquis distinctum. Si namq; prorsus negatiuè accipias, aut certè priuatiuè, sicut Augustinus accepisse videtur, iam tantum est peccati circunstantia, quæ in omni reperitur peccato, in quo ad mortem vsque perseueratur. Secundum quam acceptionem irremissibile dicitur, quia omnino non remittitur, nec in hoc sæculo, nec in futuro. Et hoc est peccatum, quod vocat beatus Ioannes, peccatum vsque ad mortem, pro quo etiam prohibet orare. Pro quo passu intelligendo

Impœnitentia & obstinatio differunt. *In scripto 2. dist. 43. quæst. 4.* *Peccatum irremissibile tripliciter.* *Lib. 2. orthod. fid. cap. 3.* *Peccatũ vsq; ad mortem.*

profuerit cõsuluisse breuitatis ergò, D. August. lib. 1. Sermonum Domini in monte, propè finem, Serm. 59. de tempore, & libr. 1. Retract. cap. 9. Ambrosium lib. 1. de pœnitentia, cap. 8. & 9. Gregorium Magnum, lib. 16. cap. 28. & Bernardũ in calce lib. de gradibus humilitatis. Secũdum alterã verò acceptionem, irremissibile appellatur, nõ quod omnino remitti nequeat, sed quod ægrè remissionis veniam obtineat. Idemq; de reliquis in Spiritum S.

Epistola 50. peccatis sentiendum est. Vnde August. in calce præfatæ Epistolę obijciẽtibus hęreticis, quod frustra tẽtaret illos reuocare, ad meliorem vitæ frugem, ac Catholicã Ecclesiæ Rom. fidẽ, si baptismum exufflãdo in Spiritum S. peccassent, quod peccatum iuxta Saluatoris sententiã (vt illi comminiscebantur) irremissibile sit. Respõdet non de omni peccato in Spiritum S. id esse intelligendum, sed eo dũtaxat, quo perseuerat quis vsq; ad vitæ præsentis mortem. Vnde & postea subnectit, nõ posse dici à quoquã istud commissum, nisi cùm de corpore exierit: Nõ enim qui peccauerit, inquit August. sed qui in peccatis perseuerauerit, odibilis, &

Serm. 58. de tempore. abominabilis Deo erit. Nã vt de indulgentia nemo diffidat, Dominus per Prophetã insinuat, dicens: Nolo mortem peccatoris,

Ezech. 33. sed vt conuertatur & viuat. Et illud: Impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die conuersus fuerit, ab impietate sua. Sed ista tam magna misericordia nunc nobis prodest, si non tardamus cõuerti ad Dominũ, nec crimina criminibus superaddamus. Denique in ipsis vulneribus, vel fracturis corporum, infirmitates cognoscere possumus animarũ. Si enim alicui pes frãgatur, aut

Aptissima similitudo. manus, cùm labore solet ad officium reuocari. Si verò secundò, & tertiò, & adhuc frequẽtius membra in eodem loco frangãtur, facilè intelligitis, quãtis doloribus vulnera sint curãda, & tamẽ post longas tribulationes vix ad pristinũ officiũ valebunt reuocari: Haud dissimilis ratio in animarum fracturis, & vulneribus esse credenda est. Si semel aliquis, vel secundò peccauerit, & sine dissimulatione ad pœnitentiæ medicamenta confugerit, pristinam incolumitatem, sine aliqua mora recipiet. Si verò peccata peccatis cœperint addi, & animarum vulnera magis tegẽdo, vel defendendo putrescere, quã confitendo & pœnitendo curari: ti-

Rom. 2. mendũ est, ne in illo impleatur, quod Apostolus dixit: An ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit? Tu autem secundum duritiã tuã, & cor impœnitẽs, thesaurizas tibi irã in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei. Sed fortè cogitat aliquis, tã grauia se admisisse peccata, vt iam Dei misericordiã promereri non possit. Absit hoc à sensibus omnium peccatorum. O homo, quicunq; illam peccatorum multitudinem attendis, cur & omni

omnipotentiam cælestis medici non attendis? Cùm enim Deus velit misereri, quia bonus est: & possit, quia omnipotens est, ipse contra se Diuinæ pietatis ianuam claudit, qui Deum sibi misereri, aut non velle, aut non posse credit, cumque aut bonum, aut omnipotentem esse diffidit. Nemo ergo, nec post centum peccata, nec post mille crimina, de misericordia Diuina desperet. Sic tamen non desperet, vt sine vlla mora Deum sibi repropitiari festinet, ne forte, si consuetudinem peccandi fecerit, etiam si velit, de diaboli laqueis liberari non possit. Sed fortè aliquis dicat: Ego in militia positus sum, vxorem habeo, ideoque pœnitentiam agere quomodo possum? Quasi nos, quando pœnitentiam suademus, teste Ioanne Chrysostomo, hoc dicamus, vt vnusquisque magis sibi capillos studeat auferre, & non peccata dimittere, & vestimenta potius euellat, quàm mores. Qui hac dissimulatione decipere se magis, quàm excusare conatur, attendat, quia Regem Dauida, nec honor regni, nec dignitas vestimēti ad pœnitentiam agendam, potuit impedire. Et qui Dauidi, post tam enormia peccata indulgere voluit, & Achab sacrilego Regi pepercit, ac Manassen post innumerabilia peccata pœnitētiam agentem, inter amicos suos reputauit: & meretrici, quę lacrymis pedes rigauerat, & capillis suis terserat, totum indulsit. Qui ergo istis, tantis, ac talibus peccatoribus veniam dedit, paratus est & nobis, si in veritate conuertimur, non solum peccata dimittere, sed etiam æternam beatitudinem concedere, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi. Amen.

Calua mundanorum excusatio.

Deus neminē despicit.

DISTINCTIO

QVADRAGESIMA QVARTA.

Potentia peccandi, vnde oriatur?

CAPVT I.

Delinquendi potestas sub nomenclatura potentiæ, impotentiam prætendit. Cùm enim peccare non sit potēter agere, sed impotenter succumbere. Dum alicui potestatem delinquendi tribuimus, insinuamus eum impotētiorem esse, quàm vt à delicto superari non possit. In ipsa autem responsione ad quæstionē: Vtrum potestas peccādi sit homini à Deo, an aliūdè? quidam existimant adhibendam esse distinctionem. Cùm enim

peccatum ſit operatio voluntaria, ſed obliqua, & à præſcripta viuendi forma exorbitãs, ſi ad ſubſtantiam operationis, qua peccatum admittitur, poteſtas peccandi referatur, iam à Deo eam eſſe fatentur, eo quod ſubſtãtia actus peccati à Deo ſit: ſi autem ad obliquitatis defectum referatur, cuius comparatione propriè dicitur peccandi poteſtas, vel melius peccandi infirmitas, ſic negãt eam à Deo eſſe. Verum huius diſtinctionis nulla facta mentione, Magiſter abſolutè tradit, poteſtatem peccandi eſſe à Deo, non per ſubminiſtrationem poſitiuæ virtutis, ſed per negationem perfectionis, quæ ſic in bono confirmaret hominem, vt nullis peccandi occaſionibus vnquam ſuccumbere poſſet. Qui enim ad mundi ornatum varios & diſtinctos rerum ordines inſtituit, hominem lege creationis talem eſſe voluit, qui peccare, & non peccare poſſet. Nec quia peccare malum eſt, ideò ipſa peccandi poteſtas mala eſt, neque hominem reddit malum iſta peccandi infirmitas, quia nihil adimit eorum, quæ ei iuxta naturæ ſuæ conditionem, pro tempore præſentis vitæ habere deberet. Nec quia defectus quidam eſt, inde conſequens erit, non eſſe illum à Deo, nam & multorum aliorum defectuum nobis author eſt Deus, dum virtutem aufert, aut non ſubminiſtrat, quæ defectum excludere poſſent, quomodo nobis mortis author eſt, vt præfati ſumus, dum id aufert, vnde mortem euadere poſſemus. Similiter ad imperfectionem pertinet, quod lapides, nec viuunt, nec ſentiunt, hanc tamen à Deo eſſe, nemo ambigit. Sunt tamen iſta quadam etiam ratione perfecta, quod id habent, quod ex conditoris inſtitutione habere debent, & ſuo loco conſtituta, haud parum ad mundi ornatum conferunt, dum in rebus conditis, tam varij, atque diſtincti ordines cernuntur, & gradus etiam, per quos ad Deum conſcendimus, conditorem omnium, quem admirabilẽ prorſus in omnibus operibus ſuis, & benedictum in ſæcula, nunquam non prædicamus.

Quî homo veniat ad peccatum?

CAPVT II.

PRæſenti doctrinæ capite diſcutiendum occurrit, quãnam progreſſione ad peccatum veniatur, quod potiſſimum locum habet, in vitijs carnis, ſi tamen ſenſualitatem propriè accipimus, pro appetitu inferiore cõſequente ſenſus perceptionem. Nam interdum hoc nomen extenditur, ad ſignificandum omne id, quod rectæ rationi repugnat, tumque eo nomine intelligitur, & inferior, & ſuperior ratio, quatenus vitiata eſt, & corru-

DATIO

od Magifter in
quod fubinde
in anima,quoc
inferiorem po
uguftinus,qu
ri,non tantum
ft,intelligit ad
voluntatis ve
ntis inftar fen
ut Apoftolus p
r corpus exerc
erum etiam il
unt, vt nomin
t corruptus eft
diæ, feditione
t, carnis nom
paratio fpernen
a vfa effe videa
reffum in nobi
dicans. Vnufq
centia fua abftr
; noftræ corrup
ntibus abftrah
rrena allicitur,
ne toti rebus D
rena & illicita
epticium ratio
bortiuus exifti
cõfenfum pra
ccatũ eft venia
cilicet rationis
erfecta. Quod
uerfari,& rebel
à Peripateticis
fua,motuq́ue n
c res honeftas i
æ carnem oble
in fuperna cælo
contrarium.
fcripturas fanc
appetitu fenfit
m habere,quæ

N n

Alia labendi in peccatum ratio.

CAPVT III.

MAgna nos oportet admiratio inuadat, tam paucos se à peccatis arcere, tãtaque multos oscitantia Deo seruire, quo versipellis ingẽti vafricie nos paulatim à Deo alienat, nostræq; salutis extorres reddit, ita quod non percipiamus, donec in profundam peccatorum voraginem demersi, quasi coacti aperire oculos cogamur. Quod si quis in se aduerteret, protinus diaboli laqueis se subduceret, nam adoritur hominem valdè cõmuni multis tentatione, qua maiestatẽ Diuinã non ita sublimem reputamus, sicuti meritò, secũdum suã potentiã, sapientiã, iustitiam & misericordiam, magnis laudum præconijs extollere deberemus. Peccata quoq; ad millesimã partem nõ reputamus, sicut ipse ad magnũ nostræ confusionis cumulũ, in suo tribunali ponderabit, parua magna facimus peccata, imò excusationes quærimus in peccatis, prodigalitatẽ, liberalitatẽ appellãtes: auaritiam, sagacitatẽ, superbiã maturitatem, carnalem affectũ, amicitiã: itaq; gypsum vice lactis diabolus nobis propinat. Si autẽ timor aliquis cordi nostro sit impressus, aut ingenuæ probitatis cõditio pectoribus nostris infusa, illa inordinatæ affectionis sensualitate supprimitur, vt putemus Deũ nobis forè propitiũ, nec lætari morte peccãtium, atq; ita præcipites ruimus (Iesum sanguinolẽtum semper benedictũ foras stare iubẽtes) in cauernosos quosq; peccatorũ anfractus. O quot hodie vicibus, Christus Iesus tanquã cõtemtus repulsam patitur? Quoties à miserrimis & vilissimis creaturis tantus creator negligitur? Vbi quæso secundum suæ maiestatis celsitudinẽ est debitis honoribus exaltatus? Verè conqueritur Propheta: Si ego sum Deus vester, vbi est honor meus? Si serui suos honorẽt dominos, saltẽ vos cor præbẽtes honorem Deo suũ seruetis integrum. Væ illis, & multiplex væ, quod tã blãdis instinctibus ad se illiciat, & malumus in fecibus peccatorum instar porcorum hærere, quàm leuãti manũ porrigere. Quantò rigore in extremo iudicij sui die, ista requiret? Cognoscere cõcupiscis, quãti faciat peccata: Exẽplo sit nobis Adã, qui fructũ gustauit vetitum, existimãs Deum nõ tãta rigiditate,

Peccandi occasio vnde?

Malach. 1.

hoc tan-

ctissima 930. annorū pœnitentia, istud suum expiare nequiuit peccatū, nisi & inuida amaræ mortis parca raptus, cadauer secūdum corpus efficeretur, & secundū animā 5000. plus minus annis in limbū relegatus, iustas damni lueret pœnas. Nec eripi prȩualuit, nisi vnicus ille altissimi patris filius, acerba crucis morte peccatis nostris satisfecisset. Contemplare iam homo. O homo alta mente serua repostū, quā Deo omnipotenti displiceat peccatū, non displicebat fructus, nō inedia laborabat Deus, sed hoc malè Deum habuit, quod vermiculus super terrā repens, instar conchiliū luteam circumferēs domū, suam voluntatem diuinæ præponat voluntati. Istud Deus non patitur, nec in cælo, nec in terra, cuius maiestatis voluntatē, si ȩquo libramine ponderasset, millies occidi prætulisset, quam semel præuaricari. Hæc scimus, hæc audimus, & legimus, tamen peccata non sunt nobis curæ, neq; cordi, quin potius ridemus, & ludus nobis reputantur. Addamus & aliud paradigma: Moyses amicus & Deo dilectus, ac in domo eius fidelissimus, nec loquor ei per visiones, &c. qui & oratione defendit, ne ira Dei desæuiente, sexcēta hominū milia perirent, tamē vna vice humanum aliquid passus, Deum offendit, & secundū hominū opinionem vix videtur deliquisse. Præcepit ei Deus, vt loqueretur petrȩ ad euomendam aquā, percussit bis, quare intrare in terrā nequiuit promissam. Magno quidem cordis dolore pœnitebat, tamē licet orasset, vt semel terram intraret promissam, respōdit, Moyses satis sit tibi, &c. Vides quàm stinctè puniat tale quale peccatum in tanto amico? Disce ergo homo quemadmodum peccata euitare debeas, disce modum, quo æterna tormenta quæ te manent, nisi resipueris, euadas. hæc non dico vt te pusillanimem reddam, sed vt me, & te, ad veram cordis contritionem adducam, veramque peccatorum emendationem intimis cordis medullis exoptem.

Peccatum quàm Deo displiceat.

Num. 12. Heb. 3. Exod. 32. Num. 20.

Peccata quàm euitanda.

CAPVT IIII.

HOmini si esset persuasum paruā rem tam magnā esse culpam, vti habet Cicero in paradoxis, quamq; Deo peccatū displiceat lethiferum, non peccaret in æternū. Nemo siquidem est mortalium quibus vel parū rationis dictamē affulget, & Christi fides non displicet, qui ipsum Christi Iesu in ȩternum gloriosi & benedicti cor, & corpus coram positum, crudeli

ferro transfigere vellent,aut lędere præsumerent.Hos tamẽ ini-
Hebr. 6. quitate vincunt, qui peccatis tãquam furcis tridentibus Christũ
transfodiunt,rursum sibi crucifigentes filium Dei.Numera iam
si potes quot vulnera Christo inflixeris, quot contumelias intuleris,numera in operatione,quàm multiformiter deliqueris,
numera in loquutione,detractione,iurandi consuetudine,fortè
numerositatẽ stellarũ attinges; si cordis arcana in lucerna scrutatus fueris. O quot sunt vulnera cordi Christi æquanimiter ad
Sapien. 14. tẽpus dissimulantis inflicta? Quot sunt peccata ipsum ad iram
Genes. 7. commouentia? tamen quod vel maxime Deo sit impius odio
& impietas eius,cataclismo ostẽdit, quando totũ mundum demersit. Reges terreni alienas inuadunt regiones,ac hostiles deuastãt ciuitates: (Iam,proch dolor, fermẽ oppositũ est videre.)
Christus proprias,quod illas peccatũ occupasset,Nec odio peccatum duntaxat persequitur, sed quicquid illud cõcernit,à se repellit.Homines delicati si vinũ acetosum fuerit aut impuritate
turbidum, vinum effundentes,cyphum argenteum, aut cantharum reseruant pretiosum. Deus nõ solum peccata,verumetiam
vasa peccati,homines ratione præditos ad imaginẽ suã plasmatos, imò pretioso amarissimæ passionis sanguine redemtos, in
detestationem peccati,proijcit in baratrũ inferni. Nec aliquem
habet amicũ in cælo vel in terra, in quo si peccatum offenderet
mortiferũ,quem non protinus tanquã vile mancipiũ abijceret,
vti patuit in Lucifero,cuius cogitationis damnosæ cęli sustinere pondus nequiuere.Descendit etiam in terram,vt Adam profligaret de Paradiso. Pentapolim quoq; deleuit pice & sulphure,quando pœnituit quod hominẽ fecisset.Vti hic peccatũ carnis,ita alibi superciliũ humani ingenij castigauit.Propter inui-
2. Reg.24. diã quoq; terra horrẽdo hiatu quatuordecim millia hominum
Numer.16. nongentos & quinquaginta deglutiuit. Præterea in detestationem peccati,filiũ vnigenitum morti tradidit.Ob scelus populi,
Esaiæ 53. inquit Propheta,percussi eum. Nemo inimicum ita habet exosum, vt eius furore percitus, filium occidat suum: bona etiam
mater multũ execratur illud, propter quod puerũ in fornacem
mitteret ardẽtem,nec inde extraheret: sic Deus ob odiũ peccati,
quos adeò dilexit,vt pro illis mori dignaretur, in ignẽ proiecit,
& proijciet inextinguibilem. O homo fuge peccatum,obsecro
multũ fugito, quia Deo tuo non tantũ displicet,sed etiã aduersario tuo sathanæ quàm plurimũ placet,qui non requirit aurũ,
Genes. 14. nec argentũ,sed animas.Cætera,inquit,tolle tibi. Et licet iã sex
Iob 1. milibus annorum continua tentatione circumierit, vt leo ru-
1. Pet. 5. giẽs,quærendo non quẽ lędere,aut noceret,sed deuoraret:tamẽ
adhuc

adhuc famelica & sitibunda illa cruenta bestia semper remanet. Qui hactenus mancipiũ fuisti diaboli, reuertere, reuertere. Qui hosti tuo capitali adhæsisti, nõ adijcias iterũ. Dicas cũ illo peccatore, imò pœnitentium ductore: Nõ absorbeat me profundũ, neq; vrgeat super me puteus os suũ. Exiliã & excutiã iugũ captiuitatis huius. O peccatũ, ad quãtas cordis angustias me adduxisti? O anima mea, quem fructum iã habes in ijs quibus te (spreto Deo) lætificasti? Non fructum, sed confusionẽ, non lætitiam, sed mœrorẽ, non recreationem, sed æternã adsciuisti dãnationem. Psalm. 68.

An omnis superiorum potestas, sit à Deo?

CAPVT V.

IN calce istius vltimæ sectionis, Magister inquirit, an omnis potestas sit à Deo? Profectò Ioannes Wiclef articulo suo nono Cõcilij Cõstantiensis, proscripto, noluit Ecclesiæ prælatos, aut ciuiles monarchas esse admittendos. In cuius damnatam hæresim Ioannes Brentius nostræ tempestatis hæresiarcha quasi pedibus ire ex quibusdam scripturæ locis perperam intellectis præsumsit: Nolite vocari Rabbi, vnus est enim Magister vester. Et alibi: Non docebit vltra vir proximum suum. Et ad Corinthios Paulus: Omnes, inquit, sunt serui, (siue Gregorius Papa, qui modo tenet fœliciter Ecclesiæ hoc exulceratissimo tẽpore gubernacula, siue Maximilianus Imperator, siue desideratissimus Rex Hispaniarũ Philippus,) vos autem Christi. Attamen præfectos esse necessarios cum ecclesiasticos tum ciuiles, clarè edocet sacra pagina. Paulus siquidem nihil manifestius tradit: Omnis, inquit, potestas non nisi à Deo est, & qui potestati resistit, Dei resistit ordinationi. Et Petrus Apostolorum Coryphæus: Subiecti estote omni humanæ creaturæ, propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Et postea, Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis. Ex his & similibus sacræ scripturæ passibus discere promtum est, prælatos esse à Deo, non solum virtuosos & timoratos, sed etiam impios & tyrannos, potissimum si ad potestatem qua in subditos præditi sunt, obtutus mentis dirigamus, & ordinem superioris ad inferiorem consideremus. Hinc legimus à Deo potestatem Pilato esse datam. Si autem spectemus regni alicuius inuasionem, aut iniquam regionis occupationem, qualem modò experimur eheu, & vtinam debitis deplangamus gemitibus nostræ calamitatis miseriam, quam hodie

Sessione 8. Matth. 23. Hierem. 31. 1. Corint. 3. & 2. cap. 4. 1. Pet. 2. Ioan. 19.

Iniquus princeps regnum quomodo inuadat? hodie hac occasione in Hollandia & Zelandiá, ob truculentam rabiem quam iniquissimus princeps cum suis complicibus, hactenus exigentibus peccatis meis & mei similium, exercet. Hac sanè ratione potestas non est à Deo, nisi duntaxat permissiuè,
Oseæ 8. vnde dicitur, Ipsi regnauerunt, sed non ex me. Si verò peccantis populi intueamur meritum, Deus interdum in vindictam, im-
Oseæ 13. pios indignosque cōstituit principes. Dabo eis regem in furore
Iob 34. meo. Et alibi, Facit regnare hominem hypocritam, propter pec-
Lib. 26. moral. cap. 19. cata populi. His admodum consentanea est Gregorij Magni sententia, dicentis: Summus locus bene regitur, cum is qui præest, vitijs quàm fratribus potius dominatur. Cunctos quippe natura æquales genuit, vt autem alij ad regendum, alijs committantur, non eos natura, sed culpa postposuit. Ecce non solum potestatem agnoscit, sed etiam eius originem tradit. Reliqua huc pertinentia videre qui voluerit, consulere Elucidationem Præceptorum decalogi, hoc anno millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, hoc mense Augusto super 4. Præcepto, in lucem emissam: indignum nemo reputauerit.

An prælatis in omnibus obediendum?

CAPVT VI.

Obedientia duplex. QVô meridiana luce clarius, quod proponitur, elucescat, considerandum est, aliter esse sentiendum super obedientia prælatis exhibenda, secundum obedientiæ perfectionem: aliter secūdum necessitatis obligationem. Si de priori sermo sit instituendus, perfecta obedientia finem nescit, nec præcipientis mandatum expectat, quin potius amore obedientis vsque ad mortem crucis, promtissimum omnibus se exhibet, ac voluntatis conscius, præceptum mandaturi prælati anteuertit. Si autem loquamur de obedientia secundum necessariam obligationem, sic illi terminus est, & iuxta magnitudinē voti emissi, mensura. Non enim amplius obligantur obsecundare prælatis suis, nisi in his quæ promiserunt Deo, obseruare, & quæ non sunt contraria animæ, & Regulæ suæ. Atqui fortè obijcies: Qui vouet obedientiam, nónne vouet obedire in omnibus quæ sibi iniunguntur? Respondēdum est, quod votum obedientiæ auferat quidē propriæ voluntatis dominiū, sed ita, vt in ijs obediat, quæ in Regula sunt expressa. Et quanquā in omni perfectionis Religione simpliciter cōtineatur renūciatio, quantum ad opus carnis, & quantum ad opus proprietatis, vel in speciali vel in cōmuni, non sic tamen præcipiuntur, quæ possunt præcipi, ideo non sic arctatur ad obsequendū in omnibus, sicut ad abrenunciandum

ciandum omnibus. Cuius talis eſt ratio, quia poſſibile eſt alicui obligari paupertati, ac etiam haud difficile, potiſſimũ vbi poſſeſſio communitati ſuffragatur, ſed obtemperare omnibus, quæ dicuntur, hoc non tantũ non facile eſt, imò etiam aliquãdo impoſſibile. Quare fines promiſſioni obedientiæ conſtituantur oportet, nec ſic ponũtur promiſſioni paupertatis vel etiã caſtitatis. Vnde in regula beati Frãciſci ſimpliciter præcipitur, quod illius regulæ profeſſores, nihil proprij omnino habeant, ſuper terram, ſimpliciter etiã præcipitur perpetuò continere, non ſolum ab actu, ſed etiã à ſuſpecto conſortio & cõſilio mulierum. At nõ præcipitur ſimpliciter ſuis prælatis in omnibus obedire, ſed in omnibus quæ promiſerunt Deo, obſeruare, & non ſunt contraria animæ & regulæ ſuæ. Quorum verborum, vt aliqualem habeamus expoſitionẽ: non conſilijs, non admonitionibus, ſed præceptis prælatorũ manifeſtè factis obſequendũ docet, niſi ſint contra animã. Quid vocas contra animam? non ſolũ mortale peccatum, ſed etiam omne illud, quod de propinquo in periculum talis peccati inducit, vt ſi exomologeſes excipiẽti, peccatũ aut tentatio carnis valde acriter impugnet, aut aliquid cõtra honeſtatem vel ſcandalũ, &c. præciperetur. Contra regulam eſt, non ſolum id quod eſt contra præcepta regulæ, ſed etiã contra ordinis ſtatuta, ad ſeruandã regulæ puritatẽ. Exemplo quod dicitur manifeſtum fiat: Si fratri præcipiatur ire ad colligendas pecunias, cõtra regulã, & mores ordinis, declarationum ac ſtatutorũ. Aut negotijs ſe immiſceat ſecularibus, nõ tenetur obtẽperare. Et ſi hæc aut ſimilia præcipiat prælatus imprudens per obedientiã, ſeu in virtute Spirit⁹ S. vel excõmunicationis pœna, mortiferũ cõmitteret peccatum. Subditusq; in animũ inducere deberet, ſecũdum beatũ Bernardũ: Satius eſt Deo obedire quàm hominibus. Si tamen idem præciperet alicui, ſexta feria ieiuniũ ſoluere, calceis indui, equitare, &c. quia aduertit fratris debilitatem, cõſultius ſubditus acquieſcere deberet, quia prælatus in cauſa rationabili diſpenſare creditur. Si quoq; ſtrictiora imponat ad reformationem reſtaurandam, ſtatuta, vel cõferentia ad ſtrictriorem collapſę diſciplinę obſeruantiam, ambabus vlnis ſunt amplectenda, quia non ſunt ſuper, ſed ſecundum regulam.

Contra animam agere. *Contra Regulam.* *Præcipere in virtute obedientiæ.* *Lib. de præcep. & diſpẽ.* Act. 5.

Statuta Religioſorum, quomodo obligent?

CAPVT VII.

TRanſgreſſio conſtitutionum ſeu legum purè pœnalium, non eſt de ſe culpæ obnoxia, niſi fiat ex contemtu, aliáve cauſa, culpam contrahat. Pro huius declaratione articuli, notan-

Statutũ purè pœnale. notandum eſt, ſtatutum purè eſſe pœnale, quando tranſgreſſorem non obligat aliquo modo ad culpam, quia non præcipit abſolutè, ſed obligat ad pœnam. Oppoſito modo dicitur non purè pœnale, quando obligat ad culpam, ſiue inſuper obliget ad pœnam, ſiue non: quod ex verbis legis, vel ſtatutis perpendere integrum fuerit, vti tradunt Summiſtæ Titul. Lex. Hoc modo omnes generales ordinis noſtri, conſtitutiones, ſunt purè pœnales, quantum eſt ex vi ipſarum conſtitutionum, niſi aliàs aliquo iure diuino, vel humano tranſgreſſores obligentur ad culpam, vel niſi expreſsè aliquid ſub præcepto mandaretur, vel niſi prælati per ſe, vel in comitijs generalibus vel Prouincialibus, ſub præcepto aliquid ipſarum conſtitutionum mandarent, ita quod ad culpam obligare vellent, quia ſic nequaquam eſſent purè pœnales. Poſſunt enim prælati mandare, quod in conſtitutionibus non mandatur. Poſſunt & conſtituere obligando ad culpam, quod alibi ſub tali obligatione non conſtituitur, quamuis diſcretionis limites tranſilirent, ſi hoc abſque cauſa præſumerent. Quo liquido conſtat Summam Syluestrinam, Titulo Inobedientiæ, hallucinari: quando docet contra Angelicam Summam, omnes leges humanas obligare ad culpam, & quod dicat nos voluntati ſtatuentis conformandos. Reſpondendum eſt, ſecundum Thomam Caietanum, quod non teneamur nos illius voluntati conformare, niſi eam nobis aliqualiter ſub præcepto inſinuet, tuncque eo duntaxat, quo inſinuat modo, tenemur. Hic tamen diſſimulandum non eſt ſtatutum purè pœnale, licet ex forma ſtatuti non obliget ad culpam, tamen ex intentione & ſtatuentis præſcriptione, culpæ facit obnoxium, potiſſimum quando contemtus non deeſt. Sed ſcrupulus alicui oriri poſſet, quomodo intelligenda ſit iſta obligatio ad pœnam pro tranſgreſſione prædictorum ſtatutorum purè pœnalium, vbi continetur expreſsè, quod non obligant ad aliquam culpam, ſed ad pœnas, afflictiones vel pœnitentias. Dubitatur, inquam, an illa ad pœnam obligatio, ſeu pœnitentias, intelligatur, ſi imponatur à prælato, an etiam, ſi non imponatur: Reſpondendum eſt, ſecundum Thomam Caietanum, quod triphariam reperiatur pœna talium ſtatutorum, quia aliquando eſt non taxata, ſed taxanda, & à prælato imponenda: vt contingere adſolet in leuibus tranſgreſſionibus ipſorum ſtatutorum: atque ad talem pœnam non obligantur tranſgreſſores, niſi per prælatum inſtituatur. Quandoque autem eſt pœna taxata, ſed à prælatis imponenda, vt vſu venire ſolet, in grauioribus præuaricationibus

Leges humanæ, an obligẽt ad culpam? Quæſt. 1. Super 2. 2. quæſt. 147. art. 3.

Pœna ſtatutorũ triplex. Super 2. 2. quæſt. 186. art. 9.

tionibus, pro quibus statuitur talis vel talis pœnitentia, nec ad huiusmodi etiam transgressores obligantur, nisi à prælatis imponatur. Ratio vtriusque talis est, quia subditus ex quo non tenetur pluribus, quàm ordinatio legis comprehendat, ideo si lex absolutè non ordinat, quod talē faciat pœnitentiam, sed quod taliter errantibus talis vel talis imponatur pœnitentia; ergo non est reus violatæ legis, qui talem non patitur pœnitentiam, sibi non impositam. Interdum verò pœna est taxata, & ab ipsa lege seu statuto imposita, vt subinde fieri consueuit, quando dicitur: Qui soluerit silentium, vel tempestiuè non venerit ad preces matutinales siue nocturnas, humi prandium sumat, aut in pane & aqua prandeat, &c. Et ad huiusmodi pœnitentias obligantur transgressores, etiamsi nullus imponat prælatus. Hæc ille. Ista autem obligatio, qua statutum adimplere tenemur tale, eiusque pœnam impositam, est ex prælati ordinatione, qui præualet nos iustè cogere ad pœnam illam, & quando coëgerit non solum imponendo pœnam illam, vt exequutor statuti, sed etiam mandãdo seu præcipiendo, tunc si eam acceptare grauemur, delinquemus, aliàs non. Quoties igitur prælatus imponit transgressoribus pœnam aliquam taxatam, vel non taxatam, per statutum, tunc subditus eam acceptare recusans, aliquando letifero crimini se subijcit, interdum secundum qualitatem præcepti duntaxat veniale peccatum incurrit. Cuius ratio est, quia talis prælati impositio, cogit subditum transgressorem ad exequutionem statuti generaliter talem pœnam imponentis, & vigore huius mandati subditus peccaret, illam non implendo pœnitentiam, quamuis non vigore statuti. Sicque consuetudo videtur inoleuisse saltem in nostra religione fratrum Diui Francisci, quia qui talem pœnitentiam à prælato impositam, modo prædicto implere negligeret: censeretur inobedientiæ obnoxius. Itaque docet Summa Angelica titulo Religiosus, & secundum præmissa, credo limitanda esse Caietani dicta superius, quod scilicet loquatur de pœna taxata, & imposita solum per modum statuti, ab ipso statuto seu prælato, quod tunc non peccat, qui eam non implet. Secus si per modum præcepti exequutorij à prælato imponatur, quia tunc peccat, qui non implet talem (vt dictum est) pœnitentiam. Præterea annotandum occurrit in Declarationibus Nicolai Tertij, & Clementis Quinti, nihil præcipi nobis vltra Regulæ, vel Dei præcepta. Nec ipsæ Declarationes aggrauant, præcipiendo id quod

Non implens pœnitentiam impositam.

§. 28.

De verborum signific.

id quod per præcepta Regulæ, vel Dei explicatur esse præceptum, aut obligatorium. Sicque nihil ex vi declarationum obligat ad culpam. Neque ipsarum declarationum transgressio fit nobis culpæ, nisi quatenus talis transgressio fit cõtra Regulam, præcepta Dei, Ecclesiæ, aut Prælatorum Ordinis. Ratio huius est, quia in prælibatis declarationibus, nullum est verbum explicatiuum præcepti, puta præcipio, mando, inhibeo, &c. sed statuo, decerno, definio, volumus, declaramus, &c. Alia autem verba non explicant præceptum in alijs decretalibus: ergo nec in istis. Neque præmissa verba, viua voce facta subditis præsentibus, explicant, aut explicarent præceptum, sed tantum simplicem summi Pontificis aut statuentis voluntatem, ergo nec hic in scripto absentibus, quia vtrobique par non ambigitur ratio. Quoniam licet omnis lex Ciuilis, & Ecclesiastica, obstrictos culpæ faciat transgressores, aliquando lethali, aliquando veniali, secundum voluntatem pręcipientis, & materiæ quantitatem, non tamen omnis constitutio, dispositio, vel declaratio est præceptiua, sed aliqua duntaxat est monitoria, dispositiua seu declaratiua, vel simplicis voluntatis superioris explicatiua: quales videntur esse declarationes præfatę, quæ in hoc sunt positæ, vt statuant, & explicent, quid deceat, & conueniat ad conseruandam Regulæ puritatem, non autem ius condunt aut pręcepta indicunt. Si cui in in harum decisione quæstionum, aliud & fortè melius videatur, non inuideo: obsecro tamen, vt si quis hoc opusculo quippiam approbatione dignum repererit, omnium bonorum largitori Christo Iesu adscribat, acceptumque ferat. Si etiam dubium aliquid, aut obscurum offenderit, insufficientiæ & peccatis meis imputet. Errare siquidem potero, sed Dei gratia hæreticus nunquam ero. Hanc tamen Catholicæ religionis veritatem infatigabiliter quærere, infallibiliter inuenire, inamissibiliter apprehendere, ac tenere, concedat nobis ille, qui est via, veritas, & vita. Qui cum Patre, & Spiritu sancto vnũ existens in essentia, & ab eis distinctus in persona, hominem rectum fecit, qui se infinitis immiscuit quæstionibus, vti ex prælibatis manifestum euasit. Cui sit omnis honor, gloria, laus, & imperium, per immortalia sæcula sæculorum.

Amen.

FINIS.

EPIGRAMMA FRATRIS IOANNIS PELLENS LEODIENſis Franciſcani, in operis commendationem.

QVISQVIS *amas cælo dignam traducere vitam,*
Doctrinaq́ſtudes Regna beata ſequi:
Innumeros noli ſcrutarier vndique libros,
Nam id paucis liber hic, non ſine luce, monet.
Quem tibi ſudauit magno, Reuerendus, amore:
Nomine, Matthias, officioq́ pater.
Dux virtus, Doctrina Comes, cui ſemper adhærent,
Certatimq́ fauent, & tua vota fouent.
Plurima detexit quæ Erythræo digna lapillo,
Et lenire animos, & fera corda valent.
Ortum, is & occaſum, cuncti namplaſmatis adfert:
Sicq́ labore pro nomina dia parat.
Hunc varios annos audiuit & ordo legentem,
Quæ legere aſsiduo tu potes ore modò.
Cui Deus omnipotens tribuat, poſt fata, beatam
Et veram requiem ſemper in arce Poli.

Oo ELEN-

ELENCHVS CAPITVM, HVIVS CHRISTIANÆ INSTITVTIONIS, IN SECVNDI LIBRI MAG. SENTEN. distinctiones: Scholastico ordine ad amussim digestus.

DISTINCTIO PRIMA.

DISTINCTIO II.

DISTINCTIO III.

7. Angeli

 19. De

DISTINCTIO VIII.

DISTINCTIO IX.

DISTINCTIO X.

DISTINCTIO XI.

9. Angeli

2. Cal-

 5. De va-

FINIS.

SACRÆ SCRIPTVRÆ LOCA HOC OPERE, VEL EX PROFESSO EXPOSITA, VEL SVA CITAtione multum elucidata, Sacrarum Literarum Studiosis vtilissima.

GENESIS.

EXOD.

Cap. 10.

Cap. I.

INDEX ALPHABETICVS LOCORVM COMMVNIVM QVI HOC LIBRO DOCTRINÆ ORDINE describuntur.

rum ar-

Concupis-

Facere

Pecca-

Pollu-

Finis Indicis locorum communium.

ERRATA.

In fine Epistolæ Dedicatoriæ ligna, lege lingua. Fol. 23. lege substantiæ, circa finem paginæ. Fol. 147. lege iecinoris. Fol. 359. super te, lege, sub te. Fol. 141. Lege cum talibus signis. Reliqua per se Lector facilè aduertet.

Huic Commentario, vt in Studiosorum vtilitatem excudatur, quia pius est, Catholicus & eruditus: nomen meum asscribo. Anno M. D. LXXIII. Kal. Decembr.

Ioh. Molanus Pontificius, & Regius librorum censor.

5-2